









JACOBI GRETSERI SO. 271.5
CIETATIS IESV THEOLOGI,
LIBRI DVO;

DE

MODO AGENDI
DI IESVITARVM
CVM PONTIFICIBVS, PRÆLATIS,
PRINCIPIBVS, POPVLO, IVVENTV-
TE, ET INTER SE MVTVO.

Oppositi

EIVSDEM ARGVMENTI
LIBELLO ANONYMO ET FAMOSO.

ACCESSIT

VINDICATIO LOCORVM QVORVN-
DAM TERTVLLIANICORVM A PER-
uersis Francisci Iunij Calvinistæ de-
prauationibus.

Ad

REVERENDISSIMVM ET ILLVSTRIS-
SIMVM PRINCIPEM IOANNEM CONRADVM,
Episcopum Aichstadianum, &c.



Cum gratia & priuil. sacre Cesar. Maieft.

INGOLSTADII,

Ex Typographia ADAMI SARTORII.

ANNO M. DC.

15750





REVERENDIS-
SIMO ET ILLUSTRIS-
SIMO PRINCIPI AC DOMINO,
D. IOANNI CONRADO, EPI-
scopo Aichstadiano, &c.

JACOBVS GRETSERVS, SO-
CIETATIS IESV, GRATIAM ET FEL-
CITATEM A DEO PRECATVR.

CVM libros istos Apologe-
ticos nuper conscriberem, RE-
VERENDISSIME & ILLUSTRIS-
SIME PRINCEPS, diverti inter-
dum, tædij, quod concipiebam, discutiendi
gratia, ad Epistolas sanctissimi & vetustissi-
mi Episcopi & Martyris Cypriani; quarum
lectione animum, tot criminationibus le-
gendis & refellendis fatigatum, reficiebam,
vt promptior & alacrior ad telam, quam se-
mel exorsus fueram, detexēdam, reuerterer.
Quod dum facio, perspicuè intellexi cūm a-
lia multa; tum quā moribus S. Cypriani
dissi-

EPISTOLA

diffimiles sint hodierni quorūdam mores, quod attinet ad famam & existimationem alieni nominis, ex charitatis, & iustitiæ præscripto defendendam, & à calumniatorum iniuriis asserendam. Cū Legati Nouatianī Antipapæ libellum conuiciis & criminationibus refertum, aduersus Cornelium, legitimum D. Petri successorem, obtrudere conarentur Cypriano, aliisque Episcopis Africanis, quid egerunt illi? Num aures præbuerunt impostoribus? Num chartas illas infames pronis manibus & mentibus exceperunt, variisq; exemplaribus, librariorum ope, auctas in vulgus disseminarunt? Minimè verò. Quid igitur? *Honoris communis memores*, ait S. Cyprianus, & *grauitatis sacerdotalis, ac sanctitatis respectum tenentes, ea, que ex diuerso in librum ad nos transmissum congesta fuerant acerbationibus criminosis, respicimus: considerantes pariter & ponderantes, quod in tanto fratrum, religiosorumq; conuentu, confidentibus Dei sacerdotibus, & altari posito, nec legi debeant, nec audiri. Neque enim facile promenda sunt, & incautè ac temerè publican-*
da,

DEDICATORIA.

da, que discordioso stylo scripta audientibus scādalum moueant; & fratres longè positos, ac trās mare constitutos incerta opinione confundant. Viderint, qui vel furori suo, vel libidini seruiētes, & diuinæ legis ac sanctitatis immemores, iactitare interim gestiunt, que probare nō possunt, & cū innocentiam destruere atque expugnare non valeant, satis habent fama mendaci, ei falso rumore maculas inspergere. Certè quod præpositis & sacerdotibus congruit, danda opera est, ut talia, cū à quibusdam scribūtur, per nos respiciantur. Imo cū illi ipsi Schismatis ^{Epist. 42.} & Hæreseos factores & fautores, in statione inuidiosis quoque conuiciis & clamoribus turbulentis prouerent, & flagitaret, ut crimina, que se adferre ac probare dicebant, publicè à nobis, & à plebe cognoscerentur, grauitati nostræ negauimus conuenire, inquit S. Cyprianus, ut collegæ nostri iam delecti & ordinati, & laudabili multorum sententia comprobati, ventilari ultra famam ore maledico, & emulātium voce pateremur. Quàm nihil istis de Cypriani sensu, qui vbi IESVITIS detrahitur, arrectis auribus adstant, intentique ora tenent: Et si
a 3 quem



EPISTOLA

quem librum nacti sunt, qui Societatis nostræ nomen proscindat & lancinet, instant vrgentque, vt à quàm plurimis euoluatur; exemplaria vel typis vel calamo exarata, inuitis etiam obtrudunt: & ex conuiujs symposiisque, apophoretorum loco, absportanda offerunt. Nec admodum mirarer, si Hæretici tantùm, & ab Ecclesia alieni hoc facerēt. Quid enim aliud à iuratis hostibus expectem? In eadem naui nauigāt nonnulli, qui Orthodoxorum nomine sibi blandiuntur. Occurrit hoc loco querela D. Hieronymi: *Si gentiles hanc vitam carperent; si Iudæi, haberent solatium non placendi eis, quibus displicet Christus. Nunc verò, prò nefas, homines Christiani, prætermissa domorum suarum cura, & proprij oculi trabe neglecta, in alieno oculo festucam querunt: lacerant sanctum propositum, & remedium pœnæ suæ arbitrantur, si nemo sit sanctus: si omnibus detrahatur: si turba sit pereuntium, si multitudo peccantium.* Præclare S. Cyprianus ad Antonianum, falsis rumoribus de ipso Cypriano nimis credulum: *Quamuis multa multorum vocibus ventilentur, & menda-*

Epist. 99.

Epist. 52.

DEDICATORIA.

mendacia aduersus sacerdotes Dei, de Diaboli ore prolata, ad rumpendam catholicæ unitatis concordiam ubiq; iactentur, te tamen oportet vt bonum fratrem atq; vnanimem consacerdotem, non quid maligni atq; apostatæ dicant suscipere, sed quid Collegæ tui modesti & graues viri faciant de vitæ & disciplina nostræ exploratione perpendere. Hoc monitum præstantissimi Doctores & Martyris, isti in præcordia demittere deberent, si quid Christiani pectoris haberent. Quod maximè nuper factum oportuit, cùm librum *de modo agendi Jesuitarum*, iam fermè sepultum, ab inferis reuocarunt: & ingentis thesauri loco non paucis peruolutandum obtulerunt: Quem olim à me visum contempsi. Nūc vbi à criminatibus tanti fieri cognoui, refutandum, iisque, qui haustu veneni delectantur, hoc antidotum propinandum censui; quos spero sanatum iri, si tam cupidum animum ad responsionem meam attulerint; quàm attulerunt ad anonymi obtrectatoris sycophantias. Vestræ porrò Celsitudini, REVERENDISSIME & ILLUSTRISSE PRINCEPS, hunc



EPISTOLA

hunc meum quantulumcunq; laborem de-
dicare, & obscuro alioquin operi, lucem ali-
quam à claritate tanti Antistitis mutuari
volui. Quod vt auderem, inuitauit me be-
neuolentia C. V. in Societatem nostram,
ccepta ab eo tempore, quo in gymnasiis no-
stris & disciplina, eius dignitatis, qua nunc
eminet, litterarum & virtutis studio, funda-
menta feliciter iecit; quæ cum honoris in-
cremento minimè, vt crebrò fieri solet, im-
minuta; sed potius magna accessione adau-
cta est. Ita nimirum consueuerunt genero-
sæ animæ: quos semel amare instituerunt; eos,
quidquid Sectariorum vocolæ contrà ob-
loquantur, dum amore digna faciunt; ama-
re nō desinunt. *Graues viros, inquit, quem
iam aliquoties nominavi S. Cyprianus, &
semel supra petram solida stabilitate fundatos,
non dico auraleui, sed nec vento aut turbine cō-
moueri, ne animus dubius & incertus variis o-
pinionibus, velut quibusdam ventorum incur-
santium flatibus, frequenter agitetur, & à pro-
posito suo cum quadam leuitatis reprehensione
mutetur.* Deinde cū Collegium Ingolsta-
diense,

DEDICATORIA.

diense, in ea Diocesi, cuius administratio
C. V. diuino nutu obtigit; proximorum sa-
luti procurandæ priuatim & publicè, in
scholis & templis, ea, quam vires ferunt, se-
dulitate insistat: officium exigere videbatur;
vt Præsulem, cuius auspiciis omnia gerit,
publico quodam testimonio recognosce-
ret, & in omnium conspectu aliquod obser-
uantia monumentum figeret. Taceo Aca-
demiam Ingolstadiensem, quæ partem fru-
ctuum, quos submittit, C. V. iure consecrat,
cū à primo suo ortu alium CANCELLA-
RIVM non habeat, quàm eum, qui S. VVili-
baldi thronum tenet; nullique Candidato
hic ad supremam Theologiæ, Iurispruden-
tiæ, Medicinæ & Philosophiæ lauream adi-
tus pateat, nisi PRINCIPIS Aichstadiani au-
toritate & beneficio. Nec dissimulare
queo, me etiam fama virtutum C. V. impul-
sum, vt huic lucubrationi alium patronum
non quærerē, præter C. V. Neminē fugit, quas
Apostolus boni pastoris internoscendi no-
tas & conditiones præscribat; quæ ad has ge-
minas, vitæ nimirum integritatem & eru-
ditio-



EPIST. DEDIC.

ditionem, tanquam ad summa capita, reuocantur. His nullus est, qui inficietur, C. V. diuinitus excellēter ornatam esse; magno Ecclesiae Aichstadianae emolumento, & maiore adhuc labentibus annis futuro, si pastorale hoc munus, quod florente auro coepit, ad affectam vsq; aetatem, Deo adiuuante, longuamque lucis huius vsuram largiente, gerat. Quod nobis omnibus est in optatis.

Ingolstadij, Kalend. Nouembribus,
anno Iubilaeo. M. DC.



AD



AD LECTO-
REM.

LIBER quem hac Apologia refellendum suscepimus, amice Lector, editus est quinto propemodum ab hinc anno Francofurti, sed Germanicè, adscripto fictitio Georgij Heckelij nomine, tanquam interpretis ex Latino. Latinum exemplar, nunquam, quod sciam, vulgatum est. Sed fortè prodisset in publicum, nisi apud Hæreticum quendam, clarissima in vrbe, à Magistratu interceptum, nostrisque traditum fuisset: quod penes me iam est, exque eo latina calumniatoris verba desumpsi, vt sua lingua, quæ sanè perquam elegans est, loquatur. De Interprete non habeo, quod conquerar. Malum librum malè vertit, maledicum, maledicè; calumniosum, calumniosè. Nec potuit melius, quia nec libri, nec interpretis genius ferebat aut sinebat. Quod si locis non paucis immiscuit non pauca mendacia, eaque noua; neque id culpandum: quis enim reprehendat, si mendaci scriptori similem se præstet interpres? Et vt fidus interpres verbum verbo non reddit ex poetæ monito; ita nec iste commentum, commento; sed sua adiicit, vt non modò bonæ, vel potius malæ fidei metaphrastes, sed & paris notæ paraphrastes haberi possit. Quod, nisi fallor, eo fecit consilio, vt

*S. Hieron. lib.
I. contra Ruf-
tet, sinum.*

β 2



AD LECTOREM.

test, & testamentum suis Bessorum cachinno membra concu-
tiant, atque inter scurrarum epulas nugæ istiusmodi frequenten-
tur. Non refutassem has chartas, nisi aduersarij, vt ad Il-
lustrissimum Principem præfatus sum, eas renouassent,
multisque magna dignitate viris euoluendas obtulif-
sent; quibus hac defensione planum facere volui, qua-
lis sit Auctor libelli famosi, quem tam auidè lectitant,
quàm vanus, quàm fallax, quàm mendax, quàm suæ &
alienæ famæ prodigus: & hanc operam eò libentius
sumpsi, quia persuasus sum, eos alteram aurem, & qui-
dem dexteram, nobis reseruasse: auditisque rationibus,
facile mutaturos sententiam, & benigniorem animum
in nos accepturos. Est quando oblocutoribus ratio red-
di debet, ita vt hoc officium sine grauis piaculi peri-
culo, omitti nequeat. Quia sedari hoc ipsum stultorum ho-
minum murmur tranquilla ratione potest, inquit sanctus
Gregorius, esse peccatum credo, si ne bonum quod valet fieri,
negligitur vt fiat. Nam cum placare insanas mentes, atque
ad salutem reducere possumus, scandalizare eas minimè debe-
mus. Sunt enim quadam scandala, quæ omnino despicienda sunt;
quædam verò dum vitari sine culpa possunt, despicienda non sunt,
ne cum culpa seruentur. Quare Theotistâ, clarissimâ foemi-
nâ, monet ille idem sanctus Pontifex, vt quosdam detra-
ctores suos, secretò vocet; iisque innocentiam suam expo-
nat. Spontè vobis secretò vocandi sunt, inquit, atque ipsis
ratio reddenda, & peruersa quadam capitula, quæ tenere vos
existimant, coram ipsis anathematizanda. Quod si etiam, si-
cut dicitur, dari à vobis anathema fectè suspicantur: etiam iu-
reiurando firmandum est, vos nunquàm eadem capitula tenere,
nunquàm tenuisse. Quod S. Gregorius Patritiâ istam priua-
tim facitare iubebat; id ego facio his duobus libris publi-
cè. Si, vt solent, obtrectatores calumniis præoccupati, defen-

Lib. 2. epist. 39.

AD LECTOREM.

defensionem ad aures & mentem non admittant; tum
illud Domini ad me pertinere arbitror: *Sinite illos, ca-*
ei sunt, & duces cecorum. Simulque lectorem beneuolum
rogatum volo; vt hæc aurca D. Gregorij dicta alta mente
mecum recondat. *Si fuerunt, qui malam famam Paulo im-*
ponerent, qui hunc seductorem vocarent, quis rogo nunc Chri-
stianus, debet indignum ducere, pro Christo iniurias au-
dire? Quanta autem virtutis præcursor nostri Redempto-
ris fuit, nouimus, qui per sacrum eloquium non solum plusquam
Propheta; sed etiam Angelus vocatur; & tamen sicut mortis
eius historia testatur, post mortem à persecutoribus corpus
eius incensum est. Sed quid ista de sanctis hominibus dicimus?
De ipso Sancto Sanctorum, id est, de Deo, qui pro nobis homo
factus est, loquamur, qui ante mortem, iniuriam, quia Demo-
nium haberet, audiuit. Post mortem verò à suis persecutori-
bus seductor appellatus est. Quanta ergo nos peccatores à lin-
gua vel manibus iniquorum hominum portare necessè
est, qui in aduentu aeterni iudicis iudicandi sumus,
si & ipse tanta tam antè, quàm post
mortem pertulit, qui &
iudex venit?

Matth. 15.

S. Gregor. loci
cit.





IN CALVMNIATO-
REM ANONYMVV.

VID te posse putas nostros depingere
mores, (os?
Duntaxat mores pingere docte tu-
Desine: Cecropias cum fingit pica loquelas,
Semper Cecropias noscitur inter aues.
Possis ut mores alienos scribere, mores
Vel dediscet tuos, vel prius abde tuos.
Nam tua lingua cupit dum nostros prodere
mores,
Incepit mores prodere lingua suos.

IN EVNDEM.


VM tibi sit nomen nullum, cognomina
nulla,
Optio sit tribuas nomen ut ipse tibi.
Pseudolus esse cupis? sis Pseudolus. esse Dolonem,
Si lubet, esto Dolon. Ψεύδολος atque Δόλον.

III

εθ

Si

Si Romana iuuant te nomina; Porcius esto,
Verris, aut Brutus, Bestia, Latro, Stolo.
Aut si quod simile his, veterum relegendo libellos,
Videris appositum moribus esse tuis,
Vsurpa intrepide, ne sis sine nomine truncus:
Nam satis est, corpus quod sine corde geris.



FACVLTAS R. P. PRO-
VINCIALIS GERMANIÆ
SVPERIORIS.

Hos duos libros de modo agendi Iesuitarum, &c. à P. Iacobo Gretsero Societatis nostræ Theologo conscriptos, & à tribus Patribus, itidem Theologis, lectos & approbatos, Ego OTHO EYSENREICH, eiusdem Societatis per superiorem Germaniam Præpositus Prouincialis, potestate mihi ab admodum R.^{do} P. N. Præposito Generali, P. CLAVDIO AQUAVIVA facta, typis mandari permitto. In quorum fidem hoc Auctori testimonium manu nostra subscriptum & sigillo munitum dare volui. Landspergæ 26. Maij. An. 1600.

OTHO EYSENREICH.

Hos



Hos duos libros contra anonymum calumniatorem, qui sub Catholici persona, in Ordinem de Catholica Religione optime meritum, conuicia impudenter iacit, typis & luce perquam dignos esse arbitror.

PETRVS STEVARTIVS Leodius, S.S. Theologiae Doctor, Professor, Parochus Mauricianus, & Collegij Theologici in Academia Ingolstadiensi pro tempore Decanus.

ERRATA.

Pag. 22. §. 19. *legislativa*. 23. §. 4. *doctus*, hoc. 29. §. 11. *erat Iosephus post Beniamin*. 33. §. 1. *impetrat am*. 34. §. 16. *allectos*. 37. §. 29. *illa*. 38. §. 12. *tot*. 52. §. 20. *infantia*. 60. §. 23. *pro hac lege*, *certe*, *ibid.*, §. *penult. citatio L. beneficij, ponatur post Verbum: interpretemur*. §. 29. p. 62. §. 25. *non est*. 63. §. 17. *dele: primum*. Et §. pag. 76. §. 20. 68. §. 5. *oro*. 76. §. 11. *in illum*. 79. §. 20. *incredibili*. *ibid.* §. 22. *perhibeo*. 82. §. 30. *sciat*. 83. §. 8. *confinxerit*. 91. §. 8. *post Verb. defendant: adde. non nisi hominum crimina collegio affectant*. 92. §. 26. *consolamur*. 95. §. 25. *eam*. 97. §. 23. *reticent*. 99. §. 23. *Velim*. 101. §. 15. *conuersione*. 116. §. 23. *egit*. 118. *in marg. pro 26. pone 25 ibid.*, §. 9. *qua*. *ibid.* §. 19. *admittit*. 126. §. 13. *infirmia*. 150. §. 6. *educandorum*. 184. §. 5. *Hic*. 208. §. 26. *comonuit*. 255. §. 7. *aliorum*. 272. §. 26. *sententias*. 278. *in marg.* 32. 283. §. 4. *distitare*. 298. §. 31. *Crucifixi*. 305. §. 4. *Vestrorum*. 308. §. 4. *Vestrorum*. 309. §. 20. *peccatores*. 323. §. 23. *postea probant*. 329. §. 1. *halitus*. 344. §. 26. *speciem*. 355. §. 14. *dele. cum*. 363. §. 25. *non inuenio*. 364. §. *penult. Verum*. 369. §. 11. *curriculo*.

LIBER



LIBER PRIMVS
DE MODO AGENDI
IESVITARVM CVM PONTIFICIBVS, PRAELATIS, PRINCIPIBVS, &c.

CAPVT I.

De Jesuitarum propagatione & prospero progressu.



Onebat veterum quidam, vt, si quò pellis leonina penetrare non possit, vulpina induatur, fraudi enim & dolo saepe patere eò aditum, quò aperta vis peruenire frustra nitatur. Huius consilium tu quoque, in hoc tuo scripto, tibi sequendum putasti: cum enim videres, calumniis & criminationibus ruis, è vestigio fores occlusum iriapud eos, qui re & nomine Catholici censentur, astute Catholici personam induisti, viamque tibi hac machina ad Catholicorum animos munuisti; qui tamen, animaduersa fraude, te magis detestabuntur, vel ob hanc simulationem; tanquam improbum impostorem. Verè enim ille: *Malus, ubi bonum se simulat, tunc est pessimus*. Hæreticus, ubi Catholicum se simulat, tunc est peruersissimus. Verè & illud idem vates: *Bonitatis verba imitari, maior malitia est*. Dicam ego:

Fingit calumniator se esse Catholicum.

A

Catho-



Catholici titulum ementiri; maior nequitia est. *Grauior enim sit & magis noxia improbitas, benignitatis obumbrata velamine; vt rectè ait S. Ambrosius. Catholicus es; videlicet, vt ille, qui Rationale Iesuiticum edidit, qui & ipse, quò chartas suas Catholici titulo vèdibiliore redderet, Catholici hederam appendit. Sed quod aurito illi pecori, exuuiis leonis exornato, accidit, id & istis euenire consuevit: statim vel auribus, vel voce produntur, & Hæretici esse deprehenduntur, non sine iactura sua; nam doli nò doli sunt, ni astu colas, sed malum maximum, si id palam fiat: nec sine Catholicorum commodo: Nam nota mala res, optima est. Polypum imitaris, dum Catholici formã subis; vt quos vi obtinere non potes, circumscribas dolo, & suco quodam artis obducas. Fraudulentum illud Polypi ingenium non præteribo, inquit S. Ambrosius, qui vadoso in litore petram nactus, affigitur ei, atq; eius nebuloso ingenio colorem subit, & simili specie terga obductus, plurimos piscium sine vlla suspitione fraudis allapsos, dum natando non precauent, & saxum opinantur, cassibus furtiue artis includit, & sinu quodam sua carnis intercipit. Sic spontanea venit præda, & talibus capitur argumentis: qualia sunt eorum, qui ingenium suum sepe commutant; & diuersas nocendi artes mouent. Talis es tu Polypus, speciem induens orthodoxi, vt qui te audiunt aut vident, incauta facilitate se credant, eoque citius labantur, dum distinguere non norunt, nec cauere quod noceat.*

Cæterum quia Catholicus audire vis, & Catholicus etiam es, sed solo vocabulo; re autem, sententia, & professione Hæreticus; tractabo te nec vt Catholicum, nec vt Hæreticum; sed vt Amphibium, seu, vt Zoophytum, seu, si mauis, vt Tragelaphum, hoc est, vt Caluinopapistam, seu Papistocaluinistam, qualia môstra natale tuum solum procreare solet. Si & ridebitur alicubi, materiis ipsis

satis-

satisfiet, libet enim cum Tertulliano protestari de futuro: *Tertull. lib. 2. Multa sunt sic digna reuinci, ne grauitate adorentur. Vanitati propriè festiuitas cedit (hoc est, debetur) congruit & veritati ridere; quia letans, de amulis suis ludere; quia secura est. Ego, vt tibi mentem meam explicem, malle sanè te esse apertum, imò & natum hæreticum, quàm fictum Catholicum, & factum Hæreticum; sicut olim etiam Cassianus maluisset, vt Nestorianus, quem in libris de Incarnatione Christi, refutat, fuisset natus Hæreticus, quàm factus: Nam minus dolerem in malis editum, quàm de bonis lapsus: minus fidem non habitam; quàm amissam: minus veterem Hæreticum, quàm nouum Apostatam; minus enim intulisses sanctæ Ecclesiæ vel labus vel pestilentia; minus denique esses a fide, vel acerbus ad dolorem, vel grauis ad exemplum, si popularis potius tentare, quàm sacerdos Ecclesiæ posses.*

Sed nunc audiamus, & æqua trutina expendamus tua verba. Ais ergò: *Luce clarius est nouum Iesuitarum ordinem summa omnium admiratione, omnibus hominum statibus atq; ordinibus præualere, perinde ac intelligentibus exosum esse.* Res mihi erit, vt video, cum Ruffino aliquo, hoc est, cum implicato & intricato in verbis, vt de sententia diuinandum sit & coniectandum. Quid ergò his tuis tam tenebrosis verbis vis dicere? An Iesuitarum Ordinem omnibus statibus præualere, hoc est, superiorem esse? At mendacij statim, vel ipsa luce clarioris, te dargueris. Anne enim status noster superior est statu Pontificio, Cardinalitio & Episcopali? An statibus aliis & dignitatibus, quarum non pauca in Ecclesia? An statu aliorum Ordinum religiosorum? Quibus vt professione par esset hic Ordo, attamen antiquitate, statione, loco & gradu omnibus lubens volensque sese postponit. An vis nullum unquam Ordinem tam longè lateque diffusum esse, & tam

A 2 breui

Tertull. lib. 2. contra Valentinum.

Cassian. lib. 6. de Incarnat.

Magis ferendus, qui semper Hæreticus, quam apostata a fide.

Num societas omnibus aliis ordinibus antistat.

breui tempore tot prouincias adiiſſe, eaſdemq; regiones, quas ſolluſtrat, luſtraſſe? At vt id verum eſſet, certè non odij & obtreſtationis, ſed amoris potius & laudis argumentum eſſet: neq; enim ſine diuino nūtu fieri potuit, vt Societas hæc ad virtutis & religioſe diſciplinæ amplificationē, & ad bonarū literarū propagationē nata, tam exiguo tēporis ſpatio, tam felicib⁹ incrementis adangeretur: Nā hæreſes Lutherana & Calviniana, ad oēm licentiam & petulantiā, morūq; diſſolutionē effictæ, vix oras illas, in quib⁹ exſtitere, trāſcēderūt; licet alioquin vitiū & improbitas, naturā ſuā multò facilius multiplicetur, q̄ virtus, ſicut lolium & zizania, ſemper citius & vberius proueniunt, q̄ ipſe lætæ, hominumq; vſui accommodatæ ſegetes.

An vis Societatem Ieſu omnibus aliis ſtatibus *præuallere*, ita vt ſecundum illud: *Plus poteſt qui plus ualet*, omnes alios ſtatus opprimat & peſſundet? At quem ſtatum politicum oppreſſit? An non Imperator & Reges, Ieſuitis exortis, adhuc ſua ſceptra tenent? An non Principes, aliiq; populorū rectores, & paſtores ſubditos ſuos adhuc ditione tenent? Et, vt ad Eccleſiaſticos ſtatus veniam, Pontifices, Cardinales, Epifcopi, aliiq; prælati Eccleſiaſtici haſtenus nunquam nos accuſarunt, aut de nobis conqueſti ſunt, quaſi noſtra violentia ſub iugum miſſi ſint. Ius ſuum ſingulis integrum conſtat; aut ſi noſti vim alicui ſtatui aut gradui à noſtris allatam, ede nomen, dicamq; ſcribe, & de vi nos poſtula. Ais: *Luce clarius eſſe, omnibus intelligentibus hunc ordinem exoſum eſſe*. Stultum eſt, inquit ille, *obiicere, qua vnica negatione poſſunt reſelli*. Nego verum eſſe, quod ſcribis. Quomodo probabis? Nec plus, quàm negationem à me quiſquam iure poteſt exigere, cum *reſpondere accuſantibus*, vt Lactantius auctor eſt, *in deſenſione aut negatione ſola poſitum ſit*. Vt tamen ſingulis,

Num ſocietas
ſit omnibus in-
uiſa.

Lactant. lib. 5.
cap. 4.

gulis, quæ nobis obiiciūtur, *reſpondeam; neq; ſimpliciter eā negando* (quod olim metuebat Athenagoras) *riſu excipiar*; ab iis, qui quid ſit reſpondere accuſantibus, neſciunt, reſpondeo: Si *intelligentium* nomine intelligas Calviniſtas, aut Calvinopapiſtas, aut Lutheranos, aut aliterius cuiuſcunq; ſectæ Hæreticos (*quibus eſt eſt in ap- pellatione diuerſitas, tamen eſt in hæreſis prauitate coniunctio, & diſpar quidam nomen, ſed idem ſacrilegium*) tum non coinficias, Ordinem hunc omnibus *intelligentibus* eſſe odioſum; hoc tamen contendo, hos *intelligentes*, eo ſenſu dici *intelligentes*, quo olim quidam Hæretici dicebantur *Gnoſtici*, hoc eſt, *cognoſcentes & periti*, cum eſſent rudiffimi & imperitiſſimi; Quidam, Cathari, hoc eſt, *mundi, & puri*, cum eſſent immundiſſimi & impuriſſimi; Quidam Noëtiani, à mente & intelligentia, quaſi *intelligentes*, cum eſſent ſtupidiſſimi, & quouis trunco hebetiores. Si ergò iſtos tuos nominas eadem antiphrasi *intelligentes*; itemque ea, qua nos Germani *fatuos & amentes* vulgò appellamus *Doctores*; tum aſſentior, palamq; profiteor, Ordinem hunc, omnibus his *intelligentibus* odioſum eſſe & inuiſum.

At ſi *Intelligentium* vocem uſurpes ea notione, qua ab intelligentibus uſurpari ſolet: tum affirmo, luce clariuſ liquere, omnibus *Intelligentibus* Ordine hunc gratum & acceptum eſſe; & ſi qui reperiantur, alioquin intelligentes, qui minus benigno in nos ſint animo, id inde prouenire, quod inſtitutum noſtrum parum intelligant: ſi intelligerent, non modò non odiſſent, ſed & impenſè amarent. Huius rei alium teſtem non laudabo, quàm experientiam, & hanc tantam, quam tu deploras Societatis propagationem. Si enim *Intelligentes* intellexiſſent ordinem hunc literis, probis moribus, & Catholicæ fidei

Athenag. A-
polog. pro Chri-
ſtiani.

Quos nomine
intelligentium
intelligat Hæ-
reticem.

L. Quicunq;
C. de Hæreticis.

facrosanctis scitis tradendis, conseruandis, serendis, & amplificandis non esse appositum, & apprimè vtilem, vti que eum nunquam tam paternè defendendum, ornādum & propagandum suscepissent. Cæterum cur ordo noster omnibus admirationi, tuis autem *intelligentibus* etiam inuisus sit, duas causas reddis, *opes scilicet & honores, præclarissimos, vt ais, Reipublicæ flores.*

At enim si probis admirationi sumus, certè propter opes & honores admirationi non sumus, sed (liccat vera fateri, quandoquidem ita cogit aduersarius) propter virtutem & eruditionem, quæ in hac Societate claret, & ob singulare illud Dei patrociniū, quo cœpta huius Societatis prouehuntur. At improbis easdē ob causas odio sumus; non propter opes, quas nullas in specie possidemus, in communi autem, si quas habemus, illæ nec ad eō immodicæ sunt, vt tantam admirationem vel inuidiam ciere queant, nec magis ad priuatum quemque pertinēt, quàm bona totius Reipublicæ communia ad singulos ciues. Honores autem præ cæteris eximios nullos admittimus, nisi fortè tam inuidendus honos istis videatur, munus docendi in scholis & templis; quo honore non soli ordinis nostri homines insigniti sunt; sed & alij, qui cathedras vel scholasticas vel Ecclesiasticas obtinēt.

Sed vt ipsum fontem opum nostrarum ostendas, *quorumlibet, inquis, parentum & cuiuslibet cognationis adulescentes sibi abripiunt.* Non abripiimus, sed petentes & volentes recipimus, nec fortunas ipsorum, sed ipsos quærimus, hoc est, virtutem & indolem disciplinis aptam, siue à fortunæ bonis instructi sint, siue secus. Satis nobis opulentus est, quisquis probus & ingeniosus est. *Virtus omnia in se habet, ait ille, omnia adsunt bona, quem penes est virtus.* Quot, inquis, à Pontificibus pralaturarum incorporaciones,

quot

quot ab aliis religiosis Ordinibus monasteria & prædia; quot à reliquo clero per assistentiam principum decimationes; Quot vacantium bonorum confiscationes, quot adolescentum ab ipsis pelleretorum hereditates, quot piorum simplicium donationes & Eleemosynas, quot laborum, operæq; veluti stipendia, ex seminariarum gubernatione, obtinuerunt? ita quidē per vniuersum mundum opibus abundant, vt hoc in genere, vix sint vlllo hominū ordine inferiores. Tam verum est, quod his tuis interrogacionib; subnectis, vt nullo negotio tria quatuorue notissima monasteria tibi nominare liceret, quorum quodlibet sigillatim, annuos prouentus plures & ampliores habet, quàm omnia collegia, quæ in prouincia superioris Germaniæ incolimus, habemus autem in vniuersum sedes tredecim, & incolæ non pauciores quinquaginta supra trecentos censentur. Iam verò si vel quatuor vel quinque huiusmodi monasteria simul cum redditibus nostris comparemus, tum fidenter affirmo, annum veltigal, quod capiunt; grandius esse, quàm sint redditus omnium Collegiorum quæcunque in Belgio, Rheno, superiore Germaniæ, & in Austria extruximus. Quàm ingens igitur mendacium tibi excidit, cum Iesuitas opibus ita abundare scribis, vt *vix vlllo hominum ordine sint inferiores?* Nonne infinitis partibus inferiores sunt Ordine Benedictino, Cisterciensi & id genus aliis? Testatur Trithemius, sua ætate, hoc est, ante centum viginti años, in sola prouincia sua Moguntina existisse adhuc *centum & viginti quatuor* integras Abbatias, additque; fuisse tempus, quo familia Benedictina habuerit *quindecim millia* Abbatiarū, præter *Præposituras* & minora cœnobia. Quid nostri redditus ad istos?

Sunt non pauci, quorum singuli vel ratione officij, vel sacerdotij longè largiores prouentus habent, quàm integrum

De opibus Iesuitarum.



integrum Collegium; Quot enim reperitur est Collegias
 quæ vix mille aureos quotannis capiant: vel mille quin-
 gentos pro quindecim aut viginti personis alendis, cum
 è contrario multos multi norint, ad quos, vt dixi, seu ex
 officio seu ex beneficio, bis, ter, quater & amplius mille
 aurei in singulos annos redeant; nec hæc eo fine à me
 commemorantur, quasi cuiquam sua commoda inuide-
 amus, non adeo liuidi sumus, sed vt demonstrẽ, istum
 criminatorem, nullũ calumniãdi modũ facere, cum scri-
 bit nos vix vllius Ordinis hominibus, quoad diuitias,
 inferiores esse. Quæso sumus ne ditiores Pontificibus,
 Cardinalibus, Episcopis, aut religiosis familiis quas an-
 tea recensui, & aliis, quas non recensui? sumus ne ditio-
 res Imperatoribus? Regibus, Principibus, Rebus publi-
 cis; nam & his gazas nostras præfers, cum, vt ais; *Iesuite,
 diuitis vix vlllo hominum ordine sint inferiores.* Et ne de so-
 lis summatibus loquamur, superatne opulentia nostra
 opulentiam plurimorum, qui priuatam vitam ducunt,
 nullaque vel generis claritudine vel officij dignitate præ-
 cæteris sunt insigniti? lege, oro, quæ de immensis nostro-
 rum in Gallia thesauris in Apologia aduersus Arnoldũ,
 scriptis mandauit Franciscus Montanus. Adiunge & illa,
 quæ ipsimet Gallicani Iesuitæ de eodem argumento re-
 censent in Apologia sua ad Christianissimum Franciæ
 Regem. Vtraque Apologia Gallicè & Latinè exstat. E-
 uolue, forsan commentum tuum agnosces.

Sed vt singula exempla tua excutiam, & ex interro-
 gationibus, quibus ea inuoluis, euoluam; *Multas, inquis,
 obtinent Prælaturarum incorporaciones;* ita enim tu tricor-
 poris Geryonæ frater loqueris: Addis tamen, *à Pontifici-
 bus;* iure ergo eas obtinemus, quando quidem voluntate
 & consensu summi Pontificis eas obtinemus, summi in-

*Quo iure So-
 ciet. possident
 bona Ecclesia-
 stica.*

11037111

quam

quam Pontificis, cui in Ecclesiastica bona ius & facultas
 transferendi & permutandi ea, prout vsus Ecclesiæ, & a-
 nimarum salus expetit. Quis vobis seu Calvinistis seu
 Calvinopapillis, tot prælaturas, quas occupastis, *incor-
 porauit?* Tuis enim verbis vtar, vt me intelligas, quis, nisi
 diabolus, pater & summus Pontifex vester?

*Multa, inquis, ab aliis Ordinibus Religiosis Monasteria &
 prædia obtinent.* At certè non tot, quot Calvinistæ & Cal-
 uinopapistæ. Non tot quot Lutheristæ, quos inter & nos,
 hoc etiam discrimen intercedit, quia nos, volente & an-
 nuente pontifice, ea obtinemus, vt ipse confiteris, ergo li-
 citè. Edite vos vicissim titulũ, qui probet, vos tot Mo-
 nasteriorum & Monasticorum prædiorũ non prædones,
 sed legitimos possessores esse, vt taceã hîc, quod Lermæo
 fusius exposuit: cum quid ad nos transfertur, succedere
 Catholicos Catholicis, religiosos religiosis: at cum vos
 bona Ecclesiastica inuaditis, subire in locum piorũ, im-
 pios: purorum, impuros: proborum, improbos, & scele-
 ratos. Sed de translatione Monasteriorũ infra copiosius.

*In Apolog. con-
 tra Lermaum
 Calvinistam.*

*Multas, inquit, obtinent decimationes per assistentiam
 principum.* At neque tot & tantas, quot & quantas Cal-
 uinistæ per summam iniuriam occupant, Clericis & Mo-
 nachis summo scelere ereptas. Deinde, si ope principum
 decimas habemus, si quas habemus; iure ergo illas habe-
 mus: quia principes Catholici, nihil contra ius faciunt
 in huiusmodi donationibus & translationibus, cum id
 non faciant, nisi grauissimis causis impulsĩ, nec incon-
 sulto Pontifice, si rem sua auctoritate trãsigere nequeãt.

De decimã.

*Multas, inquis, Adolescentum ad se pellerorum hære-
 ditates obtinent.* At multò plures inter nos reperias, qui
 nihil hereditatis attulerint, quàm qui attulerint, quan-
 do quidem cuius liberum est, vt suam hereditatem re-
 linquat,

*De hereditatẽ
 huius.*

B

linquat,

linquat, cuicumque velit, Societasq; neminem cogat, vt quidquam collegiis nostris de fortunis paternis destinet. Quia verò ex hæreditatibus nostrorum, adeo nos locupletatos credis, optarem mihi nominari aliquos, qui tam opimas hæreditates attulerint, quam opimam attulit sanctus Gregorius Magnus, qui monachus factus ex patrimonio suo septem monasteria condidisse & fundasse fertur. Sed ponamus aliquot ad Societatem attulisse patrimonium decem, viginti, triginta aut quadraginta millium: quæso, qui hæc hæreditas tot & tantos locupletet? Quadraginta millia conficiunt quotannis duo millia, quot, vt antea dixi, multi Ecclesiastici & sæculares ratione muneris, quo funguntur, vel ratione beneficij, quo fruuntur, quotannis percipiunt. Et diuitiæ plus quam Persicæ reputabuntur, si viginti aut plures incolæ ex huiusmodi censu sustententur?

De donationibus.

Ecclesiast. 2.

Multas, inquis, obtinent piorum simplicium donationes & eleemosynas. Pij sunt, sed simplices, qui Iesuitis benignè faciunt; verum iudicio hominis duplicis, cui Ecclesiasticus his verbis benè ominatur: *Va duplici corde, & labiis scelestis* (quæ cum duplici corde semper coniuncta) & *manibus malefacientibus* (scribendo libellos famosos) & *peccatori terram ingredienti duabus viis*, more tuo qui Calvinista es & Catholicus. *Ditantur*, inquis, *ex eleemosynis simplicium*; quia religiosus aliquid largiri, simplicitati adscribitis; at rapere & suffurari, quæ simplices illi religiosus donarunt, id videlicet, te iudice, artis est & ingenij. Videris mihi probare illam Plauti sententiam, quam Lactantius non iniuria detestandam nominat: *Malè meretur, qui mendico (Iesuitæ) dat quod edat, nam & illud quod dat, perit, & illi producit vitam ad miseriam.*

Lactant. lib. 7. cap. 2.

Num ex Seminariis, quibus præest, societas

Laborum, inquis, operumq; veluti stipendia ex seminariorum gubernatione, & copiosa inuenturis conuictu capiunt. Cęptam

ptam infra viam, vt video, semel mentiendi campum ingressus; alacri pede pergis, vt mihi meliorem frugem, & veritatis amantiorem mentem de te, progressu orationis, nequaquam polliceri possim. Omni stipendio nobis beatæ memoriæ Pater noster Ignatius interdixit hoc edicto: *Omnes meminerint se gratis dare debere, quæ gratis acceperunt, nec postulando vel admittendo stipendium vel eleemosynas vllas, quibus Missa vel confessiones, vel predicationes, vel quoduis aliud officium ex iis, quæ Societas iuxta nostrum institutum exercere potest, compensari videatur, vt sic maiore cum libertate possit, & proximorum adificatione in diuino obsequio procedere.* Nec quidquam emolumentum redit ad collegia ex conuictorum domibus; sed si quid per rectam rei familiaris administrationem superest, id in vsum ipsorum conuictorum expenditur; itemq; in facta tecta domus; & in alia, quæ quotidie, in numerosa aliqua familia, occurrunt. Quod Gregorius Nazianzenus de se, hoc & Societas generatim, & quiuis in Societatem adscriptus speciatim profitetur. *Melius est mihi mori, quam vt gloriatio mea euacuetur, ac mihi promulgati Euangelij merces pereat, si hic laborum messem fecero. Euangelij enim predicatio necessitatis est: munificentia autem & laus in eo sita est, vt gratis hoc munus obeamus.* Hæc ita sese habere, nouimus non modò nos, sed & alij, qui propius res nostras norunt, nec ignotum esse potuit huic Apostatæ. At si id sibi notum esse dixisset, tum mendacis ingenij sui exercendi materiem sibi præcidisset. Pergis: *Ad honores ipsorum quod attinet, primas ubiq; obtinēt cathedras.* Non sumus vbiq; quomodo ergo vbiq; primas obtinemus cathedras? Deinde plurimis locis, vbi degimus, primas cathedras nos non tenemus: testis Salmantica, Complutū, Patauium, Bononia, Louanium, imo & ipsa Roma, vt alias Academiis prætereā. Accedit, quod primas cathedras tenere, &

aliquid lucrò capiat.

Nazianzenus orat. contra Maximum.

De honoribus Iesuitarum.



legitimè sibi delatas acceptare, omni crimine vacat, alioquin nullus licitè eas teneret; at primas cathedras ambire, & non tam virtute & eruditione, quàm honoris cupidine eas querere, id demum cuius rectè datur crimini.

Vix, inquis, aliquè reperies, qui eosdem contristare aut eorū voluntati repugnare facile audeat. Nimis felices essemus, si id ita esset, & ppè dixerim, Deo maiores, cuius voluntati quot repugnare audeāt, sine meo admonitu, satis, vt opinor, intelligis. Quàm multi etiā eundē, tot sceleribus & flagitiis cōtristent, (quantū quidē in ipsis est) notius est, quàm vt multis verbis sit explicandū. Deinde, te soleñe tuū hic tenere, hoc est; mēiri, ipsemet probè animaduertis; si enim nemo nostrę volūtati repugnare audet, vnde tot aduersus nos famosi libelli? Vnde tot picturæ & sculpturę? vnde tot Prędicantiū, Ministrorum, & poëtastrorū in nos maledicta, conuicia, scōmata & dieteria? vnde tot obtreccationes, detractiones, & irrisiones? *Iesuitarū, inq̄s, fauorem ad qualibet consequenda, necessarium sibi pleriq̄ existimare videntur.* Falluntur, qui ita existimant: sicut & tu falleris, dū plerosq̄; ita existimare, seu ioco seu serio existimas. *Qui enim pleriq̄; ita existimant, cū pleriq̄; familiariter nobiscū non agant? & qui pleriq̄; ad quælibet cōsequēda nostro fauore nituntur; cū nec rationes conscientię, nec Religiosę vitę permittant, vt quemlibet ad quælibet consequēda iuuenus? Quid si quis speret infulam, si purpureum galerum, si quod amplius, triplicē coronam; si speret regnum, principatum, & vt ad minora descendam, Dynastiam aliquam inferiorē, num Iesuitarum ad hæc omnia obtinenda egebit subsidio? Quod si quis speret regnum cęlorū, & gloriam illam interminatam; non quidem nostro egebit fauore, quando quidem sine illo sempiternas illas opes nancisci poterit, si tamen eo vti velit, non patiemur nostras partes desiderari.*

Cupio

Cupio autem, vt mihi confocias ista tua dicta; cūm ais, plerosq̄; Iesuitarum fauorem, ad qualibet cōsequenda, sibi necessarium ducere, & vt eundem capent, honorem Iesuitis exhibere. Et rursus: *Omnes Iesuitas insensissimos esse;* Fierine potest, vt si oēs sint Iesuitas insensissimi; eosdem present, & tot honoribus cumulent? Tibi ergo aut in limine tui libri contradicis, aut plerosq̄; hypocritas facis, qui aliud promptū in lingua, aliud in pectore conclusum circumferant, quomodo enim insignis simulator non est, qui eum, quem pessimis modis odit, prensat & affectatur? qui multas & magnas honoris significationes edit, qui denique aliud loquitur, & aliud sentit, ingenti pectoris & lingue dissidio?

In adolescentibus, inquis, à maioribus suis auocandis, adeo sunt periti, vt nec seniores quoḡ, pleriq̄, sibi ipsis tuti ab illis esse possint. Nos à maioribus adolescentes nō auocamus, sed Dominus tam parentum, quàm iuuenum auulsos à stipendiis mundi ad sua castra vocat; ille, inquam Dominus, qui dixit: *Veni separare hominem aduersus patrem suum, & filiam aduersus matrem suam, & nurum aduersus socrum suam.* Cui impediēdo, nemo, licet quauis Sibylla annosior, satis peritus est: simul atque enim ignis ille, quem venit mittere in terram, exardere ceperit in intimis animi recessibus, mora nulla vocatos, & diuino astu calefactos retardare potest quin ad vexillum Crucis euolent; licet cacodæmon, eiusque satellites hæretici, & pseudocatholici frendeant contra homines, qui vocantis aliquando duntaxat sunt organa.

Verūm his commodius responsum non dabimus, quàm illud diui Ambrosij, quod dedit, cūm simili de re accusaretur: *Accusati, inquit, sumus, criminis autem inuidia hæc est, quia suadeo castitatem; qui hoc non libenter accipit, ipse*

B 3 se pro-

Contradictio aduersarij.

De adolescentibus in ordinem nostrum adlega solitis.

Matth. 10.

s. Ambros. lib. 3. de Virginit.

se prodit. (nota hoc Calvinopapista) *Virginitatem, inquit, doces, & persuades plurimis. Utinam conuincerer, utinam tanti criminis probaretur effectus, non vererer inuidiam, si efficaciam recognoscerem. Atq; utinam me exemplis potius redargueretis, quam sermonibus caderetis.* Paulò post: *In me facta conditio mutatur, ut pro opprobrio mihi cedat, quod semper spectauit ad gratiam sacerdotum, iacere semina integritatis, & virginitatis studia prouocare: quero enim, utrum quasi improbum hoc, an quasi nouum, an quasi inutile reprehendant: si quasi improbum, improba ergo sunt vota omnium, improba est vita angelorum, quam gratia resurrectionis imitatur. Qui enim non nubunt, neq; nubentur, erunt sicut Angeli in celo: qui hoc utiq; reprehendit, resurrectionis vota condemnat. Itaq; improbum videri non potest, quod hominibus pro premio constitutum est, nec potest eius rei species displicere, cuius veritas & in fructu est, & in voto.* Habes ad tuam calumniam non meam, sed sanctissimi Ecclesie doctoris Ambrosij defensionem, qui pulcherrimè deinceps ostendere pergit, neque nouum, neque inutile esse, ut homines ad castitatis, hoc est, ad religiosæ vitæ professionem incitentur.

Quo consilio
Hæreticus suum
librum
scripserit.

Vanitas eius.

Subiungis: *Hæc cum ita sint, ac communi in Republica Christiana omnium admiratione, & insolita quoq; animorum commotione non careant, operæ pretium erit, ordinis huius rationes, toti mundo, ad commune bonum Ecclesie, & bonorum omnium exponere. Quasi verò ante tuas calumnias mundus nesciuerit, quo artificio, & quibus mediis Iesuitæ, homines ad Deum, ad virtutem, & ad omnem honestatē adducant. An non docebant in scholis & templis? Annon priuatim versabantur cum cuiusuis conditionis hominibus, antequam desertor iste cum veste religiosa frontem exueret? Toti, inquit, mundo operæ pretium erit exponere, rationes ordinis huius.* Multum tuis chartis polliceris; vanus

vanus augur; vix vnus aut alter nescio quis calumnias tuas euoluit, aliisque perpauca in angulis & gurgustis euoluendas obtrudit; tantum abest, ut totus mundus arrectis auribus ad tuas criminationes adstet; nam librum Germanicum ex latino tuo versum, & ab hæreticis publicatum, si qui legent, Hæretici Germani legent, qui, ut opinor, non sunt totus mundus, cum tota Germania, cuius bona pars Catholica, non sit totus mundus.

At lepidum est, quod ais, *Te hunc laborem capisse, incitatum desiderio promouendi boni Ecclesie.* Cuius, oro, Ecclesie, Christi, an Caluini? si Christi, tum certè Celsum quoque Epicureum, & Iulianum Apostatam, boni Ecclesie Christi promouendi studio, animum ad scribendum appulisse credam; mecumq; quiuis æquus rerum arbiter credet. Si Caluini, tum non abnuo, te synagogæ illi præclaræ operam nauasse, coronamq; vel muralem vel obsidionalem meruisse, quam sine dubio Ecclesia Caluini tibi iam decreuit, aut propediem decernet, cum tam feliciter explanaris, qua via & ratione, Iesuitæ ad tantas opes & honores peruenerint, Ordinemq; istum, ut Neptunus Troiam, ex imis fundamentis euerteris; quod tamè dum facis, seponis interea Ecclesie auctoritatem: *Omitto, inquis, interea Ecclesie sanctæ confirmationem.* Rursus imitaris, *verba bonitatis*, quod, ut ille ait, *maior malitia est.* Quid enim Ecclesie sanctæ vocabulo intelligis? An Ecclesiam Catholicam Romanam? An Caluini Ecclesiam, quæ per antiphrasin *sancta* dicitur; sicut Furiæ, Eumenides? Videris quidem Ecclesiam Romanam intelligere. Sed quæ tibi *sancta*, quam deseruisti? Si hæc sancta, ergo illa, ad quam te transtulisti, non est sancta: Quia Ecclesia est vna, sancta, Catholica. Video tamè te dum hypocritæ personam insigniter agis, verum dixisse, seu gnarum seu ignarum:

Omitto.

Omitto, inquis, dum Societatem Iesu oppugno & traduco, Ecclesia sancta confirmationem. Verè omittis, hoc est, spernis & vilipendis, quia si Ecclesiam sanctam, vel vnus assis æstimares, quo ore oppugnares ordinem ab Ecclesia sancta tot diplomatis approbatum, & confirmatum, totque priuilegiis exornatum, ordinem, ipsius Ecclesiæ iudicio, Ecclesiæ fructuosum & vtilem, & iisdem, quibus Ecclesia finibus circumscriptum?

Ecclesia, inquit, vt de apertis tantum indicat, quæ ab illis aperte proponebantur, ita etiam tantum confirmauit ea, quæ à Iesuitis aperte proponebantur, legem nimirum charitatis, ad quam se omnia composituros recipiebant, studium scientiæ, & curam salutis proximorum promouenda. At modos opes corrãdendi, honores ambiendi, iuuentutem seducendi non approbauit Ecclesia. Ergo institutum nostrum, vt video, & media iuuandi proximi, quibus vititur, non oppugnans; quia hæc omnia ab Ecclesia sancta approbata & confirmata sunt. Itaq; tantum abusus quosdam, seu potius vitia, euersum & oppugnatum is, auaritiã videlicet, ambitionem, & iuuentutis seductionem. Cæterum hîc aliud loqueris, aliudq; totus tuus liber loquitur & agit; qui non abusus & vitia quædam insperfa, sed ipsum, vt ita dicam, Societatis itugulum petit. Secundò, si de nauis quibusdam duntaxat laborabas, cur non ordine charitatis seruato, prius nos priuatiim cõmonuisti, vt iubet Christus, cum legem fraternæ correctionis tradit? Si monendo nihil profecisses, tum dicere licebat Ecclesiæ, sed Catholicæ; non hæreticæ, tum libellũ scribere poteras, & offerre Ecclesiæ Præsulibus, non calendariorum & mendaciorum nescio cui opifici, & scatophago Machaoni, aliisque scetariis, qui libellum tuum in Germanicam linguam cõuertérunt, & sub nomine cõmentitio cuiusdam Georgij Heskelyj publicarunt.

Tertiò,

Tertiò, si Catholicus esses, non fugeret te, quàm sub prætextu abusus & vitiorum, quæ irrepserint, multa milia Monasteriorum & religiosarum Ædium sustulerint Nouatores; & quàm vanè abusus prætendant, vt Deo dicaras familias funditus euertant. Debebas ergo hanc rationem nos oppugnandi vitare, ne prudentiores suspicarentur, te sub abusu, tanquam sub testudine, ad ipsa Societatis nostræ fundamenta subruenda adrepere velle; more aliorum hæreticorum; neque vulgo leui danda erat occasio, vt rem cum rei vitio, vsuque cum abusu præproperè, vt solet, damnaret: quippe quod aut nesciat, aut nolit, inter vsu & abusu, remque ipsam & vitium aduentitium discernere, solitum, dum vitem putat, radicitus eam excindere.

Quartò, sat manifesta documenta edis, qui sis, & quid moliaris, scilicet ob gazas Perficas, ob honores immensos, ob iuuentutis deprauationem, nos tot conuicis insectaris. Hæreticorum ista cantilena est. Vox tua professionem & mentem tuam arguit. Hæretici, opes Midæ aut Cræsi nos possidere somniant, quia etiam modicæ illæ facultates, quas patronorum nostrorum munificentiã & liberalitate possidemus; nimis sunt, eorũ iudicio, qui fame & egestate enectos nos discipiunt. Hæretici, cū vident adhuc reperiri, qui nobiscum honorificentius agant, quàm ipsis placeat, immensis honoribus nos cumulari exclamant. Hæretici, cū vident, nos, iuuentutem litteris & bonis moribus informare; & aliquando consiliis nostris eò adducere, vt rebus mortalibus vale dicant, portumq; Religionis subeant; vociferari solent: iuuenes à nobis deprauari, seduci, circumueniri. Ergo quorum voces imitaris, eorũ etiam nomen ne perhorrescas. Quod es, id & esse, & dici velis. Vt tua vita, quam viuissacoret,



raceret, at chartæ istæ hæreticum te esse, planum testatumque facerent.

Videndum est, inquis, quibus fundamentis hic rerû progressus nitatur. Si de progressu & propagatione Societatis loqueris, alio fundamento non nititur, quàm diuinæ beneuolentiæ propitia aura. Si loqueris de progressu ad immensas opes, honores, inuentutisq; deprauationem, nullo alio fundamento nititur hic progressus, quam fanatico tuo, tuique similibus calumniatorum cerebro; fictitius enim totus iste progressus est, & excogitatus ab his, qui nos perditos volunt. Addis, si communi ratione religionis niteretur, æqualis esset aliorum religiosorum conditio. Si communi pietatis aut doctrinæ fundamento, neq; hæc aliis ordinibus desunt. Causa, cur vnus Ordo aliis magis multiplicetur, non est præcisè ipsa religionis ratio, alioquin omnes omnino Ordines pari incremento amplificarentur: sed causa vel in modum Ordinis illius, rationemq; viuendi, & in plura media procurandæ salutis proximi, quibus utitur, vel in singularem Dei beneuolentiam, vel in multitudinem piorum, qui huiusmodi Ordinem amplectuntur ipsi, aut eritis & dotatis domiciliis ad sese aduocant, vel in hæc omnia simul referenda est. Easdem ob causas vel omnes vel aliquas, fit, vt vnus Ordo hominibus quoque gratior sit & charior, quàm alius: vtq; maiorem existimationem de hoc, quam de illo concipiant, vtq; huius professores plus, quàm alterius suspiciant, reuerentur & venerentur.

Quæ causa sit, cur noster Ordo, tam breui tempore, tantis successibus excreuerit, & tam multitudine hominum, quàm opinione & fama virtutis & eruditionis ad auctus sit, meum non est dicere, aut si dicam, nihil aliud, quàm illud Dauidis dicam: *Non nobis Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam.* Totum istud beneficium ad originem

Quo fundamento res Societatis nitatur.

Psalm. 113.

ginem suam, vnde processit, remittam, ad diuinam videlicet gratiam & clementiam, quæ, his nouissimis temporibus, per Ignatium, huic Societati, inter familias Dei minimæ hanc gratiam contulit, vt gratiam inueniret in oculis Ecclesiæ, & quidem tantam, quantam inuidi Ecclesiæ hostes capere & concoquere nequeunt. Itaq; non est, quod à me expectes respõsum, quod hic tibi ipse fingis: *Dicent fortè illi, inquis, hæc propria sua religionis pietatis ac doctrinæ ratione niti.* Nemo nostrum hanc nostram felicitatem pietatis & doctrinæ nostræ adscribit. Nemo pius & doctus tam magnificè sese circumspicit, cristasq; aded erigit. Nemo pietatem & eruditionem, propriam nostræ Religionis esse asserit. Floruit pietas & eruditio in aliis Ordinibus, antequam nos nasceremur; & floret adhuc, florebitq; in dies magis, licet inferotum portæ & copia gemant & fremant.

Sed cur pietas & eruditio Societatis, non sit causa tam prosperi successus, aliã tu causam reddis his verbis: *Qui inter ipsos religionis suæ obseruantia, pietate, & doctrinâ excellentiores ab ipsis quoq; iudicantur; ad progressum hunc, de quo loquuntur, & ad ipsorum usum, & ad gubernationem minus idonei consentur.* Nõ vtar multis ambagibus, sed sicum, nominabo sicum, & scapham, scapham. Mētiris, pseudocatholice. Nullos ad vsus nostros aptiores iudicamus, quã qui obseruantia regularû, pietate & doctrinâ maximè excellent. Nulli magis Societatis commoda propagant, nulli plus emolumentum proximo adferunt; nulli electiora & magis apposita diuinæ actionis instrumenta sunt; q̃ qui obseruantia regularû, pietate & doctrinâ maximè excellent; Nulli Societati, hoc, qdqd habet vel nominis vel auctoritatis; magis conciliarunt, aut adhuc conciliant, q̃ qui obseruantia regularum, pietate, & doctrinâ maximè excellent.

C. 2. 511. A.



At tu mendacium mendacio probas; *Argumento, inquis, est, quod ex primis illis decem, qui ordinē hunc crexerunt, nonnullos, ac alios quosdam professos, omnium opinione, viros integerrimos, ad consultationes & congregationes non admittant.* Quamdiu ex primis illis decem patribus aliqui supstitites fuerint, ius habuerūt, veniendi ad Congregationes totius Societatis, quas *generales* nominamus. Quilibet itē, tanq̄ professus ius habuit, vt interesset congregationi eius prouinciæ, in qua degebat; & ius cuius adhuc quatuor votorum professo integrum manet, nisi q̄ non ita pridem sancitum est, vt professorū numerus 40. vel 50. numerū non excedat, quando ad prouincialem Congregationem conuenitur, ita vt professione antiquiores antecedant recentiores, si plures sint, quā quadraginta aut quinquaginta. Quid ergo tu fabularis de primis patribus, aliisue multis professis, *viris integerrimis*, exclusis à Congregationibus & à consultationibus?

Qui admittuntur ad Congregationes Societatis.

Nam quod ad congregationes Procuratorum, vel etiam Generales, non admittuntur omnes professi, quicunq; sunt in Societate, vel etiam Romæ; id ideo fit, tum quia cōtrarium fieri nequit; quomodo enim omnes professi Romam proficiscerentur? tum, quia hoc quod fit, ita à patre nostro Ignatio in Constitutionibus præscriptum est, cuius vestigiis insistemus, licet tu, cum tui similibus malè contentus murmures. Tum denique, quia ex professis, ipsorum professorum suffragiis, eliguntur, qui Romæ Congregationibus intersint; ita vt illi, qui mittuntur, sint quasi singulorum Vicarij. Non ergo æquum, vt quis se exclusum queratur, cum admittantur illi, qui loco omnium legantur, omniumq; vice funguntur. Quare calumnia est, quod scribis: *Aliquos ex primis patribus, aliosq; professos, viros integerrimos, velut inutiles, & nimis simplices fuisse exclusos.* Nullus enim excluditur, qui legitimè

ad

ad hoc, vt congregationibus intersit, eligitur, quicumque ille sit: Si non eligitur, non excluditur, quia non cupit interesse, cum sui muneris non sit interesse; Excludi autem is dicitur, cui volenti aliquo peruenire, seu iure seu iniuria, aditus occluditur: nam si nec cupias nec tentes alterius eades ingredi, non excluderis, licet alter fores obferet. Quod si quis non electus interesse conaretur, iam *vir integerrimus* non esset, & tum diceretur *exclusus*, sed exclusus iure optimo, cum se eò loci ingerere velit, quò licitè nec potest, nec debet.

Pergis. *Aliis igitur practicis factiunculis, seu astutiis quibusdam rem totam niti, ipsorum quoq; loquendi modus indicat.* At quis iste modus loquendi, ex quo tam argutè coniciis Societatem nostram nō niti diuina gratia & beneuolentia, sed *practicis quibusdam, vt ais, factiunculis? Vbē nonnullos viros, inquis, apprimè religiosos, pios, & doctos ad res suas intimè tractādas non admittunt, aliam rationem non adhibent, nisi quod nimis simplices illos esse asserunt.* Falsum scribis; Si qui non admittuntur ad Congregationes, causa est, quia nec professi; nec superiores sunt. Quando in numerum Professorum aut Superiorum allegentur, tunc admittentur. Qui autem non admittuntur ad congregationes generales, vel eas, quibus singularum prouinciarum Procuratores conueniunt, propterea nō admittuntur, quia à professis & superioribus suæ prouinciæ, ad id destinati non sunt; & causa cur destinati non sint, non est *simplicitas*, si sunt *virī apprimè religiosi, docti & pī*, vt ais: sed quia fortassis alij sunt religiosiores, doctiores, pietate præstantiores; & aptiores ad hoc munus; vel certè æquè religiosi, docti, pī, apti.

Sed iam notionem simplicitatis nobis explicas. *Simplices, inquis, illos vocant, non quidem simplicitate, quæ prudentia*

C 3

dentia



dentia opponitur; nam praterquam, quod ipsi non solent stultos ad Societatem suam admittere, tanta quanta in illis est, religio, pietas, & doctrina non potest esse sine prudentia. Superest, igitur, ut simplices intelligant ea simplicitate, qua astutia opponitur. Primum, si quos vnquam pios & doctos audiisti vocari simplices; forsan eo sensu nominabantur tales, quo Iob, & Iacob Patriarcha viri simplices in Scriptura nominantur, quales seruator noster desiderat, cum iubet, ut simus prudentes sicut serpentes, & simplices sicut columbae. Si duplex non esses, occasio hanc simplicitatis appellationem sancte explicandi tibi non defuisset, cum diuinae literae, praesertim Salomonis scripta, simplicitatem istam miris laudibus extollant.

Secundò, ne te diu distineam, neue peram, quod te improbitas praestare non sinit, si qui pii, apprimè religiosi, & docti, vocantur simplices, non adimitur eis laus particularis prudentiae, quae proculdubio in quouis pio, religioso & docto viro inest, vna cum annexis speciebus: sed laus prudentiae gubernatricis, cuius vna species legislatricae seu regnatinae appellari solet, cui tanquam adiutrices Eubulia, Synesis & Gnome famulantur, virtutes distinctae ab iis, quae eodem nomine ad prudentiam particularem pertinent. Hac prudentia ad gubernationem spectante, bonumque subditorum intuentem, luce clarius est, multos apprimè religiosos, pios & doctos non esse praeditos, vel quia nunquam elaborarunt, ut in hac virtute excellerent, Theoriae potius, quam actionis, bonum publicum tractantis, studiosi: vel quia natura donum hoc eis negauit: nam ut eadem tellus non fert omnia, ita nec eadem indoles omnia fert: non sunt omnes Nestores, aut Ulysses. Quidam speculatione valent, quidam praxi, eaque circa bonum publicum, aliosque regendos & dirigendos occupata. Quid

Iob 1.
Genes. 25.

Matth. 10.

Quid multa? Vnusquisque proprium donum habet ex Deo, alius quidem sic, alius verò sic. Quare commentum tuum est, simplicem à nobis vocari eum, qui careat astutia. Simplex vocatur, si quis pius, apprimè religiosus & doctus. Hoc nomine apud nos vocatur, qui dono gubernandi & consultandi caret, nec quidquam ideo de laude eius detrahatur, quia nemini vnquam, alioquin, ut tu loqueris, apprimè religioso, pio & docto, crimini datum est, quod consilio vel gubernandi peritia non valeat, imò apud religiosos benè subesse & iussa capeffere, maioris virtutis censetur, quam benè praesse, & mandata aliis edere, & ipse status Religiosus status humilitatis & subiectionis est, & si rerum natura, humanaeque conditionis modus ferret, nullus praeset, sed omnes pari iure viuerent. Quia tamen quaelibet familia corpus est, oportet, ut caput habeat: ne sit corpus monstruosum: Oportet, ut membris sit distinctum, ne sit rudis indigestaque moles. Astutiā, quae vitiū quoddam est prudentiae per excessum oppositum, neque nos, neque nostra sustentamus, & illos simplices, qui hac astutia carent, maximè praedicamus & extollimus, quia, ut Philosophus inquit, astutia & astutus, non est prudentia neque prudens. Et si astutiam illam non refugimus, de qua Sapiens Prouerb. 1. Vi detur paruulis astutia. Et S. Paulus: Cum essem astutus, dolo vos cepi. Haec & id genus alia non ignorasses, si vel quaestiones S. Thomae de prudentia, vel 6. Ethicorum, & alia monumenta Aristotelis euoluisses. Porro quod ais, stultos à Iesuitis non admitti, optarem, ut saltem te excepisses, quia quando admissus es, aut stultus eras, aut stultus futurus eras. Perinde, inquit, faciunt, quasi dicant, ad hanc rem idoneos non esse, nisi factiosos & astutos. Imò nulli magis ad propagationem Societatis inepti sunt, quam factiosi & astuti. Si enim factiosi ad nullius boni amplifica-

1. Corinth. 7.

De astutia.

Aristot. lib. 1.

magnorum Mo-

ral. cap. 33.

2. Corinth. 12.

S. Thom. 22. q.

47. & seqq.



plificationem conducunt, quomodo ad bonum religionis promouendum conducerent? cum factiosi nihil aliud, quam lites & iurgia serant, imò & omnibus suis cõfiliis nihil aliud spectent, quam vt iurgia excitent, & excitata alant. Quis factiosus vlli Reipublice vnquam profuit? Neque astuti bono Societatis promouendo apti sunt, quia simulatè agunt, quicquid agunt. At verum & solidum bonum, quale bonum Societatis, nõ constat simulatione & astu. Nemo eorum, qui ad Societatis clauum sedent, sibi non dictum putat illud Apostoli: *Non ambulantes in astutia, neq; adulterantes verbum Dei.*

Corinth. 4.

Nec dum de astutia finem facis, astuto sanè, hoc est, Calvinistico, vel minimùm Calvinopapistico consilio. *Constat, inquis, illos, qui apud ipsos rem obtinent, astutia magis quàm religione, pietate & doctrina, aut virtute solida excellere. Quibus constat? nobis certè hoc non constat, sed contrarium; Dignum autem admiratione esset, si vobis magis constaret, qui nos regant, quàm nobis, qui regimur. Si vlllo in Ordine opera datur, vt astuti & versipelles ab administratione rerum repellantur, in hoc profectò Ordine vel maximè opera datur, vbi nulli minus ad hoc officium, quàm astuti & vafri apti sunt: virtutibus, & quidem solidis, pietate, & religione, eos excellere oportet, quicumque in hac Societate aliis præficiuntur; vbi ingenia, natura & cultu tam diuersa: vbi amore potius, quàm rigore duci & regi volunt. Si vsquam difficilis est gubernandi prouincia & summæ prudentiæ indiga, in Societate difficilis est, & prudentia vel inprimis eget. Cum difficile sit scire parere, inquit S. Gregorius Nazianzenus, tum multò difficilior esse videtur hominibus imperare, ac præsertim in hoc nostro Imperio, quod in lege diuina versatur, hominesq; ad Deum subuehit; cuius, quò sublimius est fastigium, maiorq; digni-*

Munus gubernandi difficile. S. Gregor. Nazian. Apolog. 2.

dignitas & amplitudo, eò grauioris quoq; periculi metus impendet prudenti vtig. homini & cordato. Superiores nostri ad eius similitudinem accedunt, quem his verbis describit S. Gregorius: *Nam neq; ab eo, cui hæc cura commissa est, hoc solum requiritur, vt à vitio alienus sit, (quod subditorum quoq; plerisq; turpissimum esse censent) verumetiam vt virtute præcellat, iuxta illud scriptura præceptum, quo declinare à malo, & bonum facere iubemur. Nec satis habere debet, vitiosas animas formas obliterare, nisi meliores quoq; notas ipsis substituatur, vitæq; integritate magis, quàm dignitate atq; auctoritate præflet, nec modum sibi vllum honestè viuendi, & in virtute progrediendi constituat, nec lucro potius id, quod complexu tenet, quàm detrimento id, quod effugit, deputer.* Hæc Nazianzenus.

Nunc tecum accedamus ad Epilogum præfationis tuæ, tam elegantem, quàm elegans est totus tuus libellus, qui præ elegantia Solæcismis & Barbarismis vbique scatet, vt non mirer, te in Germania non didicisse sapere, cum ne loqui quidem didiceris, licet alioquin & sapienti & loquendi optima magistra sit Germania. *Esto igitur, inquis, Ordo iste in admirando suo progressu practicis factiunculis & astutiis nititur.* Construat tua verba, & coagmetet, qui volet, & cui plus otij, quàm mihi; ego te nolim docere loqui, opera inani, cum non sapias, quia fons benè loquendi, est benè sapere. *Esto, inquis, Ordo iste nititur practicis factiunculis; Quas practicas factiunculas somnias tu tuis mendaciunculis? nolim enim dicere mendaciolis, ne à rhythmo discedam. Si factionibus niteretur hæc Societas, iam dudum collapsa esset, ad solis Ortum & Occasum, ad Septentrionem & Meridiem non peruenisset. Vidistine vnquam familiam, vel sectam aliquam, factionibus nixam amplificari, & dilatari? An ignoras tritum illud, Cõcordia res parua crescunt, discordia, hoc est, factione & fa-*

De Epilogo præfationis.



Atiunculis, dilabuntur: Vbi cerebrum tuum, ô Caluino-papista, quando hæc & similia scribebas? Fortè ad vltimã Thulen peregrinatum miseris. Fortè cum Dracone Britannico in nouam Hispaniam & Americam traiecerat. *Cum igitur astutia, inquis, nihil sit aliud, quàm ratio agibilium non recta, vbi ostenderimus, quibus rationibus boni-ſti viri in agendo vtantur, satis de illorum fundamentis mundo & Ecclesiæ constabit.* Certè ex hoc tuo scripto de tuis mendaciis & calumniis, de tua tam effronte fronte, de tuo tam excorde corde, plus quàm satis, mundo & Ecclesiæ constabit. Deinde, obsecro, quis ita definiuit astutiam, vt diceret, *esse rationem non rectam agibilium?* si hæc definitio proba est, tunc *stultitia, insipientia, imprudentia: & ignorantia* erit astutia, quia quæuis harum est *non recta agibilium ratio.* Lege, oro, D. Thomã, aut Aristotelẽ, qui te astutius de astutia verba facere docebunt.

S. Thom. 22. q. 55. artic. 3. 4. 5.

Quod ergò benè vertat, ad finem proœmij tui venimus. De cetero vestigia tua fideliter subsequemur, in tuis signis signa nostra ponemus, videbimusque, quomodo nos agere mentiaris cum Pontificibus, deinde cum Prelatis, postea cum Clero, Principibus, populo, iuuentute, & mutuò inter nos, ducto initio à ratione nostra agendi in cõmuni, quæ tibi in generali propositione, aut per incuriam, aut per obliuionẽ excidit. Et si statim post incidit, vt ex inscriptione secundi capitis liquet.

C A P V T II.

De rationibus Iesuitarum agendi incommuni.

ITA hoc caput inscripsit calumniator, vt à calumniis in genere, deferatur postea ad calumnias in specie. Ais. *Hierarchico Ecclesiæ ordini hæctenus sacris legibus ex longo usu constituto, boni isti*

isti viri minimè fauere videntur. Occurrit mihi vulgatum illud prouerbum, ab Athenagora quoque vsurpatum: *Meretrix pudicam.* Quæso te, quis magis fauere videtur ordini Hierarchico, illine qui Pontifices, Cardinales, Episcopos, Sacerdotes, Religiosos, & alios ad Ecclesiasticam Hierarchiam pertinentes, in templis & scholis, publicè & priuatim, verbo & scriptis libris acerrimè defendunt; qui disciplina sua & institutione, innumeros Episcopos, Presbyteros, alios Clericos & Religiosos perpetuò formant; An illi, qui & verbis & scriptis, &, vbi-
Athenag. Apolog. pro Christianis.
Num Societas faueat Ecclesiastica Hierarchia.
cunque per vim licet, factò ipso Hierarchicum Ecclesiæ ordinem lacerat, opprimunt, & ita pessundant, vt ne vestigium quidem eius amplius supersit? Prius faciunt Iesuitæ, posterus tui Calvinistæ, Calvinopapistæ, Machiavellistæ, Politici, & cæteri huius classis.

Videntur, inquis, Hierarchico ordini minimè fauere. At quibus videntur? Tibi, opinor, tuique similibus, quos paulò antè nominaui, quorum iudicio fauere Hierarchico ordini, est non fauere, & non fauere, est fauere, ordine præpostero, quem vos homines præposteri valdè amatis. Sic pastor non videtur fauere ouibus, sed iudicio lupi. Gallina *congregans pullos suos sub alas*, non videtur fauere suis pullis; sed iudicio rapacis milui. Verùm ne temerè asseruisse videaris, nos Ordini Ecclesiæ Hierarchico minimè fauere, probas assertionẽ ratione tanti pretij, quanti est ipsa assertio. *Nulli, inquis, Ordini, nisi vbi è re ipsorum fuerit, debitum honorem & reuerentiam exhibent.* Grauis accusatio, sed tam falsa, vt ab ea totus Hierarchicus Ecclesiæ Ordo libentissimè nos, cõcordi sententia, sit absoluturus. Cum antiquis Christianis ab Ethnicorum vulgo per calumniam obiiceretur, quod Imperatorem Romanum despiciatui haberent, debitaque obseruantia non



Tertullian. A-
polog. cap. 31.

colerent, prouocat Tertullianus ad diuinas literas. *Inspi-*
ce, ait, Dei voces, literas nostras, quas neg, ipsi supprimimus, &
pleriq, casus ad extraneos transferunt. Scito ex illis præceptum
esse nobis ad redundantiam benignitatis, etiam pro inimicis
Deum orare, & persecutoribus nostris bona precari. Pari iure
possem & ego prouocare ad sacram Scripturam, in qua
nobis præcipitur, reddite omnibus debita, *cui honorem,*
honorem. Possem prouocare ad regulas & constitutiones
nostras, quæ nobis idē grauissimè mandant. Possem pro-
uocare ad ipsum Hierarchicum Ecclesiæ ordinem, qui
præstita sibi à nobis reuerentiæ & obseruantia, non gra-
uatè testimonium nobis daret: sed non vtar his defen-
sionibus; vtar ea, quam tu mihi vltro subministras. Ais,
nos aliis Ordinibus non exhibere debitum honorem & reueren-
tiam, nisi quando est è re nostra. At semper è re nostra est, vt
aliis Ordinibus debitum honorem & reuerentiam exhi-
beamus: semper igitur aliis Ordinibus debitum honorem
& reuerentiam exhibemus. Hic quo te vertes, oro? An
negabis *maiolem*? Labet enim paululum Philosophari.
At tu eam ore tuo pronunciaſti. Tu tua manu chartæ
commendasti. An negabis *minorem*? At stultitiæ notam
tibi iures, si neges: nam facere id, quod lex naturalis,
diuina & humana iubet, semper est è re nostra, semperq;
emolumētum longè maximum adfert: at aliis Ordinibus
debitum honorem & reuerentiam exhibere, iubet lex
naturalis, diuina & humana, semper igitur è re nostra est
aliis Ordinibus debitum honorem & reuerentiam exhi-
bere.

Non sunt, inquit, contenti loco suo, vltimò nempè genito-
rum. Criminationē hanc refellit epithetum, quo P. Igna-
tius Societatem suam insigniuit, vocauit enim *minimam.*
Si minima est, ortuque postrema, minimo igitur & po-
stremo

Rom. 13.

stremo loco contenta erit. Si non, cedò, quem Cleri-
calium aut Monasticorum ordinum de loco suo deice-
rit. Quis stationem, quā ante Iesuitas natos tenebat, iam
non tenet? Quod si Iesuitas vltimo loco, tanquam vlti-
mò genitos, non ais esse contentos, propter opinionem
virtutis & eruditionis, quam nonnulli de illis concepe-
rūt, iniquè agis, quia penes Iesuitas non est, vt ipsi cuius-
uis opinionem impediunt. Sæpè fit vt minor præferatur
maiori; nō olim tantum, sed & iam minor Ephraim præ-
ponitur Manasse, & Iacob pluris fit, quàm Esau, & David
pluris quàm fratres eius, similiter & Ioseph; vt & Benia-
min ab ipso Iosepho. Erat Iosephus minimus natus, & ta-
mē plus cæteris diligebatur à patre. Ex fratribus suis nul-
li plus benevolentia Ioseph exhibuit, quàm Benjamin,
de quo scriptura: *Maior pars venit Benjamin, ita vt quinq, Genes. 48.*
partibus excederet. Et tamen, quod ad locum attinet, *Sede-*
rūt coram eo primogenitus iuxta primogenita sua, & minimus
iuxta ætatem suam. Quid si & hīc idē fiat, vt quamuis So-
cietas minima sit, & iuxta *ætatem suam sedeat*, magis tamē
æstimetur, quàm alij nati grandiores. Non dico id acci-
dere, sed tamen quia Pseudocatholicus iste, & alij Hære-
tici existimare videntur id accidere, tantum moneo ni-
hil esse causæ, cur ad eò admirentur, cum non semel eue-
nerit, vt minimus ætate, prior fuerit fama & existimatio-
ne. Nec frustra dictum illud: *Erunt nouissimi primi.* Item *Matth. 20.*
& illud: *Volo autem & huic nouissimo dare sicut & tibi.*

Genes. 48.
Minimus ali-
quando hono-
ratissimus.

Genes. 43.

Matth. 20.

Inter ciues, inquis, sanctorum & domesticos Dei, malunt
potius, vt hospites & aduena delicatius tractari. Malè & insi-
pienter mallent, si mallent: at non malle eos, argumento
est, quod vt suprà testatus es, Iesuitæ *stultos & insipientes*
in suam Societatem non recipiūt. Quò fit, vt in eos tan-
ta stultitia non cadat, vt malint esse *hospites & aduena,*
quàm



quàm ciues *Sanctorum, & domestici, & filij*. Quis enim humanus, benignius, & liberalius tractatur, quàm domesticus & filius? Et quamuis hospes aut aduena aliquando, vno vel altero die, lautius & amicus accipiat, quàm ciuis aut domesticus; illa tamen lauta & amica, & opipara tractatio, paucis diebus terminatur; cum hospes eo loco stabilem sedem non habeat; aut si sedem figat, iam hospes in incolam migret. vt taceam ciuem, & domesticum, spe commodorum communium & publicorum totius ciuitatis, vel familiae; vel si filius sit, spe ipsius hereditatis sustentari, eaque de causa suam fortunam cum hospitem & aduenarum conditione nullo modo prudenter permutare posse.

Utrum Societas obseruet Canones.

Sacrorum, inquis, *canonum aliarumq; legum decretis se, quantum licet, subtrahunt, eademq; mille artibus eludunt*. Sacros canones appellas, quos auus tuus Lutherus, Caluini parens, exussit, vt lectori oculos perstringas, quasi catholicus sis, cum sis aut Calvinista, aut Caluinopapista. Nos eos canones, qui ad nos pertinent, religiosissimè custodimus, neque contrarium vnquam probare poteris, etsi contrarium asseras, sed mendaciter, quia multò facilius est asseuerare aliquid, praesertim per calumniam & iniuriam, quàm probare per veram & solidam rationem. Sed animaduerto, quid spectes. Quia enim varia nobis priuilegia à summis Pontificibus concessa sunt, & quia institutum Societatis, aliquibus in rebus, à communi iure, recedit, idcirco Calvinista huius iudicio, à legum decretis nos subtrahimus; idcirco sacros canones eludimus; quasi verò tituli *de priuilegiis* nō sint etiam pars sacrorum Canonum. Quasi verò sacros Canones eludat, qui ab eo, qui supra canones est, priuilegium legitimè impetrat. Quasi verò à canonum obserua-

seruatione sese subtrahat, qui beneficio eius, cui ius est & potestas condendi canones, priuilegio aliquo fruitur. Si priuilegio aliquo gaudere, est canones eludere, & à canonum obedientia sese eximere; dic, quæso, mihi, cur tituli *de priuilegiis* relinquuntur in iure Canonico? Cur nō eximuntur, si non & ipsa *priuilegia* sunt pars canonum, & Iuris Canonici? Exscinde ex *Decretalibus*, ex *Sexto*, ex *Clementinis*, ex *Extrauagantibus*, titulos de priuilegiis.

Forfan etiam, tuo iudicio, Franciscani, Dominicani, & alij, à Canonum decretis sese subtrahunt, Canonumque vim eludunt, quia multis priuilegiis à sede Apostolica meritò aduerti sunt. Et *titulus de verborum significationibus* in *Extrauagantibus*, ferè nihil aliud continet, quàm ea, in quibus Minorum Ordo à via & iure communi recedit. Et quibus oculis intueris *Extrauagantem* illam ex communibus, titulo *de priuilegiis*, cuius initium: *Inter cunctas sollicitudines nostras*; in qua nihil aliud inuenies, quàm priuilegia Ordinum Sancti Dominici & Sancti Francisci? *Quod Principi placuit*, inquit Iureconsultus, *legis habet vigorem*. Cur non itidem, quod Pontifici cum Concilio, vel soli pontifici, placuit, *vim Canonis*, hoc est, legis & sanctionis Ecclesiasticæ habeat? Addit Iureconsultus: *Quodcunque Imperator per epistolam vel subscriptionem statuit, vel cognoscens decreuit, vel de plano interlocutus est, vel edito præcepit, legem esse constat*. *Hæc sunt, quas vulgò constitutiones appellamus*. Idem, si, seu verè, quod non credo; seu fictè, quod planè mihi persuadeo, Catholicus es, de Pontifice, respectu Canonum, asserere debes, seu verè, seu fictè, cum Canones sint à Pontificibus, vt leges ab Imperatoribus. Si ergo vim legis habet, quando Imperator prædictis modis aliquid alicui concedit, cur non haberet etiam vim legis id, quod alicui à principe Ecclesiastico

L. Quod principi. ff. de Constitutionibus.

stico conceditur? Et sicut is, cui iustis de causis aliquid ab Imperatore seu Principe contra ius commune conceditur, non ob id in leges est iniuriosus, nec ob id leges eludere dicitur: Ita & is, cui aliquid conceditur, iustis de causis, à Principe Ecclesiastico, quod à iure communi Ecclesiastico non nihil abeat: non propterea meritò dicitur se à sacrorum canonum decretis subtrahere, eorumque vim eludere, aliàs, vt dicebam antea, *privilegia* penitus tollenda, & tituli *de privilegiis* ex iure Canonico funditus expungendi essent. Deinde quis ius antiquum Canonicum condidit, nisi Pontifex? sicut ergo initio id condere potuit; ita etiam potuit in eo legitimis de causis dispensare, imò nouum ius condere, non enim hac in parte Pontifex minor est Iustiniano, vel alio Principe; quod non inficiaberis, si verè Catholicus es. At si Catholicus es per simulationem; oportet, vt saltem per simulationem hoc concedas, hoc est, ore, licet corde dissentias, alioquin his, qui Catholicam fidem profitentur, tuis criminationibus non poteris imponere.

At nunc exemplum promissum, quo planum facere vis, quomodo nos à Canonum decretis subtrahamus, eorumque vim eludamus. Concilium Tridentinum huiusmodi decretum edidit: *Finito tempore Nouitiatu, superiores, Nouitios, quos habiles inuenerint, ad profitendum admittant: aut è Monasterio eos eiciant.* Ita Synodus, Quæ mox hanc exceptionem subiungit: *Per hæc tamen sancta synodus non intendit aliquid innouare aut prohibere, quin religio Clericorum Societatis IESU, iuxta pium eorum institutum, à sancta Sede Apostolica approbatum, Domino, & eius Ecclesiæ inseruire possint.* Hæreticus ægerrimè fert hanc exceptionem. Sed vt eam ægerrimè ferat, nunquam tamen ægrè ferendo efficit, vt exceptio facta, fiat infecta, Ais, *precibus fuisse im-*

De Concilio
Trid. decreto.

Sess. 25. cap. 16.
de Regul.

Hæreticus elu-
dere conatur
decretum Trid.

petra-

petrarum. Quid tum? Priuilegium non desinit esse priuilegium, licet precibus impetretur. An putas tu, Patres Ordinis Sancti Francisci & Sancti Dominici omnia sua priuilegia, quæ in iure Canonico exstant, sine precibus impetrasse? *Admodum*, inquis, *solicitarunt, vt ab hac lege exciperentur.* Quam verò *admodum?* An interfuisti? An importunè, opportunè Iacobum Lainem, & Alphonsum Salmeronem, qui Concilio interfuerunt, instantes vidisti? Res iusta & æqua, qualis erat hæc, non indiget multa precum importunitate; sciebant autem Patres Tridentini Concilij, iustissimam esse hanc petitionem, cum Sedes Apostolica hoc viuendi institutum iam non semel approbasset, & Apostolicis diplomatis confirmasset. *Communi Ecclesiæ sensui*, inquis, *contrarium aliquid prius statuerunt, vt nempe, iuuenes post tempus Nouitiatu iam alleetos, & consilij per ætatem inopes, sibi per vota quadam simplicia obligarent.* Quid? An sensui totius Ecclesiæ contrarium est, quod summi Pontifices statuunt & approbant? An corpori contrarium est, quod caput decernit? Caput, inquam, hoc est Rector, Pastor, & Governator totius corporis? An non iam ante Concilium Tridentinum, Paulus Tertius & Iulius Tertius hæc vota simplicia, post annos tyrociniæ emitti solita approbarant? An non Concilium Tridentinum OEcumenicum hanc Societatis consuetudinem & solennem morem repudiasset, & in æternum tempus condemnasset, si vidisset, cum, communis Ecclesiæ communi sensui esse contrarium? At tantum abest, vt ita iudicaret, vt etiam verbis honorificentissimis significarit, morem Societatis communi Ecclesiæ sensui esse cõsentaneum, quia vocat *pium institutum*; Quomodo autem *pium institutum* est, quod communi Ecclesiæ sensui repugnat? Quasi verò vllum
E sit

fit institutum *pium*, quod Ecclesiæ sensui non sit conuenientissimum. Ait Synodus, *hoc institutum à sancta Sede Apostolica fuisse approbatum*. An tu putas vllum institutum à sancta Sede Apostolica approbari, quod communi Ecclesiæ sensui aduersetur? Fortè affirmabis. Mirarer, si Catholicus esses, at quia hæreticus es, non miror, illud miror, te, cum iudicium Sedis Apostolicæ & Concilij Tridentini nihili facias, tam impudentem tamen esse, vt videri velis, quasi Apostolicæ Sedis non sit maior patronus, quàm tu. Ait Synodus Tridentina: *Se nolle impedire, quò minus Clerici Societatis IESU, Domino & eius Ecclesia inservire possint, iuxta *pium* eorum institutum*. An vllum institutum, quod communi Ecclesiæ sensui repugnat, Domino & eius Ecclesiæ inferuit? An Ecclesiæ Christi vllum emolumentum adfert?

Inuenes, inquis, ad se collectos votis simplicibus obligant. Imo allectos & vocatos à Deo, nec nos illos obligamus, sed ipsi semetipsos obligant: nisi enim vouendo seipsum quis obliget, nemo illum obligare poterit. Cur verò inopes consilij vocas, qui ad hæc vota simplicia admittuntur? An non omnes admittuntur tum demum ad hæc vota, cum ex præscripto Concilij Tridentini ad professionem admitti possunt, hoc est, non ante decimum sextum annum expletum; Vix enim sit in Societate, vt quis ante hanc ætatem vota simplicia Deo nuncupet, cum ea non emittat, nisi absoluto biennij tyrocinio. Quare necesse esset, vt quis anno decimo quarto in Ordinem nostrum cooptaretur. At inauditum est, mihi saltem, puto etiam aliis, vt quis hac ætate ad Societatem aggregetur. Cum ergo, qui vota simplicia scholasticorum vel coadiutorum apud nos edunt, minimum decimum sextum annum

Quando in Societate emittantur vota.

num attigerint, quæ ætas ex Concilij Tridentini decreto ad professionem sufficit, qua fronte tu *inopes consilij* nominas, qui in Societate nostra vota simplicia emittunt; cum iudicio OEcumenici Concilij sat consilij & prudentiæ habeant, ad professionem solennem, in aliquo ab Ecclesia approbato Ordine, edendam; cumque iidem, ex legum Ecclesiasticarum & ciuilium præscripto, libertate sua sese abdicare valeant, contracto matrimonio? *Iesuita, inquis, quocunque tempore, pro voluntate eosdem aut retinent aut abiiciunt. Quo effectum videmus frequenter, vt multi post multam ætatem & valetudinem per labores deploratam, bonaque vel in ipsos, vel ad ipsorum nutum, in alios exposita, aut ab ipsis crudeliter eiecti, aut per eorum intolerabiles insultus abire coacti, in extrema tandem ætate, rebus omnibus imparati, sibi viuere coacti sint.* Multa hac tua accusatione accumulatas crimina, quæ sigillatim inspicere oportet, ne quis arbitretur non esse criminationes, sed crimina verè obiecta. Ais: *Societatem, arbitrati suo, eiicere eos, qui vota simplicia vouerint, vel habere potestatem arbitrati suo illos eiicendi; Quod tam falsum est, vt ne ipsa quidem falsitas falsior sit. Quid enim? An quisquam est, qui non sit Cyclops, & Ætneis in antris satus & educatus, qui sibi persuadere possit; Societatem, Societatem, inquam, tam esse immitem; Et quid dico, immitem? Nimis mitis hæc vox est, tam esse sauiam, crudelem, & tyrannicam, tam ab omni humanitatis sensu derelictam, vt arbitrio suo extrudat illum, qui se, & omnia sua Deo in Societate consecratur; qui se vitam finiturum in Societate statuerat, qui Deo perpetuam paupertatem, castitatem & obedientiam in Societate IESU promiserat, omnia intelligendo, iuxta ipsius Societatis constitutiones? Absit hæc mens à Societate, quæ in spiritu amoris, non in spiritu timoris*

Quos Societas dimittat, & quæ ratione.

moris procedit. Mater est, non iniusta nouerca: Patres sunt superiores, non vitrici.

Ergo quod interdum aliqui post simplicia vota edita (nam Nouitiorum nulla hinc habenda ratio, cum in probatione versentur) à nobis recedunt; accidere potest, primo, quia, omnibus consideratis, iudicatur satius, ut tales propter ingenij vel valetudinis conditionem, vel alias iustissimas ob causas, eò, unde venerunt, reuertantur, vel ad alias hominum Religiosorum familias transcant; quippe ad illas, quam ad hanc aptiores & firmiores. Ut enim non quiuis ad quamuis artem habilis est & idoneus; ita nec quiuis ad has vel illas religiosas functiones, quas hic vel ille Ordo obit, sat roboris aut indolis habet. Quo tamen casu, nemo exauctoratur, si alioquin virtutis & religiosæ disciplinæ studiosus sit & amans: Sed ita res instituitur, ut qui abit, volens lubensque abeat: idque fit, cum inueterato iam Societatis more; tum etiam constitutionum nostrarum præceptione. Secundo; causa dimissionis est aliquando non progressus in virtutibus, sed potius regressus à virtutibus: non incrementum religiosæ grauitatis & modestiæ, sed decrementum; quia *spiritu incipiunt & carne consummant*. Incipiunt ut Saul; paruuli sunt, modesti, humiles, obediens, ut erat Saul sub regni sui exordium; postea mutantur, eo modo, quo Saul mutatus fuit; ex paruulis gigantes fiunt, ex morigeris, immorigeris; Incipiunt ut Salomon, Deo chari & grati: sed evertuntur, ut Salomon: spiritu feruent initio conuersionis; sed postea primam Charitatem amittunt: Nec aures præbent Deo clamanti: *Memor esto, unde excideris, & age penitentiam, & prima opera fac*: Quid mirum igitur, si Deus faciat, quod se facturum minatur? Quid mirum, si moueat *candelabrum* huiuscemodi hominis de loco suo?

Causa dimissionis.

Apocal. 4.

Fateor

Fateor ingenuè, tales in Societate non retineri; imò ea de causa ad tot annos professio & status Coadiutorum spiritualium & formatorum differtur; ut si qui fortè magis deficerent, quàm proficerent, votorum nexibus exsolui & dimitti possint. Sed hoc interpretatur Hæreticus *crudelitatem*; At ego interpretor prudentiam & iustissimam cautelam, ne Societatis corpus tam languidis & morbidis membris grauatum, paulatim eò miseriarum procedat, ut nulla medicina subuenire queat; quippe immedicabili iam vitio. Porrò tantum abest, ut Societas eos, qui vota simplicia emiserunt, temerè seu pro arbitrio suo expellat, ut interdum, non paucis annis, toleret nonnullos, quibus fortè satius esset, si bonum publicum duntaxat spectaretur, sine mora missionem dare. Exspectat tamen Societas patienter, more Dei, ut vinea, quam *plantauit, faciat vinas*; quod si *labruscas* submittere pergat; quid restat nisi illud: *Succide illam, ut quid etiam terram occupat?* Aliquando etiam accidit, ut non modò tres anni sint (ut de se ait ille, qui arborem ficu in sua vinea plantatam habebat) *ex quo venit quærens fructum* in eiusmodi homine, & non inueniat, sed longè plures. *Expelluntur*, inquis, *postquam valetudinem amiserunt*. Nullum vnquam exauctoratum vidi ob amissam valetudinem: sed ob amissam primam pietatem & charitatem. *Coguntur*, inquis, *aliquando abire* propter intolerabiles eorum insultus. Insultus vocas correctiones & correptiones, quæ mendendi causa agris adhibentur; quas non fugerent, si saperent: sœuire ut serues, paternæ benignitatis est, non hostilis immanitatis. Si nulla Religio, Societas certè omnem vim procul habere consuevit; nam quos religiosos non sanat amor, & spiritus mansuetudinis, eos rarò sanat vis & carcer, & id genus alia acerbiora medicamenta.

LUCA 13.

E 3

Nec



*Probatu ex-
pelli posse eos,
qui Ordinibus
sunt perniciosi.
Faria proba-
tiones.
A politica.
A natura.*

Ab Angelis.

*Ex Scriptura.
Galat. 5.*

*A testimoniis
Patrum.
S. Basil. 9. sup.
explicat. 9. 29.*

Nec nouum, nec insolens est, vt ex Religione exter-
minentur, qui religioni plus damni, quam boni, mori-
bus non bonis adferunt: idque exemplo naturæ, artis, &
omnium rectè constitutarum Rerum publicarum facere
iubemur: An non ex corpore humano natura, quidquid
noxium est, expellere nititur? Et si sat virium non suppe-
tat, an nō artis medicæ opem implorat, vt à consortio e-
ius, quod perniciosum est, liberetur? Ex prima illa, & tam
ordine, quam ciuium numero pulcherrima Angelorum
Republica, seditiosos & improbos, vt sic dixerim, ciues
expulsos nouimus, & quidem in sempiternum tempus:
omni spe reditus sublata. *Vtinam absceindantur, qui nos con-
turbant;* clamat Apostolus. Quid est ista abscissio, nisi
turbatorum expulsio? Et excommunicatio, iam ab Apo-
stolico æuo vsurpata; nihil aliud est, quam improborum
à probis segregatio & exclusio: ignis & aquæ interdictio,
deportatio, relegatio, exilium, & similes pœnæ, olim fa-
ctiosis & turbulētis ciuibus decretæ, & hodie etiam par-
tim decerni solitæ, expulsionones sunt sceleratorū ex Re-
publicæ Societate: nec alio consilio vsurpantur, quam
vt Respublica illæsa perstet; Et vt propius ad propositum
nostrum accedam, Ordines Religiosi, Ecclesiasticam &
Politicam Rempublicam imitati semper hoc in more
habuerunt, vt communitati perniciosa membra, arrepto
ferro, amputarent, veriti, ne pestis paucorum, vt fieri
assolet, ad plures manaret. Testem do in primis D. Basi-
lium, qui quid agendum sit, quidque ipse cum huiusmo-
di hominum genere egerit, his verbis explicat: *Ei, qui se-
gniter affectus est ad obediendum mandatis Domini, primum
omnes condolare oportet, velut morbofo membro, & per propri-
as ac priuatas cohortationes Præfæcti, conari, vt ipsius infirmi-
tatem corrigant. Perseuerantem verò in inobedientia, & cor-
rectio-*

rectionem non admittentem, grauius coarguere coram tota fra-
ternitate, & cum omni exhortatione adhibere ipsi medelas. Vbi
verò nihil veretur post multam admonitionem, neq; seipsum in
operibus sanat, velut ipsum sui ipsius pestem, iuxta prouerbium,
cum multis quidem lachrymis & lamentis, attamen velut mem-
brum corruptum, & penitus inutile, ad medicorum imitatio-
nem, à communi corpore rescare. Nam & illi, quodcunque
membrum repererint, incurabili affectu occupatum, vt ne de-
trimētum amplius diffundatur, & vicinas partes ob continui-
tatem corrumpat, sectionibus & vsturis eximere solent. Id quod
etiam nobis in aduersantibus mandatis Domini, aut impediē-
tibus ipsa necessariò facere licet, iuxta ipsius Domini præceptū,
qui dixit: Si oculus tuus dexter te offenderit, erue ipsum, &
proiice à te. Nam humanitas erga tales consimilis est ineruditæ
benignitati ipsius Heli, qua erga filios præter voluntatem Dei
vsus, reprehenditur. Proditio igitur veritatis est, & fraus, qua
tenditur communitati, & assuesactio ad id, vt vitia indifferen-
tia esse putentur, benignitas erga malignos ostensa.

Basilio Cassianum adiungo, qui testatur apud vete-
res monachos, aperta conuicia, manifestos contemptus, con-
tradictiones tumidas, liberam & effrenatam processionem, fa-
miliaritates apud sœminas, iras, rixas, simultates, & iurgia, o-
peris peculiaris præsumptionem, philargyria contagionem, affe-
ctum atq; possessionem rerum superfluarum, qua à ceteris fratri-
bus non habentur, extraordinariam ac furtiuam cibi refectio-
nem, & his similia vel plagis emendata, vel expulsionone fuisse
purgata. His accedat S. Augustinus, qui iubet vt si quis
pœnas debitas persolueret pertinaciter nolit, expellatur. *Quam*
(emendatoriam vindictam) si ferre recusauerit, in-
quit S. Augustinus, etiam si ipse non abscesserit, de vestra So-
cietate proiciatur. Non enim ei hoc sit crudeliter, sed misericor-
diter, ne contagione pestifera plurimos perdat. Eiecit ex suo

*Cassianus lib.
4. de Institut.
cap. 16.*

*S. August. in
Reg. cap. 13.*

*Ab exemplis
Sanctorum.*

Mona-



Monasterio S. Benedictus monachum inquietū, vt scribit S. Gregorius. Etsi postea eundem ad sanio- rem mentem, obiectu Draconis, reductum, recepit. S. Pachomius celeberrimus in Ecclesia Orientali Abbas, monachum quendam, Syllanum nomine, ex suo cœtu expulit, licet viginti annos in Monastica professione posuisset. Sanctus Equitius, teste S. Gregorio, iussit, vt sine mora Basilijus monachus ex suo Cœnobio exterminaretur, eod quod diuinitus instructus didicisset, quidnam ille pseudomonachus moliretur. Dices fortè, hunc fuisse tum Nouitium: non nego; sed quod exemplum sanctus ille vir in tyrone statuit, idem statuisset in veterano, si quem similis improbitatis inter suos degere comperisset. Sanctus Bernardus Abbatem quendam monet, vt fratrem, si monitis & reprehensionibus emendari nolit, eiiciat: iuxta illud Apostoli: *Auferite malum ex vobismetipsis*: qui & his verbis Epistolam concludit: *Melius est vt pereat vnus, quam vt vnitas*. Idem docet S. Thomas. Non enim huius auctoritatem repudiabis, quandoquidem Catholicus es, tuo quidem testimonio, at non meo, nec vllius rectè sentientis. *Latitat lupus ore cruento; lætæ colam mentitus ouem sub vellere molli cruda per agninos exercens funera ritus*. S. Thomæ ad stipulatur S. Bonauentura: qui ait: *Nec à sede Apostolica cogi posse Religionem, vt retineat homines noxios, quia occasionem daret corrumpendo & euertendo Ordini*.

In eandem sententiam conspirant sacri Canones: nam in cap. vltimo, extra de Regularibus agitur de eiectis & fugitiuis, vbi Panormitanus cum Ioanne Andream dicit: *Fugitiuum vocari, qui moratur extra proprium Monasterium, suoque Abbati celatur: Eiectum verò, qui à superiore suo propter admissum crimen eiicitur*: Et in

S. Gregor. lib. 2. Dialog. c. 28. In vita S. Pachomij Tom. 3. Surijs.

S. Gregor. lib. 1. Dialog. cap. 4.

S. Bernard. epist. 112.

1. Corinth. 5.

S. Tho. Quodlibet. artic. 5. 1. 2.

Prudentius.

S. Bonauent. quæst. 14. in Reg. S. Francisci.

Ex Canonibus & Canonum Interpretibus.

Cap. Cum ad Monasterium, ext. de statu monachorum, sancitur, vt monachus proprietarius eiiciatur ex monasterio, regulari monitione premissa; nec recipiatur ulterius, nisi poeniteat secundum monasticam disciplinam. Et eodē tit. cap. Ea quæ: mandatur monasteriorum visitatoribus, vt non parcant rebellibus ob suam pertinaciam, vel potentiam amicorum, quin ouem morbidam eiiciant ab ouili, ne inficiat oues sanas. Quod confirmat Glossa, testimonio Canonis Resecanda ca. 23. quæst. 3. Vbi S. Hieronymus. *Resecanda sunt putridæ carnes, & scabiosa ouis à caulis repellenda, ne tota domus massa, corpus & pecora ardeant, corrumpantur, putrescāt, intereant*. Nec est istud à religiosa mansuetudine alienū; nam quæ ista bonitas, quæ ista misericordia, vni parcere, & omnes in discrimen adducere? vt dicitur ex Origene, d. 45. c. sed illud; Nostine Calvinista, illum Glossæ versiculum: *Morbida sola pecus inficit omne pecus*? At fortè libentius audies Iustiniani leges, quàm Ecclesiæ Canones: Gratificabor ergo tibi, & quid Iustinianus hac de re decreuerit, non grauatè adscribam: Etsi enim Iustinianum non agnosco pro eo, qui sacris religiosorum hominum ordinibus leges præscribere queat, hoc enim non est Imperatorij, sed Pontificij muneris: Attamen ex eo etiam, quod sine iure statuit Iustinianus, cognosces, quàm nihil contra ius faciant, si Religionum Antistites, religiosæ disciplinae damnosos, procul abire iubeant. Ita ergo Iustinianus, postquam monachis & sanctimonialibus multas leges, modumque imponendæ & subeundæ poenæ præscripserat: *Si delictum, inquit, atrocius sit, quàm quod medelare parari possit, tunc proorsus monasterio ipsum expellito: vt cum seipsum à melioribus ad deteriora contulerit, ipse solus improbitatis suæ fructum capiat, neque vitiorum suorum cateris aliquid contagione affricet, quemadmodum peste laborantia, &*

S. Hieron. in cap. 5. Epist. ad Galat.

Orig. Homil. 7. in Iosue.

Ex Legibus civilibus.

Iustinia. Nouell. 113. de Monachis & Asceticis.

incurabiliter agrotantia solent pecora. Nec hac causa contentus est Iustinianus; Addit insuper, & verè addit, Deo, Ordines monasticos fore gratiores, Reipublicæ fructuosiores, maiorisque auctoritatis & venerationis apud homines, si improbi & disciplinæ religiosæ impatientes excludantur: *Si enim, inquit, puris illi mundisq; manibus pro Republica preces Deo obtulerint; manifestum sanè, quod & res militaris pulchrè se habeat, & ciuitates in bono statu erunt: Deo item propitio ac beneuolo constituto, quo modo non omnia in summa pace & recta legum moderatione vigeant? Terra quoq; nobis fructum feret, & celerius bona sua edet per Dei beneuolentiam, precibus illorum vniuersam Rempublicam in vnum colligentibus, sed & communis hominum figura venerabilior erit, quærentq; quod præstantius est, illorum puritatem reueriti. Vnde vna fiet conspiratio, omnibus simul ad hoc concurrentibus, & (quoad fieri potest) exterminata omni malitia, melioribus sanctioribusq; studiis introductis, & dignitatem habentibus.*

*A Religionum
fundatoribus.*

*Ostiens. Ext.
cap. final. de
regular.
Archid. 18. 7.
2. c. Abbat. 1.
5.*

Ad extremum accedant Religionum fundatores, vt suo suffragio idem confirmet. S. Augustinum & S. Basilium sententiam suam dicentes iam audiuimus. In regula S. Benedicti cap. 28. dicitur: *Posse aliquos, praua admonitione, ob graua crimina dimitti.* Hinc Ostiensis & Archidiaconus colligunt ex duobus capitulis Regulæ S. Benedicti, nempe ex 23. & 28. septem pœnæ modos, quorum vltimus est *de monasterio expulsio.* Ex Ordine S. Dominici posse dimitti Professos, testatur S. Antoninus, & habetur in eiusdem Ordinis constitutionibus d. 1. cap. 19. Idem de regula S. Francisci satis liquet ex iis, quæ S. Bonauentura ex communi Ordinis illius praxi & consuetudine disputat, cum quærit; *An liceat Ordini Minorum eicere aliquem pro demeritis, vel egresso, pœnitenti & petenti receptionem*

ptionem denuò denegare. Eruditè enim ostendit, licere, & quidem iure optimo, quamuis redire volenti aditum intercludere: *Si autem allegatur, inquit S. Bonauentura, quod misero est miseratio adhibenda, vt iterum recipiatur in Ordinem; Dicit potest: Crudelis est miseratio, vnde plures & meliores grauius offenduntur, sicut qui furem liberaret, vnde pauperes spoliarentur: maximè cum tales longo vsu tepesacti, rarissime verè & perseveranter emendantur, & facilius remissio aliis præbeat audaciam delinquendi. Nec potest allegare sibi iniuriam fieri, si non recipiatur, quia ipse talem se fecit ex culpa propria, quod recipi sit indignus, quin potius Ordo habet causam contra eum agendi, quod sic se dehonestauit.* Hæc & plura alia in eandem sententiam S. Bonauentura: qui etiam prima vice, licet pœnitenti receptionem negandam docet, si ita criminis atrocitas exigat. Ex regula tamen S. Benedicti, *Si expulsus veniat ad portam pœnitens: iterum recipendus & reconciliandus est, vsq; ad tertiam vicem tantum; nam secundum eandem regulam ter recipitur, & non ultra, inquit Ostiensis & Archidiaconus loc. cit. Fufius ista persecutus sum, vt ostenderem, quàm iniquus sit in nos calumniator iste, dum nobis vitio vertit, quod aliis Religionibus concessum est, quodque necessariò concedi debet, nisi religionem pessum ire velimus. Quod si alij Ordines potestatem habent expellendi Professos; cur adeo ringuntur inuidi, si Societati idem ius constet in non Professos, hoc est, in omnes illos, qui vota duntaxat simplicia ediderunt: imò & in ipsos Professos, si quis ex eorum numero vocationis suæ oblitus, retrò respiciat, & ad anteriora, eo, quo par est modo, sese non extendat. Priore illo iure inferior est Societas nostra aliis Deo dicatis familiis, quâdo quidem minus ius est, posse dimittere non Professum, quàm Professum: posteriore iisdem par est.*

*S. Bonauent.
quæst. 14. in
Reg. S. Fran-
cisci.*



Dicet fortassis Hæreticus: Ab aliis Ordinibus relegari tantummodo peruicaces, cõrumaces, iamque depositos & desperatos; vno verbo, *incorrigibiles*, ex nostro autem exterminari aliquando, etiam corrigi paratos; eosque, qui ob delictum quamuis pœnã exsoluere prõmittant. Respondeo, etiam si iure communi *incorrigibilitas* & contumacia tantummodo esset idonea causa expellendi professum: tamen minor causa sufficere posset ad eiiciendum non professum, quales in nostro Ordine omnes illi, qui simplicia duntaxat vota Deo nuncuparunt. Deinde olim non tanta habebatur ratio, vtrum aliqua, an nulla correctionis spes superesset, sed criminis admiffi grauitas spectabatur: quæ, si videretur, mereri eiectiõnem, reus eiiciebatur, siue meliorem frugem polliceretur, siue secus. Liquet id ex verbis Cassiani suprà adductis, vbi recenset vitia vel *plagis* vel *expulsione* purgari cõfucta. Et Iustinianus Imperator, monachum in caupona deprehensum, ex monasterio eiici iubet simpliciter, siue emendationis spem faceret, siue non: *Illud quoq. modis omnibus obseruari volumus*, inquit, *vt si quis reuerendissimorũ monachorum in caupona aliqua versari videatur, illico is tradatur ciuitatum defensoribus, aut hic iudicio excellenti tue, castigeturq. conuictus, certiorq. ea de re reddatur antistes, vt eum, qui hæc deliquit, & turpem vitam cum Angelico hoc statu permutauit, expellat monasterio.* Meritò autem non tolerantur qui enormia crimina perpetrant, licet meliorem mentem induant, quia grauem notam Ordini inurunt, & infamiæ macula innocentes, quantum quidem in ipsis est, aspergunt: & alios ad similia audenda exemplo suo incitant: præsertim, vbi veniæ locum vident reliquum; qui longè tardiores ad flagitia efficiuntur, cum certò sciant, non esse quod indulgentiam expectent, si grandiore aliquo

Nonell. 173.

aliquo delicto sese obstringant. Quod si iure communi veritum esset, professum, de quo spes correctionis afflueret, expellere; atramen, nouo iure, conditor iuris id Religioni alicui concedere posset, prout Societati à variis Pontificibus concessum est; nam si, vt ait D. Gregorius Nazianzenus: *Velle Imperatoris lex est non scripta; imperij & potentia patrocinio subnixæ, & quidem scriptis legibus, quæ potentia non fulciuntur, longè firmiter atq. valentior:* Cur Pontificis, Ecclesiastici Legislatoris voluntas, nõ sit lex? Cur si quid lege iustè lata concedat, id non eiusdem sit roboris, cuius est lex Imperatoris in foro ciuili, apud eos præsertim, qui Pontificem, ea qua par est, reuerentia & honore prosequuntur; ex quorum tu quidem numero videri cupis, sed histrionicam factitas; scenæ tuæ seruit hæc simulatio, dum Iesuitas insectaris, vbi in aliud theatrum conscenderis, aliam personam sumes. Denique, si, vt ex S. Bonauentura antea docuimus, Ordo licitè potest alicui, qui culpa sua expulsus est, reditum negare, licet sese emendarit, verbisq; prolixè saniozem mentem, & diligentiorẽ Religiosæ disciplinæ obseruantiam spondeat, eo quod ob præteritũ piaculum recipi sit indignus, vt ait S. Bonauentura; cur idem Ordo, eundem, idem ob crimen, non queat ex cõetu suo extrudere; quamuis correctionis neque sit impatiens, neque etiam incapax, potissimum vbi id boni publici ratio exigit; & quia id boni publici interest, Pontifex, eius faciendi speciatim & nominatim potestatem tribuit; imò, quæ ratio suadet, cur Ordo nolentem regredi repellere queat, eadem ostendit, posse illum, etiam antequam expulsus est, expelli, saltem speciali Pontificis priuilegio: *Sedes enim Apostolica*, inquit B. Bonauentura, *quæ ius suum unicuiq. seruat, & vult ordinem in sua puritate persistere, non cogit ordinem retinere illos, quo-*

Nazian. orat. 1. contra Iulian.

rum conuersatio nociua esset in ordine, quia tunc puniret innocentes, & reos foueret, & occasionem daret corruptioni ordinis per tales pestiferos, si eos recipi oporteret. Sicut ergo eius receptio, qui semel grauiter deliquit, in ordinis damnum redundare potest, licet iam poenitentiam egerit, & saniora consilia coeperit: ita etiam eiusdem retentio Ordini detrimētum insigne adferre potest: minimū enim hoc incommodum inde emergit, quod facilis remissio aliis præbet audaciam delinquendi: ut verè ait S. Bonauentura, sed satis de hoc.

Nunc videamus, quid pseudocatholicus noster adducat; ait, *Non esse mirandum amplius, si Ecclesia Iesuitis concesserit hoc priuilegium, ut absoluto probationis tempore ij, qui tyrones fuerant, non teneantur professionem edere.* Ita est, nō valde mirandū, & multò minus criminandum, ut tu criminaris; *Non mirandum est,* inquis: quia æqua ab æquis impetrare non admodum ardui negotij est; æquissimū autem fuit, ut sicut aliis religiosis familiis sua priuilegia concessa sunt, ita & hoc, & alia concederentur huic nouo Ordini. Tu aliās huius rei causas assignas, te, qui vanissimus es, prope vaniores, sed tam ambignè & obscure, tanquam alter Loxias, loqueris, ut nec tu teipsum videaris intellexisse, nec te Germanicus interpret tuus: Prima causa, quam tu non tam exprimis, quam innuis, *Ecclesiam errasse, cum hoc priuilegium concessit, nō enim immunem esse à periculo erroris, nisi in iis, quæ ad ius diuinum aut naturale pertinent, hoc autem esse iuris positini Ecclesiastici:* Et ut errorum minuas, addis; Patres Concilij Tridentini, *Iesuitarum importunitate, in errorem inductos esse, ut statuerint id, quod satius fuerit non statuisse.* Verū nisi aliam probationem adferas, agrè lectoribus hanc tuam persuasionem persuadebis. Quis enim credat, inclytum illum orbis

Reuerentia
pseudocatho-
lici in Concilio
Tridentinum.

Chri-

Christiani senatum, tanta sanctitate & iudiciorum maturitate præpollentem, videre non potuisse, quid è re Ecclesiæ foret: te verò id vidisse, te, inquam, qui si non cæcus, certè Rex inter cæcos, hoc est, lusciosus es. Nam ut Spiritus sanctus, numine suo patres illos non præseruasset ab errore, etiam in iis statuendis, quæ ad praxin & mores spectant, neq; aliās iure naturali vel diuino iussa sunt aut vetita: nemo tamè est, qui nō animaduertat, te, longè citius falli & fallere posse, quàm florem illum pietatis & eruditionis: quàm tot numero inclytos Antistites, quorum summam breuiter complexus est Caspar Vilalpandæus his verbis: *Ad sunt sex Cardinales, quatuor Legati, Patriarcha tres, Archiepiscopi triginta duo, Episcopi ducenti viginti octo, Abbates quinque, Generales ordinum Ministri septem, Episcoporum procuratores plurimi.* Deinde ut maximè Sacer ille confessus, Iesuitas, à communi lege excipiendo errasset, non debebas tamen, si vel micam prudentiæ Christianæ haberes, patres illos erroris accusare, insanisque vocibus flagitare, ut decretum, quod fixerunt, resigant. Nam, ut præclare docet Aristoteles, solo naturæ lumine collustratus: *Mutare leges videri posset multa cautio- nis. Vbi enim utilitas, quæ ad mutandas leges adducit, parua est, assuescere autem ciues legibus mutandis, malum: proculdubio nonnulla peccata & Legistorum & Magistratum ferenda atq; intacta relinquenda sunt, non enim tanto erit ei mutasse leges emolumento; quanto assueuisse magistratibus non parere detrimento.* Paulò post: *Itaque à legibus receptis & usitatis ad alias & nouas leges facile migrare; vim legis infirmare ac debilitare est. Lex enim nihil roboris habet, ut ipsi pareatur, præter id, quod accipit à consuetudine: hoc verò nō contingit ipsi nisi longo temporis spatio.* Hæc ille.

Vilalp. disp. 5.
de Concl. Tri-
dent.

Quid Aristote-
les de mutatio-
ne legum sen-
serit.
Arist. lib. 2.
polit. cap. 6.

Olim

Olim Imperatores Gratianus, Valentinianus & Theodosius sacrilegij instar reputabāt, si quis de principis iudicio disputaret, & hoc etiam lege lata vetuerunt; cuius hæc verba: *Disputare de principali iudicio non oportet, sacrilegij enim instar est dubitare, an is dignus sit, quem elegerit Imperator.* Hæc illi: sed tu susque deque habes crimen sacrilegio non ab simile admittere: dum in iudicium vocas, imò dum manifesti erroris accusas, iudicium tot principum Ecclesiæ; Iesuitasque, priuilegio illo indignos vociferaris, quo tamē digni à principali iudicio, hoc est, ab OEumenico Cōcilio iudicati sunt: Quod Imperator Martianus de Synodo Chalcedonensi dixit, hoc ego de Tridentina: *Iniuriam facit iudicio reuerendissima Synodi, si quis semel iudicata, ac rectè disposita reuoluere & publicè disputare contenderit.* Sed tu hæc nihil moraris, & quæ Concilium Tridentinum decreuit, non rectè decreta ais. At cuius iudicio? tuo videlicet, tuiq; similibus, quorū iudicium, & his, & aliis de rebus tam rectum est, quàm linea curua.

Præterea an non monstra te loqui vides, cum ais; Iesuitas, tres quatuorue (tot enim in Concilio fuisse arbitror) importunitate sua, Concilium eò ad egisse, vt eius, q̄ bono communi videbatur esse conducibile, cōtrarium decerneret. An non ipsa Concilij verba vanitatem tuam perspicuè redarguunt, cum dicant Patres; se non prohibere, quo minus *Religio Clericorum Societatis IESV, iuxta pium eorum institutum, à sancta Sede Apostolica approbatum, Domino & Ecclesie eius inservire possit?* Ergo patres agnouerunt institutum hoc, atque adeò morem differendi professionem, quamuis exacto probationis tempore: *Pium esse & laudabilem*, & quod hinc sequitur, Ecclesiæ Dei vtilem; nihil enim pium vocari potest, quod vergit in Ecclesiæ detrimentum. Ex quo rursus conficitur, Patres il-

los,

los, importunitate Iesuitarum non fuisse compulso, vt illam exceptionem Ordinis nostri, præter, imo aduersus animi sui sententiam facerent, nisi fortassis tam excorses & vecors, vt patres illos tui similes facias, hoc est, aliud loquentes, & aliud sentientes; more tuo, cui mos, nūquam seriò loqui, nisi cum mentiris & calumniaris. Verum tu ipse animaduertere tandem videris, quàm inane sit hoc tuum effugium. Igitur Patres Concilij Tridentini post accusationem admissi erroris, iterum ab errore absoluis, & dum fumū vitas in flammis manibus pedibusque irruis; Ais, *Priuilegium illud esse supposititium, & à Iesuitis, inscio Concilio, communi omnibus legi affixum, ac proinde tanquam spurium veru & obelisco configendum, facile enim fieri potuisse, vt Iesuita quispiam irreperet, & autographo, seu, vt vocant, protocollo Concilij hanc appendicem assueret.* Hæc tua est pro Concilio Tridentino defensio: Cæterum cum excusas, grauissimè accusas; quæ enim maior socordia, quæ intolerabilior negligētia, quàm ex tot Patribus, nullum extitisse, qui fraudem hanc crimenq; grauissimum falsi animaduerteret, præsertim cum in Conciliis, ea quæ semel decreta sunt, repeti & relegi soleant, adhibitis notariis & testibus, & tot cautelis, ne quid falsi obrepat, vt rerum omnium imperitum, ne dicam insanum, esse oporteat, qui huiusmodi fallaciam comminiscatur, aut si comminiscatur, tanquam verisimilem aliis credendam proponat. Deinde, si hæc præter Concilij voluntatem adiecta fuerunt, cur nullus præter te, & similes omnis religiosi instituti turbines, huius rei vllum indicium fecit? An putas tot patres Concilij immemores fuisse, vt quod de Iesuitis statutum fuerat, penitus obliuioni mandarēt? Cur nullus ex Prælatibus, quibus ius dicēdi suffragij in Concilio, contradixit? Cur tu solus post tot annos, ex antro

*Primum Iesuita
decretum Con-
cilij Tridenti-
ni falsarunt.*

G

nescio

nescio quo, proserpens, id in dubium vocas, de quo ha-
tenus nullus sanę mentis dubitauit: nam ne ipsi quidem
hostes Ordinis nostri, & fidei Catholicę, dicere ausi sunt,
hęc verba, quę in Concilio Tridentino leguntur,  no-
stris furtiuę fuisse inserta. Non iniuria abs te petimus vel
vnum exemplar, quod his verbis careat vel caruerit, vt
inde fraudis vestigia persequi, & ad ipsa cubilia peruenire
liceat. Adhęc, cū Iesuitis grauissimum *falsi crimen* in-
tētes, oportet, vt nisi hoc liquidō probes, iisdem pœnis,
quibus falsi criminis rei, subiaceas; si non nosti illam le-
gem Honorij & Theodosij, vel iam post tot mendācia
discas: *Quisquis crimen intendit, non impunitam fore nouerit
licentiam mentiendi; cū calumniantes ad vindictam poseat
similitudo supplicij; quia iuxta formam iuris antiqui (& legiti-
mi) aut vindicta (reis) proposita sit aut supplicium; si (accusa-
tor) sefellert.* Si crimen falsi committunt, atq; ad eō gra-
uissimā pœnam merentur, quicunq; aut testamentū, aut
quoduis aliud instrumentum siue priuatum siue publi-
cum, scribūt, subscribunt, obsignant, effingunt, recitant,
auferunt, immutant, corrumpunt; quod supplicium nō
mererentur illi, qui publicum sancti Spiritus, vt sic vo-
cem, instrumentum, hoc est; OEcumenicum Concilium
deprauarent, & vel detractioe vel adiectione corrup-
perent? Nimis impudens calumniator es; nec scio, quę
benignitas tibi opem ferre queat, si ex legibus contra ca-
lumniatores laris iudicandus sis. Videntur ad te pertine-
re illa Imperatorum: *Fallaciter incusantibus, maximē post
accusationem accusati, nullus iuris color, veluti deriuata excu-
satione, proficiat, non publica quidem abolitio, non priuata tali-
bus proficiat subueniat q̄, personis, non specialis indulgentia, nec
beneficium quidem generale eos subducat.* Hęc lex. Si ego abs-
te percontarer, vnde nam tibi compertum esset, Iesuitas
priui-

L. Quisquis. C.
de calumniat.
L. Non prius.
C. cod.

L. Fallaciter.
C. de Calum.

priuilegium illud, in scio Concilio, attexuisse, quodnam
oro, responsum dares? An vllum exstat Concilij Triden-
tini exemplar, in quo exceptio illa non exstet? An fortē
nactus es antiquissimum Concilij Tridentini codicem,
litteris Longobardicis & planē fugientibus, in vetustis-
sima membrana, ante annos mille, aut minimū non-
gentos exaratum, in quo priuilegium illud, quod tibi bi-
lem tantoperē commouet, non reperiatur? An aliās tam
odora naribus tuis vis inest, vt vbi nullus odor falsitatis
est, ibi tu nihilominus falsitatem odoraris; spuriumque
esse deprehendas id, quod maximē genuinum est & ger-
manum? An ex quadam cognatione, vt balbus balbum
facilē intelligit; ita tu spurium spurium nullo negotio a-
gnoscis; quippe admodum exercitatus in eo Atheniensi
gymnasio, quod Cynosarges nominabatur, solisque no-
thorum exercitationibus destinatum erat? An vt equi-
sones solent, inspectis equorum dentibus, de eorum æ-
tate pronunciare, ita tu inspectis Conciliorum chartis,
statim agnoscis, quidnam domi sit natum, quid aliunde
assutum? An; quod verius est, imitaris Hæreticos, nomi-
natim Faustum Manichæum, qui pressus testimonio loci
alicuius ex sacra scriptura deprompti, expedite excipere
solebat, & locum illum nō  Spiritu sancto dictatum, sed
ab aliquo malē feriato intrusum esse respondebat? Sed q̄
S. Augustinus respondit Fausto de scriptura, hoc tu re-
sponsum  me habeto de Synodo Tridentina: *Vbi sic ma-
nifesta veritate isti presocantur, inquit præstantissimus ille
Doctor, vt obsessi dilucidis verbis sanctarum scripturarū (Sy-
nodorum) exitum in eis fallacia sue reperire non possint, id
testimonium, quod prolatum est falsum esse respōdent. O vocem
 veritate fugacem, in amentia pertinacem: vsque adeo inuicta
sunt, quę aduersus vos de diuinis codicibus proferuntur, vt non*

Nazian. orat.
1. cōtra Iulian.

S. August. lib.
11. cōtra Faust.
cap. 2.

fit aliud, quod dicatis, nisi eos esse falsatos. Quæ auctoritas litterarum aperiri, quis sacer liber euolui, quod documentum cuiuslibet scriptura ad conuincendos errores exeri potest, si hæc vox admittitur: si alicuius ponderis æstimatur? Aliud est ipsos libros non accipere, & nullo eorum vinculo detineri, quod pagani de omnibus libris nostris, quod Iudei de nouo testamento faciunt, quod denig, nos ipsi de vestris & aliorum hæreticorum, si quos suos & proprios habent, vel de iis, qui appellantur apocryphi, non quod habendi sint in aliqua auctoritate secreta, sed quia nulla testificationis luce declarati, de nescio quo secreto, nescio quorum præsumptione prolati sunt; Aliud est ergo auctoritate aliquorum vel librorum vel hominum non teneri, & aliud est dicere, iste quidem vir sanctus omnia vera scripsit, & ista epistola ipsius est, sed in ea ipsa hoc eius est, hoc non eius est, ubi cum ex aduerso audieris proba, non confugas ad exemplaria veriora, vel plurimum codicum, vel antiquorum, vel lingua præcedentis, unde hoc in aliam linguam interpretatum est, inde probo hoc illius esse, illud non esse: quia hoc pro me sonat, illud contra me. Huius ergo regula veritatis quidquid contra te fuerit, non est verum, quid si alius simili infamia, sed tamen, qua tua duritia confringatur, existat & dicat, imo illud, quod pro te sonat, falsum est, hoc autem quod contra te est, verum est, quid acturus es? Hæc ex S. Augustino excribere placuit, vt constaret, te Concilium Tridentinum eo modo tractare, quo fratres tui Hæretici tractant sacras literas, in quibus genuinum & τὸ ὁρθόδοξον nō est tale, nisi ipsis ita videatur. Verum quæ tua sit de toto Concilio Tridentino sententia satis liquet. Tanti videlicet id facis, quanti Calvinus aut Kemnitius: sed simulas, quasi maximi à te fiat, vt Iesuitas conuiciis insectari queas; etsi dum videri vis, quasi summo loco apud te sit hoc Conciliū, summo dedecore & probro illud afficis, vt satis superque hæctenus demonstratum est. Sed progrediamur.

Sunt

Sunt, inquis, in hoc genere & alia plurima, quæ ab omni Clero tam seculari, quàm Regulari obseruantur, à quibus vt per summorum Pontificum indulgentiam liberi fiant, modis omnibus satagunt. Non omnibus, sed licitis & iustis; neque iniustum est, vt quis priuilegium petat, si iustæ causæ suppetant: Quis enim vnquam Ordo in Ecclesia Dei exstitit, qui non fuerit variis priuilegiis à Sede Apostolica ornatus, vel propter preces Pontifici pro impetrandis priuilegiis oblatas, vel sine precibus propter Ordinis merita in Rempublicam Christianam? Si cares libris, quibus priuilegia variorum Ordinum continentur, inspice saltem titulos de priuilegiis, qui in obuiis iuris voluminibus reperiuntur. At nimis multa tibi videtur nostra priuilegia: Plurima, inquis, sunt; sed noui inuidiæ oculos; quidquid intuentur in eo, quem oderunt, id nimium & immodicum iudicant, vel vnum priuilegium, pro innumerò priuilegiorum numero, reputant. At non ita Legislator, cui ius priuilegia conferendi, & à communi lege excipiendi, cui probè cognitum, quis modus hac in re sit obseruandus, & qui pluribus paucioribusque priuilegiis sint cohonestandi.

Cæterum vt lectori priuilegiorum nostrorum gustum aliquem præbeas, nonnulla speciatim recenses: Huiusmodi, inquis, est diuinorum officiorum ad Dei gloriam, populi consolationem, ac Ecclesie adificationem decantatio: & supplicationum communium pro suo Ordine ingressus. Sæpè à nostris ratio reddita est, cur nostri choro non vtantur: nec vnquam ostendunt hostes nostri, rationem illam, vel potius rationes, ratione carere, sed sine ratione vt cœperunt, gnauiter calumniari pergunt: quasi Iesuitas summo amore complecti velint, si laudes diuinas publico cantu concelebrent. Causæ huius nostri instituti sunt potissimum

Omnes Ordines sui habent priuilegia.

Cur Societas non statuat choro.

mum ista: Prima, vt nostri studiis, lectioni & prædicationi insistere queant, quæ ratio redditur à Gregorio XIIII. Pontifice Maximo, in peculiari hac de re constitutione, & à P. N. Ignatio in Constitutionibus Societatis. Quod si reliqui Ordines, iis à Choro dant immunitatem, qui vel Concionibus habendis, vel confessionibus excipiendis, vel literis discendis vel docendis dant operam, aut etiã domesticis ministeriis ad totius familiæ emolumentũ distinetur, cur integer Ordo qui se, quãtus, quantus, his functionibus consecrat, nõ possit ab hoc cantãdi munere liberari? Præsertim cum ipse S. Thomas scripserit & docuerit, posse religionem institui ad opera *actiua* *vita*, vt ad militiã, pro fidei & iustitiæ patrociniõ, ad propagationem fidei Catholicæ, & perfectionis Christianæ per Euangelij prædicationem, per confessionum audiendarum operam, & per literarum studia: vbi S. Thomas, nullum penitus verbum facit, de obligatione cantandi horas Canonicas: imò tanquam certissimum præsupponit, sine hac obligatione religiones ad prædictos fines institui posse: Qualem ergo religionem animo efformauit S. Thomas, talem instituit Deus, his nouissimis temporibus, per nostrum Ignatium; concessu & consensu Sedis Apostolicæ, cum ætas hæc opera supradicta *vita actiua*, nempe; Euangelij prædicationem, & fidei Catholicæ defensionem, & amplificationem, & iuuentutis institutionem exigere videretur; & quod hinc est consequens, literarum perpetuum & indefinens studium; cum sine hoc cætera præstari vel obiri nequeant. Nec est de religionis essentia, vt horæ Canonicæ decantentur, quod aduersarij, velint nolint, fateri coguntur; aliàs religiosi literarum & cantus imperiti, non essent religiosi; Et ipsi Ordines mendicantes, maximè S. Dominici, non fuissent sub sua primordia Ordines Religiosi, quia plerique tradunt, eos sub

S. Thom. 22.
quest. 188.
Posse Religionem institui ad opera *vita actiua*.

sub primum ortum choro caruisse: Et plurimi ex antiquis monachis non fuissent Religiosi, nominatim illi quos D. Augustinus elegantissimis laudibus prosequitur, cum de moribus Ecclesiæ Catholicæ aduersus Manichæos disputat, nam horum quotidiana studia describēs S. Augustinus, ait: *Eos simul atatem agere in orationibus, in lectionibus, in disputationibus, nec vllam fecit mentionem, quasi cõuenire fuerint soliti ad hymnos, Deo, certis horis, decantandos; imò contrarium non modò obscure insinuat, sed & clarè indicat; cum ait; eos conuenire solitos, extremo diei tempore, ad audiendum Antistitem de rebus diuinis disputantem. Idem ex Philone liquet de Iessais, qui Christiani, & quidem religiosi fuerunt, vt doctissimi quique sentiunt, & alibi à nobis demonstratum est; quorum viuendi ratio à Philone scriptis est prodita: si igitur & isti, & innumeri alij, sine choro religiosam vitam duxerunt, cur Societas sine choro Religiosis Ordinibus annumerari non possit, & si chorus, volutate eorum, qui Ordines fundarunt, vel iussu Pontificum Ordinibus Religiosis annexus est: cur consensu nostri parentis, & approbatione summorum Pontificum, non potuisset chorus à Societate nostra iure excludi; cum tota Societas iis, quas antea diximus, *vita actiua* functionibus occupetur, cum quibus, hoc munus, quamuis pium & sanctum, consistere nequit? Non video igitur, cur tu hoc priuilegium nostrum, vel potius *institutũ*, tanquam iniquum vellices, cum eius approbatorem, contra tuam futilem improbatõnem, laudare etiam possimus sanctissimum Pontificem Gregorium cognomẽto Magnum, qui decreuit, vt Diaconi & Presbyteri sint à choro liberi, quo suo munere rectius fungantur. De quo non vereor dicere; cum, si viueret, vel si post Ordinem nostrum conditum*

S. August. lib.
1. de moribus
Cathol. Eccles.

Philolib. de
vita contempl.

S. Gregor. lib.
4. epist. 84.



tum vixisset, non minus promptè à choro Societatem liberaturum fuisse, atque eam liberauit Paulus III. & alij Pontifices, qui Societatis institutum confirmarunt: præsertim Gregorius XIII. & XIV.

Sed ais, *ex hac omissione Deum priuari gloria, populū consolatione, Ecclesiā ædificatione*: Primū, si ego vicissim dicerē: Deum priuari gloria, populū consolatione, Ecclesiam ædificatione, eò quod alij Ordines non obeant ea ministeria, quæ nos obimus, & quorum gratia à choro abstinemus, quæso, quodnam responsum mihi dares? Ergo, quod mihi daturus essēs responsum ad meam querelam; hoc tibi do ad tuam: nec postulabis aliud. Secundò dico, nec proximos consolatione, nec Ecclesiam ædificatione, nec Deum gloria priuari, quia non desunt alij plurimi & sanctissimi Ordines, qui hæc omnia abundè præstent & procurent, cantu indefinente, diurno & nocturno: Et ut maximè nos gloriam Dei, & proximi consolationem, & Ecclesiæ ædificationē, hoc cantus medio non promoueamus, at pmouemus, & totis viribus promouere elaboram⁹, aliis mediis, iisq; plurimis & efficacissimis, ut omnibus notū, quib⁹ Ordo noster notus est, quæ ita ex natura sua sunt comparata, ut non minor ad Deum gloria, ad proximum consolatio, & ad Ecclesiam ædificatio redundet, quàm ex cantandi munere; ut taceam, nostris in templis, vbi paulò numerosiora sunt collegia, sacrosanctum Missæ sacrificium à variis sacerdotibus, ita quotidie immolari, ut augustissimus ille Dei cultus, quatuor aut quinque integras horas, sine vlla interruptione, daret: Ex quo certè non modicus honor ad Deum, non exigua consolatio ad proximum, nec tenuis fructus ad totum Ecclesiæ mysticum corpus manat. Hæc de cantu.

De Supplicationibus.

Quod ad supplicationes attinet, nescio quare nos interesse

teresse velis, præsertim cum nos adeo oderis; periculum enim est, ne si cum cæteris conspiciamur certo loco & ordine, tu & tui similes, quibus Iesuitarum aspectus infaustus est, & malè ominatus, à supplicationibus absterreamini; non sine boni communis detrimento, cui amplificando ardentissimus vester precandi feruor plurimū seruit. Deinde causas cur à processionebus exemerit nos Pōtifex, ipsemet his verbis exponit: *Nos qui religiosos dictæ Societatis à studiis, lectionibus, prædicationibus, confessionibus audiēdis, & aliis verbi Dei ministeriis & pietatis operibus, quibus cōtinuè laudabiliter incubuerunt, & incubere non desistunt, quauis ex causa distrahi nolumus, considerantes in Ecclesia Dei non deesse alios Ordines religionum, qui vel ex instituto, vel absq; propriarum functionum impedimento, supplicationibus huiusmodi interesse, aliq; publica diuina officia exercere sanctè continenterg; valeant; in præmissis opportunè prouidere volentes, personas omnes dictæ Societatis, vbiq; locorū existentibus, ab interessentia supplicationum, seu precum, aut processionum huiusmodi, perpetuò eximimus & liberamus.* Hæc Gregorius XIII. Sed tibi displicet Pontificis voluntas, quia magno desiderio teneris, ut Concilium Tridētinum obseruetur; quod iubet, ut *exempti omnes tam Clerici saculares, quàm Regulares quicunq; etiam monachi, ad publicas processiones vocati, accedere compellantur, iis tantum exceptis, qui in strictiore clausura perpetuò viuunt.* At non minore desiderio exequendi, id, quod Concilium statuit, tenebatur Gregorius XIII. & tamen, hoc desiderio non obstante, exemit nos ab hoc decreto, tanquam maior Concilio, non ignarus ipsum Concilium hanc exceptionem facturum fuisse, si nostri, tempore Concilij, sese eximi flagitassent. Quod si accidisset, tū calumniam in promptu haberes: Diceres enim, Concilium aut errasse, aut Iesuitas

Cur Pontifex nostros à supplicationibus exemerit.

Concil. Tridēt. Sess. 25. cap. 15. de Regul.

H

priui-

priuilegium illud per summam fraudem, in scio Concilio, at texuisse: ita semper conuiciis, vt sic dicam, cornutis instructus incedis, vt siue hoc, siue contrarium eueniat, tu criminandi materia non destituaris.

Concil. Tridēt.
Sess. 21. cap. 2.
de reform.

Nec illud, inquis, Concilij Tridentini decretum obseruāt, quo cauetur, ne qui sacerdotes sine sufficienti prouisione, hinc inde, contra honorem Ordinis, quandoq, diuagari cogātur, quia multos ex suis ante professionem ad sacerdotium promoueri faciunt: quo fit, vt contra Concilij intentionem multi vagabundi

De promotione
ad sacros Ordines.

sacerdotes reperiantur; Primū, qui tria vota Societatis, Deo in Societate nuncupant, ii verē sunt religiosi, & in Religione degunt: poterūt ergo titulo religionis, etiam ante professionem, maioribus Ordinibus initiari, quia æquē benē & cōmodē illis, prospectum est atque iis, qui beneficium Ecclesiasticum, quod ad victum honestum sufficiat, pacificē possident, aut aliunde habent, vnde cōmodē possint viuere, quod Tridentinum Concilium à Clericis sæcularibus requirit. Dices, istos expelli, atque adeo excidere posse ab hoc statu, hincq, sequi, vt qui diuino ministerio adscripti sunt, cum Ordinis de decore mendicare, aut sordidum aliquem quæstum exercere cogantur; quibus incommodis, vt Concilium Tridentinum obuiam iret, legem hanc tulit. Cæterū etiam Professi, si criminis admissi grauitas id postulet, eiici possunt, non modò ex nostro, sed & ex aliis Ordinibus, vt etiam antè ostendimus; & tamen non obstante, quod ex statu, in quo degunt, excidere possunt, iniantur titulo religionis seu paupertatis. Secundò, vt Religiosus ab Ordine exterminari, ita Clericus propter scelera, beneficio priuari potest, & eiici, vt eat, quò pedes rapiunt & auræ; potest etiam variis casibus, seu iure seu iniuria, spoliari patrimonio, vel aliis quibuscunque bonis & obligationibus, quibus, tanquam titulo, vt vocant,

mensē

mensē ad sacros Ordines ascendit. Ergo ex Concilij Tridentini sententia, satis est, vt dum quis initiatur, habeat, vnde debita decencia & honestate, vitam sustentare queat, deque eo in posterum quoque sit certus & securus, quantum futuris in rebus licet: quæ omnia apud nostros itidem locum habent. Certissimus enim quilibet est, postquam Deo vouit in Societate I E S V perpetuam paupertatem, castitatem, & obedientiam, se & vitæ præsidia habiturum, (nisi suo merito iis indignum sese reddat) vt periculum non sit, nequid sacerdotio minus consentaneum admittere, aut exercere cogatur. Accedit, quod Concilium Tridentinum, eo loco, tantum de sæcularibus Clericis, non de religiosis, loquitur: Et quamuis Pius V. Pontifex Maximus, decretum illud postea extendit ad Religiosos non Professos, ex plenitudine potestatis Apostolicæ: cui ius fasque, aut restringere, aut extendere Conciliorū decreta: prout ratio temporum postulare videtur: attamen Gregorius XIII. idem decretum, optimis rationibus adductus, iterum contraxit, & vt ante Pium V. ita & in posterum concessit, vt Clerici regulares Ordinis nostri, licet nō Professi, sacris Ordinibus initiari queant. Quod si tibi placuit Pij V. extensio, placeat tibi etiam Gregorij XIII. restrictio: quia vtraque ab eadem Sede & potestate manauit.

Verū tu fortē Pontifices, vt solent Hæretici, incōstantiæ argues, dum posterior prioris decreta retractat. Sed quod potentissimus ille Rex respondit pro se, hoc ego tibi aliisque Hæreticis dictum volo pro Pontificibus. Nec putare debetis, si diuersa iubeamus, ex animi nostri venire leuitate, sed pro qualitate & necessitate temporum, vt Reipublica possit utilitas, sententiam ferre.

Huic excusationi similis est illa Pontificis, quæ fortē magis tibi arridebit, tanquam

H 2

quam

Quare Pontifices contrarias aliquando constitutiones edant.

Esth. 16.

Ioan. 22. Extranag. Quid Ext. Ad conditorem.

quam summo Canonum æstimatori & amatori: *Quia nonnunquam, quod coniectura profuturum credidit, subsequens experientia nocuum ostendit: non debet reprehensibile iudicari, si Canonum conditor, Canones, à se, vel à suis prædecessoribus editos, vel aliqua in iisdem contenta Canonibus reuocare, modificare vel suspendere studeat, si ea obesse potius videat, quàm prodesse: nam vt idem Pontifex ait; Ad conditorem Canonum non est dubium pertinere, cum statuta à se vel prædecessoribus suis edita obesse percipit potius quàm prodesse, ne ulterius obesse valeant, prouidere.* Accedit tandem, quod Concilium hoc ipso nos excepisse videtur, quod cõcessit, vt nostri finito probationis tempore, professionem differrent: hoc ipso enim, quod hanc consuetudinem approbavit, videtur etiam approbasse illam alteram de sacerdotio sine solenni votorum professione suscipiendo: nõ enim ignorabat Concilium, Societati hunc morem esse, vt suos ad sacros Ordines mitteret, quãuis simplicium duntaxat votorum obligatione adstrictos: imò Concilium Tridentinum, licet potissimum institutum nostrum commendarit, & amplissimis verbis laudauerit occasione professionis differri & proferri solitæ, tamen non obscure significat, sibi propositum non fuisse, vt quidquam in nostro instituto innouet, aut etiam prohibeat, quò minus Deo & Ecclesiæ inferuiamus, eo more & modo generatim, quem Sedes Apostolica iam antea confirmarit, & grauissimo suo suffragio ratum habuerit. Forè hæc ampliatio priuilegij videbitur tibi nimia, vt vt sit, hæc aliena non est ab illa lege, quæ iubet, vt *beneficiũ Imperatoris, quam plenissimè interpretemur: nec ab illa Regula iuris, quæ monet, fauores ampliandos, & odia restringenda. L. Beneficis ff. de cõstitut. Sed ais; Hinc effici, vt multi circumuagentur sacerdotes rerum omnium penuria presti.*

Primùm,

Primùm, vix statuere possum, plurè sine Regulares Clerici, an sæculares vagabundi circumuolitent: Nisi admodum me fallit animus, quocunq; venias, plures erroneos huius posterioris, quàm prioris illius classis inuenies. Secundò, huiusmodi hominum mendicabula, sua culpa in egestatem illam incidunt, quia plerunque sunt Apostatæ, nec nostri duntaxat Ordinis, sed & aliorum. Quid mirum autem, Apostatam circumcursitare, cum non modò sit incõstans animo, sed & solo; profugus instar Cain à facie Domini. Quid mirum, Apostatam facere, quæ sacerdotio non conueniunt, cum si sacerdotij rationem duxisset, duxisset & Ordinis; si & Ordinis, nunquã à Deo & Ordine descuisset. Addis: *Iesuitas Mediolanenses hæc de re cum sanctissimo Cardinale Borromæo contentionem habuisse, potiusq; suos, ordinum suscipiendorum gratia, aliò mittere quàm Concilio Tridentino, & sancti Pralati zelo acquiescere voluisse.*

Primùm, Concilium Tridentinum de Clericis sæcularibus, non de religiosis loquitur; vt verba Concilij satis superq; docent; & quamuis, vt antè dictum, Pius V. decretum illud extendit etiam ad Clericos Regulares, attamè Gregorius XIII. extensionem illam restrinxit in gratiam Ordinis nostri. Itaque sub Pio V. nec Mediolani, nec alibi vlli ex nostris sacris Ordinibus iniuriabantur, nisi prius edita professione, idque ob Pontificis constitutionem, cui, vt par erat, obtemperandum fuit. Controuersia ergo hæc inter nostros & illustrissimum Cardinalem Borromæum existere nõ potuit sub Pio V. Necessè igitur est, vt exstiterit, si vnquam exstitit, sub Gregorio XIII. At quomodo quæso probabile est, quod scribis, cum Gregorius XIII. primo statim sui Pontificatus anno constitutionem illam Pij V. reuocarit, & antiquum priuilegium Societati restituerit? Quis credat Cardinalem verè san-

De Cardinale
Borromæo.

H 3

ctissi-

ctissimum, & Apostolicæ Sedis obseruantissimum, noluisse admittere id, quod maturo consilio prudētissimus simul, & ouilis Christiani amantissimus Pontifex Gregorius XIII. constituerat? Longè propior sum existimāti, te consuetam artem mentiendi factitare, quam præstantissimum illum Cardinalem nostris quidquam controuersæ, quo ad istud caput mouisse: post Gregorij XIII. cōstitutionem. Quod si Cardinalis ille priuilegium agnoscere noluit, quod nefas credere; mirari non debes, nostros ea, qua par, modestia, sese defendisse, quia id à natura omnibus insitum est, ut sua, quæ legitimo titulo obtinuerunt, tueantur, nec adimi sibi sinant, nisi supremi præsulis auctoritas interueniat, præsertim, si quid eiusmodi sit, quod aut à primo parente, tanquam hæreditatem, aut partem hæreditatis, aut à summis Pōtificibus, tanquam immunitatem ad functiones rectè obcundas necessarium acceperunt.

Ais: Sanctionem quoq. Concilij de denunciationibus ante sacros ordines, perinde ac ante matrimonium ferre nō possunt, de q. eadem re, postquam diu cum sanctissimo Borromæo contēdisent, elegerunt potius, quos Mediolani ordinandos haberent, aliò pro Ordinibus ablegare, quàm Cōcilij decreto & sancti Prælati zelo acquiescere. Nec est, cur succenseas, quod nostri hac in re, Cardinalis, quamuis sanctitate eximij, voluntati satisfacere noluerint: cū enim ipsum Concilium Tridentinum professum fuerit, se non obstare, quò minus Societas I E S V, à Sede Apostolica comprobata, iuxta pium institutum suum, Deo & Ecclesiæ eius inferniat; Societati autem à Paulo III. hoc concessum fuerit, ut idoneos & comprobatos ab ipsa Societate, quibuscunq. mallet Catholicis Antistitibus gratiam & communionem Sedis Apostolicæ habentibus præsentare possent, qui illos sic præ-

sentatos.

*sentatos, absq. ulla promissione vel obligatione, ad Ordines huiusmodi promouerent: Non est, quod quis insolentiam aut peruicaciam, factum illud nostrorū interpretetur, quandoquidem ita à natura omnes comparati sumus, ut priuilegia nobis legitimè à maioribus concessa, non patiamur à minoribus adimi aut imminui. Nemo negauerit Cardinalem optima mente impulsus, voluisse, ut decretum illud Concilij obseruaretur, etiam à nobis. At nostri non minore æquitate nixi, iuri suo renunciare noluerunt: *Suus cuiq. mos; suus cuiq. ritus est,* inquit ille; *Quid dissensionis inter Barnabam & Paulum extiterit, quis ignorat? Barnabas volebat secum assumere (fratrum visitandorum gratia) Ioannem, qui cognominabatur Marcus: Paulus autem rogabat eum non debere recipi. Facta est autem dissensio,* inquit S. Lucas, *ita ut discederent ab inuicem; Et Barnabas quidem assumpto Marco, nauigaret Cyprum; Paulus uero, electo Sila, aliò abiret; & tamen consilij sui tam Barnabas, quàm Paulus iustas & probabiles causas adferre poterat. Nec dubito, quin Spiritus sanctus hæc diuo Lucæ dictauerit, ne postea, pro re inaudita & intoleranda, duceremus, si quando inter viros Dei, & pietatis amantes, controuersia enascerentur. Nec plura de hoc attexam. Tantum quæro; an iste calumniator ignoret, secundum quamnam partem Pontifex postea, re intellecta, sententiam pronunciarit? Nam Gregorius XIII. maior Cardinale, cui optimè perspectum erat, quanta boni nominis, & famæ secundæ, & integritatis cura in Societate haberetur, nobis causam adindicauit, & priuilegiū vetus litteris Apostolicis renouauit: & Antistitibus, qui inquisitionē illam & testimonium super vita, moribus, ætate, & natalibus nostrorum requirebāt, in perpetuum, præcepit atq; inter dixit: *Ne ab huiusmodi promouendis, qui***

Act. 15.

licen-



licentiam à Proposito Generali dictæ Societatis, pro tempore existente, vel ab eo delegatis, habuerint, quidquam prædictorum, requirant, vel exigant. Nunc cætera expendamus.

De potestate
absoluendi à
casibus referuatis.

Similem contentionem, inquis, habuerūt, cum eodem sanctissimo Cardinale de potestate, absoluendi à casibus, quos, pro disciplina diocesis suæ, ipse sibi referuarat. Lubricæ fidei homo es, quia Calvinianæ, cui falsis criminationibus Iesuitas grauari, adeo non est insuetum, vt nihil sit vsitatus. Quocirca si assensum suspendam, non erit, cur id mihi vitio vertas. Et quia similem dicis hanc contentionem præcedentibus, tūte ipse tibi ex iis, quæ ad præcedentes calumnias, huic, te iudice, similes, dicta sunt: responsionem similem facile colliges, videlicet, aut digna fide nõ esse quæ narras: aut te, si res penitus conficta nõ est; nonnulla tamen adiecisse; quæ non adiecta: aut subtraxisse, quæ non subtracta oportuit: Certè quidem hoc sanctè testari possum, quod omnibus, qui Societatem norunt, est notissimum, non tam nostræ Societati curæ esse, vt multa priuilegia adipiscatur, quàm vt adeptis sine cuiusquam, præsertim Ordinariorum, quibus omnem se reuerentiam debere, meritò cognoscit, offensione vtatur. Et si vllus præsul fuit, qui à nostris offendendus non fuit, propter absolutionem casuum referuatorum, is Cardinalis Borromæus fuit, tum propter excellentem viri sanctitatem, tum propter eius insignia in Societatem promerita: tum quia hoc eiusmodi priuilegium est, cuius vsus, si impediatur, non tollit aliquid Societati nostræ, quasi insitum & cognatum: nec ipsius instituti nostri, vt sic dicam, essentiam violat. Quare causæ nihil fuit, quantum ad hoc caput attinet, vt cum tanto Præsule dimicationem susciperemus, cuiusq; animum in nos concitaremus.

mus, cuius benevolentia, vel quibuscunq; officiis mercanda, & quibuscunque opum thesauris anteponenda fuit.

Nec est quod mihi vnum vel alterum nomines, qui fortè zelo indiscreto ductus, longius quàm conueniebat, sit prouectus; non nego enim quædam imprudenter committi posse; hoc dico, talia errata Ordini non esse adscribenda, nec si vnus aut alter modum non tenuit, e-lata voce vociferandum esse; Iesuitas erga Cardinalem Borromæum parùm reuerēter sese gessisse, cum luce clarius liqueat, si quid in hoc genere, hoc est, in immoderato vsu priuilegij, à casibus referuatis absoluendi, actum sit, id nõ actum esse, consentientibus & approbantibus Societatis moderatoribus, quibus nihil est gratius, quàm vt volentibus & lubentibus Ordinariis ministeria nostra obeamus. Non ignoro quasdam inter Cardinalem Borromæum & nostros controuersias exortas. Sed de his infra. Hic tantum de absolutione casuum Episcopaliū quæstio est, in qua non dubito te versari fide & sinceritate consueta, hoc est, Pseudocatholica; omnis candoris experte: Nec mirum te omni candore destitui; Es enim sicut Chamæleon, qui, vt ait sanctus Gregorius Nazianzenus: *Omnes colores recipit, præter candorem.* Vt tamen Nazian. orat. i. in Iulian. mendacia non nihil tegas, non nisi honorifico sanctissimi titulo Cardinalem appellas: vbi, sicut Iulianus summæ suæ iniquitati laruam Minois prætexebat, vt de eo scitè dixit Gregorius Nazianzenus, ita tu mentiendi & calumniandi pruriginem hoc ornatissimo cognomento velas: quasi non loquatur Calvinista, sed Catholicus, & summus Cardinalitæ dignitatis admirator. At nulla vquam ratione Hæresin tuam ita occultabis, ne promicet,

ne si *Orci quidem*, vt dici solet, *galeam induas*, aut *Gygis annul.*, & *pala conuersione*, te ex conspectu nostro eripias, nisi fortè Cardinalem Borromæum ridendi causa sanctissimum nominas; vt olim Madaurense Ethnici Augustinum, Patrem & Dominum, quem in Deo & Christo eius per multos annos semper in clero suo gaudere optabant: cum & Deum, & Christum; & Augustinum, totumque clerum despiciatui haberent.

S. August.
epist. 42.

De translatione
Missalis ab
vna parte al-
taris ad alte-
ram.

Matth. 15.
Marci 7.

Marci 2.

Verum nondum satis exemplorum tibi attulisse visus es, quibus planum facias, quàm Iesuitæ sacros Canones aspernentur: Vnum aut alterum adhuc addis: quorum primum satis arguit, quanto calumniarum desiderio tenearis. Ais: *Sed & ipsis Missæ Canonibus satis docent, quàm sint Canonum amatores; in illis enim, inter cetera, statuitur, vt ad differentiam Prælatorum, simplices sacerdotes ipsi à cornu epistolæ librum, ad Euangelium legendum, ad alteram deferant partem: illi verò, veluti simplicibus sacerdotibus maiores, è dignitate sua hoc non esse putant; Itaque Canonem negligunt, statuuntque, id officij à ministris sibi præstandum esse.* Reuocas mihi in memoriam calumniatores Scribas & Phariseos, proavos tuos; qui cum grauioribus calumniis destituerentur, & tamen summa cupiditate calumniandi arderent, minutissima quæque Christo & discipulis Christi obieciabant: Itaque modò carpebant quod discipuli *panem manducantes non lauarent manus;* imò vt sanctus Marcus scribit: *Cum vidissent quosdam ex discipulis eius, communibus manibus, id est, non lotis, manducare panes, vituperauerunt.* Interdum carpebant, quòd discipuli, sabbatho per sata transeuntes esurientesque, spicas velleret, *confricantes manibus, & manderent. Pharisei enim videntes, dixerunt Christo: Ecce discipuli tui faciunt, quod non licet* eis

eis facere sabbathis. Aliquando vitio dabant, quod eadem mensa, cum publicanis & peccatoribus, vteretur: *Quare cum publicanis & peccatoribus mæducat, & bibit Magister vester?* Modò alias criminationum minutias proferebant: Veriti, opinor, ne si minima quæque calumniari omittent, calumniandi artem desuetudine dediscerent. Nam vt ille ait: *Desuetudo omnibus pigritiam, pigritia veterum parit: Tragædis adeo (& conuiciatoribus) ni quotidie proclamant, (& conuiciantur) claritudo arteria obsolescit. Igitur identidem boando (& conuiciando) purgant rancum.*

Similibus calumniarum puerilibus iaculis, appetiit olim in Concilio Matiscconensi Agrestinus Pseudomonachus, regulam S. Columbani, eiusdemque discipulos, vt scribit Ionas: *Superflua, aiebat, & Canonica institutioni quadam contraria in eorum studiis teneri, Cochleam videlicet, quam lamberent, crucis signo crebrò signari, & in ingressu cuiuslibet domus intra cœnobium tam introeuntem, quàm egredientem benedictionem postulare:* Columbanum etiam à ceterorum Ecclesiasticorum more desciscere, & sacra Missarum solennia, multiplicatione orationum vel collectarum celebrare. Hæc accusator ille; tibi ad omnia gemellus; pseudomonachus & pseudocatholicus, desertorq; Ordinis & monasterij Luxouiciensis, quem miror S. Columbano nõ obieciisse grauius crimen, quod tu nobis obiicis, de libro ab vna parte altaris ad aliam, non sacerdotis manu, sed ministri opera transferri solito, cum tam enormia alioquin crimina obiecerit; & digna profectò, quæ in Episcoporum Concilio discuterentur: quàm enim grande scelus est, cochlear, quo cibum sumpturus es, sacrosanctæ Crucis signaculo consignare: quàm grande scelus est, benedictionem siue ingrediendo siue egrediendo posce-

Ionas in Vita
S. Eustasij
pud Bedam.

re: quàm grande scelus est, Missam, multiplicatis precibus & collectis, protrahere & longiorem reddere, præsertim, si adsint, quibus breuia sacra, quàm breuia conuiuia gratiora accidant; qualis proculdubio erat Agrestinus ille, & tu nouus meus Agrestinus. Sed dic, ore te, vbi exstat ille Canon, qui mandat, vt ipsemet sacerdos simplex, vt tu *compositus* sacerdos loqueris, librũ ad partem Euangelij transponat? An non Missale Romanum, quod nos sequimur, hæc disertè verba habet: *Celebrans, si priuatim celebret, ipsemet, seu minister, portat librum Missalis ad alteram partem altaris, in cornu Euangelij?* An hæc verba non legisti, odio & liuore in Iesuitas excæcatus? An fortè, si legisti, non intellexisti? An non regula hæc celebrantibus præscripta, arbitrio celebrantis permittit, vt aut ipse, aut Minister librum transferat? Quis tantam *mentien- di cecitatem dicam an consuetudinem?* ferat? Nec aliud addo; quàm quod sanctus Cyrillus de Iuliano Christianorum communi calumniatore dixit: *Tam temerè iste loquitur, inque eam peruenit vituperandi consuetudinem, vt quantum in ipso est, nulla pars vite nostræ (& instituti) crimine vacet.* Euerso igitur fundamento spontè ruūt inanes criminationes, quas superstruxisti.

S. Cyrill. lib. 7.
contra Iulianum.

Itaque vltimam huius capituli (vtinam totius libri) criminationem examinemus. Ais: *Vbi aliquid in aliorum fortè præiudicium cupiunt, viam illam tritam, perinde à gentiliũ, quàm Christianorum sapientibus, veluti legis natura documentum obseruatam, (vt nempe, parte audita, ac secundum allegata & probata, semper agatur) rebus suis parùm accommodatam vident, ab eorũ modis omnibus diuertere conantur. Maledicisne an accusas? Nam aliud est maledicere, aliud accusare,* inquit summus orator. *Accusatio crimen desiderat, rem*

Vtrum Iesuita
ordinem iudiciorum per-
uertiant.

ut

*vt definiat, hominem vt notet, argumento probet, teste confirmet; maledictio autem nihil habet propositum præter contumeliam: quam tu certè vnicã spectas; alioquin vel vnicum tribunal nominasses, vbi secundũ Iesuitas pronunciata fuerit sententia; non auditis partibus? hoc est, non secundum allegata & probata, inuito iure naturali, diuino & humano. Nec in solos Iesuitas, sed & in alios, maledictis tuis iniuriosus es. An nõ grauisissimi criminis reos facis iudices, cum insinuas Iesuitarũ fraudibus persuasos, à recto iuris tramite abripi, viamque æquã & planã deferentes, in inuia & auia iniustitiæ præcipitia conlici; nisi enim Iesuitæ eos, qui iudiciis præsumunt, patronos & conatuũ suorum adiutores habeant, nunquam efficere poterunt, vt quod tu illos mendaciter scribis appetere & eniti; id reipsa cõsequantur. Sed absit, vt aut nos isthæc conemur, aut iudices, vt in hunc modum iudicent, inducamus. Nolumus esse similes Constantij Imperatoris, nec vt alij similes fiant, optamus; cui, cum hac mente esset, meritò Calaritanus Antistes ista occinuit: *An diuinitus poteris asse-**

Lucif. lib. 1.
pro S. Athanasio.

vere permissum, absentem, inauditum, & quod est maximum, innocentem damnari? Quomodo enim arbitraris diuinitus permissum puniri inauditum, quando vides Adam & Euam, principes nostri generis, auditos sententia percussos Dei? Cum igitur huiusmodi formam iudicandi dedisse Deum aduertas, cum è latebris euocatis confessisq., Deum sententiam dedisse de sacris Scripturarum collegeris fontibus, cuius fuisti atq; es impudentia, iudicandi Dei seruos eam dare formam, quæ non fuisset de lege veniens Domini? Hæc ille.

Nec tam stupidi sunt Iesuitæ, vt non intelligant quãta incommoda in omnes ciuitates & Respublicas tam politicas quàm Ecclesiasticas, quasi agmine factò, irruptura è vestigio essent, si hæc iuris repagula perfringeren-

tur: inque foro externo iudici, ex priuata, non ex publica scientia (quæ ex *allegatis* & *probatis* nascitur) iudicandi potestas cōcederetur. At fortè tibi displicet, quod nos ipsi in Societate dum quis dimittendus est, hunc ordinarium iuris processum non obseruamus. Noui & alios, quibus hoc displicuerit, sed tibi similibus; hoc est, turbatoribus, & Apostatis. At non displicuit summis Pontificibus, & in primis Paulo III. qui primus Societatis institutum calculo Apostolico comprobauit. Nec, vt alios præteream, displicuit Gregorio XIV. qui quemadmodum cetera, ita & hoc caput, ab hostibus oppugnatum, denuò sanxit, & nouo decreto corroborauit. Quod ille de nescio quo, hoc ego vel de vno Pontifice: *εἰς ἐμὸν ἀνθρώπος τρισμῦροι, εἰ δ' ἀνδρίθμιοι, εἰ δ' εἰς*. Vnius Pontificis iudicium pluris facio, quàm multorum millium pernicaciam, & scditiosorum audaciam, ne dicam impudentiam: maximè cum si quis propter culpam dimittendus sit, non dimittatur; nisi de culpa euidenter constet. Et si vlla in re cautio adhibetur, ne quid temerè & præcipitater statuatur, hinc profectò vel maximè adhibetur; vt omnibus cōpertum est, quibus res Societatis compertæ sunt.

C A P V T III.

De Iesuitarum cum summis Pontificibus
agendi ratione.

QUEMADMODUM citharædi proludere solent, vt mox securæ harmoniæ specimen edant, & auditoribus, vt sic dixerim, gustum quendam præbeant: ita & tu, hæctenus mendaciorum tuorum fabulæ, prologum duntaxat præmississe vide-

se videris; nunc tandem, duce eo, qui omnis mendacij genitor est, rem ipsam aggredieris, & impudentiæ ora laxas, & quàm benigna tibi sit fandi an fabulandi? facultas, ipsa commentorum multitudine & immanitate abundè doces: non enim tam nostrum cum Pontificibus agendi, quàm tuum mentendi modum luculentissimis coloribus depingis, & si quis tibi vllam fidem commo- daret, is suspicari posset, Pontificem Romanum, vt olim Athenienses, *ad nihil aliud vacare*, quam vt aut noui aliquid à Iesuitis audiat; aut ipse iisdem narret. Ais: *Quò se magis à Pontificibus pendere intelligūt, eò sollicitius eorumdem fauorem captant*. Remoue *captandi* vocabulum, sub quo tegis conuicium, & non inuitus fatebor, nos operam dare, vt Pontificis beneuolentiam nobis cōciliemus; quod non mirum; cum Christi sit vicarius, Petri successor, Ecclesiæ militantis princeps; cœli claudendi & recludendi arbiter; namque, vt verè canit ille poëta; quamuis præter mentem suam, etiam in *stygios ius habet ille lacus*.

Inculcant, inquis, *sedulo*, in illorum gubernatione nihil aliud esse, quam *legem charitatis*; studia verò & omnia ipsorum exercitia eò tendere, vt quisq; suæ imprimis perfectioni studeat, deinde salutem proximorum intendat. Quid opus hæc Pontifici percensere, cum in formula instituti, Paulo III. & aliis Pontificibus oblata, ea disertè perscripta contineantur? posset Pontifex cuius talia memoranti dicere illud; *Non ignota refers*. Deinde, vt maximè verū esset, nostros Pontificibus hæc, vt tu loqueris, *sedulo inculcare*, quibus tamen cuius id sibi vitio vertenti, Paulinum illud iure opponeret: *Nā et si voluero gloriari, non ero insipiens, veritatem enim dicā*. Adiungis: *Felicissimos successus apud sanctissimos, omni occasione, nunc supra, nunc præter verum decantāt; aduersa verò tegere omnino, & occultare sat agunt*, Quasi Pontifici

2. Corinth. 12.

tifici nihil aliud sit negotij, quàm vt Iesuitas, prosperos successus Ordinis sui decantâtes perpetuò auscultet. Quod verò Pontificibus aduersa, si quæ patitur Societas, non pandant, id & supra, & præter, & cõtra verum est: cui enim filij potius, opis implorandæ causa, ærumnas suas reuelent, quam parenti; & quidem filiorum amantissimo parenti? Eadem ratione, qua filij parentibus fausta nunciant, vt eos lætitiæ participes reddant: nunciant quoque infausta, vel subsidij vel consilij gratia: Est enim veri amoris, cum eo, quem ames, non modò læta, sed & tristia cõmunicare, inque eius sinum, omnia, quæcunque tibi eueniant, expromere: Perge iam:

Ita ex lege charitatis euenire aiunt, vt superiores subditos suos ament, foveant atq; educant, perinde vt filios, & vt vicissim subditi superiores suos obseruent ac colant, veluti Patres, ac se mutuò perfectissimo fratrum amore complectantur, vt superiores cauti sint in imperando, ac ad opus exemplo suo, potius, quàm imperio suo pronocent; inferiores verò sint ad obsequendum & imitandum perfectissimi, mutuisq; officiis totis diebus certent, ita vt in ipsorum monasteriis, nil nisi perpetua pax & tranquillitas visatur. Aduersus hæc q̄ dicā, nihil habeo, quia vera sunt, & si à nostris prædicarētur; verè prædicarētur licet tu tam insulsè & inscitè scribas & loquaris, vt pulcherrimæ virtutes videri possent vitia, ob sordidam, qua à te amiciuntur, vestē. Amor amorè gignit, ex veteri dicto; Nil ergo mirū, si subditi, cùm se amari à superioribus animaduertunt, eosdem pari affectu redament: Nec solum parit amor amorem, sed & obseruantiam & obedientiam. Eius enim iussū, quem amamus, facile & libenter capeamus; Nam leuiora facit iussū iubentis amor. Ad hæc, cum exemplo superiores præeunt, quis tam socors est, qui in præeuntium vestigiis vestigia sua nolit ponere?

*Amor mutuum
in Societate.*

*Quales veri
superiores.*

Opus

Opus sermone fortius est, inquit, & verè, S. Gregorius Nazianzenus. Quocirca Apostolus cùm multa documenta Tito tradidisset, quibus sibi commissum gregem ad perfectionis studium excitaret, tandem subiecit: In omnibus præbe te ipsum exemplum bonorum operum, in doctrina, in integritate, in sanctitate, non ignarus, exemplum longè efficacius esse, quàm exhortationes, longis verborum ambagibus, sine exemplo, contextas. Ex quo fit, vt qui in omnibus se præbent exemplum, non solum sanctissimi moribus (vt ar enim verbis S. Augustini) sed etiam diuina doctrina excellentissimi, omnibus rebus excelsi, nulla superbia consulant his, quos filios vocant, magna sua in iubendo auctoritate, magna illorum in obtemperando voluntate: nam vt Philo de Iesæis ait; Hitanquam germani filij libenter ac certatim ministrant (& obediunt) haud secus ac parentibus; hanc coniunctionem arctiorem ducentes, quàm sanguinis; quandoquidem rectè sapientibus virtute nihil est antiquius. Ex quo rursus sequitur, vt quod idem S. Augustinus ait; In communem vitam castissimam, sanctissimamq; congregati, simul atatem agant, viuentes in orationibus, in lectionibus, in disputationibus, nulla superbia tumidi, nulla inuidia liuidi, sed modesti, verecundi, pacati.

Verum tu ista negas esse vera; Vix, inquis, monasterium inuenies, quo Rectores eorum & ministri, vt vocant, sibi ipsis, præter singularem necessitatem, melius non prospiciant, quàm cæteris, qui magis indigerent, & meliori ac proprio potus, & reliqui victus ac vestitus ratione vtantur. Hæc tu: homo, qui pro arte procacitatem & contumeliam habes; nam ego, qui geminam annorum decadem in Societate, Dei beneficio, iam exegi, nihil huius vnquam vidi; Et ne putet me meam causam agere; noueris me nec Rectorem nec Ministrum vnquam fuisse: quin potius semper vidi

*Nazianzenus
orat. de ca-
thed. Constan-
tinop.*

Tit. 2.

*S. August. lib.
1. de mor. cath.
Eccles.*

*Superiores So-
ciet. communi
cum subditis
victu & vesti-
tu viuunt.*

K

sup-

superiores nostros, non modò communi victus & vestitus ratione contentos viuere, sed & sese necessariis aliquando defraudare, vt esset, vnde imbecilliorē aliquem ex Collegij incolis recrearent, & reficerent: Et tamen Apostolus tantam beneficentiam non requirit, vt *aliis sit remissio*, beneficii autem *tribulatio, sed ex aequalitate*, inquit. Illud etiam notissimum est, multos ex superioribus, netum quidem diuersum quid à communi consuetudine admittere, cùm valetudinis ratio, perspicuè id exigit, neque vt consentiant adigi posse, donec vel medico ita præcipienti, vel alterius superioris mandato obtemperare cogantur. Nam si vllam regulam, eam profectò, quæ iubet, vt communem viuendi rationem sequantur, quam diligentissimè custodiunt; vtpote, in qua magnum præsidium ad vitæ religiosæ disciplinam conseruandam, collocatum probè norint. Quod olim Samuel coram vniuerso Israele liberrimè aiebat: hoc quiuis superior, memor sui muneris, vsurpare potest, ad suos subditos. *Conuersatus coram vobis vsq. ad hunc diem, ecce præsto sum, loquimini de me coram Deo, & Christo eius, si de manu cuiusquam munus tuli: si vsitata & quotidiana victus & vestitus ratione contentus non vixi: non dubito, vt Samuelem, ita & Rectorem illum, communi omnium suffragio immunem ab omni transgressione proclamatum iri. Quod si vnus aut alter turbidior & cerebrosius profiliat, (possent enim fortassis enasci tui similes, quorum iudicio, fertilior seges est alienis semper in aruis; vicinumq. pecus grandius vber habet) qui contrarium asserat, eius certè non maior habenda esset ratio, quàm eius, qui aduersus communem Israëlitarum consensum Samuelem iniustitiæ insimulasset.*

Pergis mentiri: *Si ipsi infirmentur, nulli sumptui parcendum;*

1. Corinth. 2.

1. Corinth. 12.

dum; si subditorum aliquis, opportunè monendus est medicus, vt à medicinis, & cibo sumptuosiore abstineat. Nihil à veritate alienius; quod testabuntur omnes illi medici, qui nostris, dum ægrotant, medentur. Nam quod beatus Iob de se verè prædicabat; *Ab infantia sua creuisse secum miserationem:* hoc & Societas nostra verè gloriari potest, quæ à primo suo ortu singularem egrorum curā habere confuevit, edocta cùm à suo parente Ignatio, cui hic semper animus; tum ab ipsa vnctione sancti Spiritus. Nec hîc habetur vlla personarum ratio, sed necessitatis & egritudinis: nec quidquam, quod opis & facultatis nostræ sit, intermittitur, vt infirmus pristinas vires recipiat, licet infirmæ sit conditionis; imò; vix mihi tempero, quo minus illud Apostoli vsurpem: *Qua putamus ignobiliora membra esse corporis, his honorem, (& curam) abundantiorē circumdamus. Qui valetudinarij sunt, inquit de Iesais Philo, nõ negliguntur, paratum habentes è publico infirmitati subsidium, quam securè sustentant ex communi copia.* Idem ego verè aduersus commenta tua dixerim; quia vt illis, ita & nobis omnibus vnum est promptuarium, vnde vestitus & mensa, (& medicina) communis sumitur.

In laboribus, inquis, sustinendis alijs imponunt, qua ipsi, ne digito quidem, attingere volunt. Falsum: Nam superiores nostri illud sibi dictum existimant: *Exemplum esto fidelium in verbo, in conuersatione, in charitate, in fide, in castitate, vno verbo, in omni opere.* Apud Religiosos locum non habet illud: *Princeps non est subiectus legibus:* Sed illud: *Digna vox maiestate regnantis, legibus alligatum se principem profiteri.* Adeo de auctoritate iuris nostra pendet auctoritas; & reuera maius imperio est, submittere legibus principatum. Et illud Pontificis: *Quod quisque iuris in alterum statuit, ipse eodem iure vti debet.* Etsi hæc non ita accipienda sunt,

1. Corinth. 12.

Philo lib. Quod omnis probus sit liber.

1. Timoth. 4.

L. princeps. ff. de legibus. l. digna. C. de legibus.

C. omnes, ext. de Constitut.

da sunt, quasi is qui præest, omnia illa subire aut possit aut debeat; quæ subditus, nam pastoris est pascere, subditi pasci, Rectoris regere & imperare, subditi regi & imperata capeffere; quæ utique distincta munia sunt: sed sensus est; ut quantum licet per officium superioris, sese cum subditis conformet, neque se omni legum metu & obseruatione solutum existimet: præsertim quâdo materia legis aut præcepti ad ipsum etiam pertinere potest; tunc enim culpa non caret, id oneris imponere subditis, quod Rector suscipere nolit: aut velit quidem, sed verbo, non re: nam tunc in illos quadrat illud Domini: *Dicunt & non faciunt*: Quales erant non modò Pharisei olim, sed & Manichæi, qui suis præcipiebant, *ne as in zonis ferrent*, ipsi autem vanissimæ sectæ Antistites auro & argento abundabant: Et si fortè ideo hoc præceptum suum sanctè custodiuisse credendi sunt, quia *non as in zonis, sed, ut inquit S. Augustinus, aurum in arcellis & in sacculis possidebant & circumferebant*. Hinc, inquis, *perpetua subditorum erga superiores amaritudo, hinc murmuraciones, hinc persecuciones, hinc frequenter tandem discesiones*. Primùm; si quæ ex prædictis vitiis apud nos existunt, ea certè non ex eo, quo tu ais, fonte existunt, quod scilicet superiores alligent onera subditis *importabilia*, ipsi verò ea, *ne digito quidem attingant*; sed aliunde nascuntur, inde videlicet, unde omnia zizania prodeunt, ab inimico nimirum homine; qui in id vnum incumbit; ut Moyse & Aarone, æquissimo imperio populum gubernantibus, excitet aliquem Core, Dathan & Abiron; qui, ut illi Moyse, ita isti suis Antistitibus impudèter verbis illis insultent: *Sufficiat vobis, quia omnis multitudo Sanctorum est, & in ipsis est Dominus. Cur eleuamini super populum Domini? Qui si vocentur à Moyse: respondeant; Non venimus: nunquid parum est tibi*

S. August. lib. 5. contra Faustum, cap. 5.

De dissidio.

Num. 16.

tibi, quod eduxisti nos de terra, qua lacte & melle manabat (ex Ægypto scilicet) *ut occideres in deserto, nisi & dominatus fueris nostri? Reuera induxisti nos in terram, qua fluit riuus lactis & mellis, & dedisti nobis possessiones agrorum & vinearum; An & oculos nostros vis eruere? Non venimus. Quæro ex te, unde isti murmillones murmurandi contra Moysem & Aaron occasionem sumpserint? Anne inde, quod Moyse & Aaron præciperent nimis aspera & dura? ita fortè ipsis videbatur; At non Domino; qui fecit seruo suo Moyse iudicium & iustitiam; satisque, notissimo illo seditiosorum nebulonum interitu, declarauit, quàm chari & grati sibi sint, qui aduersus magistratū insurgunt, iugumque parendi à ceruice sua excutiunt.*

Ceterùm si in illa Ecclesia Dei, in illo Electo populo, quem sibi Deus, tanquam peculium, ex tot totius orbis nationibus, secreuerat, totque miraculis & portentis illustrè reddiderat, tales exortæ sunt amaritudines, murmuraciones, impudentiæ & irreuerentiæ stolones; quid mirum, reperiri in religiosis familiis, qui similia audeant, & vetera scelera nouis exemplis innouent? Ne prima quidem Angelorum congregatio his mōstris carere potuit, quid enim Apostatæ illi ante Apostasiam aliud fuerunt, quàm amara mentis murmuratores, & diuinæ maiestatis detractores: pleni rancore aduersus Deum & inuidia? Nec Corinthiorum Ecclesia ab his immunis fuit. *Timeo, inquit Apostolus, ne fortè cum venero, non quales volo, inueniam: ne fortè contentiones, amulationes, animositates, disensiones, detractiones, susurraciones, inflaciones, seditiones sint inter vos: Sed quàm parum tulit Moyse illos susurratores: quàm parum Michael & Angeli eius præliantes cum dyabone, tulerunt seditiosos spiritus; quàm parum Apostolus inter Christianos hæc vitia ferre cōsueuerat: tam parum*

2. Corinth. 12.
Dissidia non tolerantur in Societate.



tolerantur isti in Societate. Cum Cassiano dicam: *Aut plagis aut expulsione purgantur. Tu persecutiones nominas. At persecutio non est, vbi culpa est, quia persecutio innocentiam designat: castigatio est, & quidem meritissima castigatio: Eodem iure nominares persecutionem praelium illud, quo Michael & Angeli eius, Luciferum & copias eius persecuti sunt, & de caelo deturbarunt in tartara; vbi, velut in speculo, clarè contemplari potes, qui exitus maneat turbatores, murmuratores & detractores; Neg. locus amplius eorum inuentus est in caelo, inquit S. Ioannes, & proiectus est Draco ille magnus, serpens antiquus, qui vocatur Diabolus & Satanas (hoc est calumniator & aduersarius) qui seducit vniuersum orbem, si non effectu, certè conatu; Et proiectus est in terram, & Angeli eius cum illo missi, vt quos culpa iunxerat, poena quoque non disiungeret.*

Hinc, inquis, frequenter discessiones; omnino hinc, hoc est, ex murmurationibus, detractationibus & seditionibus aduersus praesules excitatis, quia haec & similes noxae, via certissima, ad defectionem ducunt. At istae discessiones, vel potius eiectiones & abiectiones, non magis obsunt Religioso Ordini, quam caelo proscriptio obsuit Luciferi & sociorum. Nam tunc primùm, velut victoria adempta laetis vocibus clamamus: Nunc facta est salus, & virtus, & regnum Dei nostri, & potestas Christi eius: quia proiectus est accusator fratrum nostrorum (& superiorum) qui accusabat illos ante conspectum Dei nostri die ac nocte; Sed eo iure, quo Core, Dathon & Abiron, accusarunt Moysen & Aaronem in conspectu Domini. Porro si huiusmodi turbines non expectent, donec eiiciantur, sed vltro abeant, tunc idem dico quod olim S. Bonaventura, cum simile argumētum tractaret: Quod si Deo permittente, inquit, talis seipsum eiiceret, gratia sunt Deo referenda, non quia ille peccauit, sed quod

Apo. 12.

*S. Bonavent.
9. 14. in Reg.
S. Francis.*

ones

ones suas à pestifera contagione liberavit; Vtinam & abscindantur, qui vos conturbant, scilicet puritatem vestram, pacem, & famam. Hæc S. Bonaventura. At quod ita loqueris, quasi huiusmodi amaritudines & exulcerationes animorum erga superiores sint apud nos perpetuæ & quotidianae, id ideo facis, quia ex eorum es numero, quorum non modò os, sed & calamus *maledictione & amaritudine* scateret; si enim vllus est ordo, qui operam dat, ne qua *radix amaritudinis sursum germinans* impediatur subditorum cum superiore nexum & coniunctionem, & per illam inquinentur multi; in eo certè Societas quoque nostra nomen suum profiteri potest: Et meritò nihil loci amaritudini relinquit; quia, vt verè ait Ecclesiasticus, *non est sensus, vbi est amaritudo*: Quare & Apostolus seridè monet, vt omnis amaritudo à medio tollatur: Deinde tantum abest, vt hæc amaritudo subditorum aduersus Antistites sit aut frequens, aut apud multos, aut etiã plerosque; vsitata, vt verè testari possim, tot annorum experientia edoctus, subditos erga suos Rectores non aliter affectos esse, atque olim erant Galatæ in Apostolum; quorum incredili amori hoc ipsemet testimonium dedit: sicut Angelum Dei excepistis me, sicut Christum Iesum: *Testimonium præbeo vobis, quia si fieri posset, oculos vestros eruissetis & dedissetis mihi.*

Ipsi quoque subditi, inquis, inter se dimicant, dum vnus alterum, alter eundem superbum predicat, omnia inter ipsos in suis congressibus obtreclatione, scommatibus, irrisione & rixis plena esse solent. Non nego reperiri posse, qui vt pacem cum superiore scindunt, ita eandem cum proximo violent; & qui prius illud peccatum admittunt, iis admodum procliue est, & in hoc alterum incurrere; Quomodo enim pacificè viueret cum membris, cui nulla pax cum capite? Sed nec hoc nouum & insolens videri debet, in quavis familia, quamuis sanctissima, existere tales, qui pacem

Hebr. 12.

Eccles. 22.

Ephes. 4.

Amor erga Superiores.

Galat. 4.

cem

cem & concordiam in postremis ducant. Quid sanctius Ecclesia & Christiana professione? Et tamen quanta in hoc tam sancto instituto dissensiones, quantæ rixæ, sceleratorum improbitate suscitatur? *Audis scissuras esse inter*

1. Corinth. 11.

vos, ait, Apostolus, de prima illa Corinthiorum Ecclesia; & ex parte credo; nam oportet hæreses, hoc est, dissensiones, non modo in quæstionibus fidei, sed & in quotidiano conuictu esse; *Et qui probati sunt, manifesti fiant in uobis.*

S. August. in
Psalm. 54.

Nam ut verè ait S. Augustinus: *Omnis malus aut ideo uiuit ut corrigatur, aut ideo uiuit, ut per illam bonus exerceatur.* Caterùm licet nullus ordo sit, in quo similia peccata, aliquando imbecillitate, aliquando improbitate hominum exoriri non consuerint; Rectores tamen diligentissimè aduigilant, ut quoad licet, non oriantur; vel orta, è vestigio, ne ulterius serpent, compefcantur; Illud enim Apostoli monitum in corde & in ore indefinenter ferunt;

1. Thessal. 5.

Corripite inquietos. Quod si correptionibus nihil proficiant, faciunt id, quod fieri optat idem Apostolus: *Et inam abscindantur, qui uos conturbant.* Nec parcimus ulli, quisquis sit, quia, ut supra cum sancto Bernardo dicebam,

Tertull. Apo-
log. cap. 39.

Melius est ut pereat unus, quam ut unio. Iudicatur, inquit Tertullianus, de veteri Ecclesia, *magna cum pondere, ut apud certos de Dei conspectu, summumq; futuri iudicij præiudicium est, si quis ita deliquerit, ut à communicatione orationis, & conuentus, & omnis sancti commercij relegatur.* At quod omnia apud nos rixæ circumsonare scribis, nil præter solitum facis, semel mentiri ingressus, cœptum cursum tenes. Sed commentis tuis oppono in primis iudicium ipsorum etiam hostium nostrorum, qui persuasi sunt, nos coniunctissimè viuere; planeque fraternè inter nos amare, quodque uni aut lætum aut aduersum accidit; id singulos pro suo ducere: Et quod olim Ethnici, inuicem

Christi

Christianorum amore obstupefacti, vsurpare solebant, *Vide ut inuicem se diligant?* Id etiam aduersarij nostri, hodie, nostram concordiam intuiti, vsurpant. Deinde si tanta discordia inter nos regnaret, quomodo Societas nostra consisteret? An nescis illud veritatis: *Omne regnum in se diuisum desolabitur.* Quomodo Societas Indies magis atque magis propagaretur, non sine tuo, tuiq; similibus fremitu & gemitu? Nihil profectò ad amplificationem alicuius familiæ ineptius est rixis, dissensionibus, mutisque obtreccationibus.

Sed probas mendacium tuum exemplo Italorum & Hispanorum, quos ais, *Capitali odio inter se dissidere.* Item: *Chartas famosas (pasquillos uocant) in collegio Romano, aduersus superiores aliquando disseminatas fuisse.* Verum Hispani illi & Itali fortè tui fuerunt similes, hoc est, turbatores, & seditiosi; Vocationis suæ aut inmemores aut ignari; nam verus Religiosus nationum discrimina non nouit: quippe apud quem, ut & apud Deum, non sit distinctio Barbari & Græci, quia non est Iudeus, neq; Græcus, non est seruus, neq; liber: Non est masculus neq; femina: omnes enim uos unum estis in Christo Iesu, inquit Apostolus: Et ut maximè sint à natura affectus sinistri nationis in nationem; attamen gratia, quàm natura potentior est, eiusdemque uita corrigit; Et à primis Religiosæ uitæ rudimentis, instillatur nobis illud P. N. Ignatij mandatum; quo iubetur, *Ut omnes sibi caueant ab illo affectu, quo alia de aliis nationibus sinistrè sentire, aut loqui solent, quin potius & benè sentiant, inquit Regula: Et peculiari affectu diuersas à sua nationes prosequantur. Non ubi prognatus, sed ut moratus quisque sit, spectandum, ait quidam Philosophus, nec qua regione, sed qua ratione viuere inierit, considerandum est.* Quod Religiosi uel in primis considerat; Hinc Germanus cum Italo, Ita-

Rom. 10.
Galat. 5.

lus cum Hispano, Hispanus cum utroque; coniunctissime degit, vno eodemque Religionis iugo deuinctus; impleturque denuo illud Isaia oraculum; *Habitabit lupus cum agno, & pardus cum hædo accubabit, vitulus & leo & onis simul morabitur; Vitulus & ursus pascentur, simul requiescent catuli eorum, & leo quasi bos comedet paleas.* Hæc nimirum gratia Religionis est, & Euangelicæ perfectionis, quæ diuersas & naturas & nationes in vnum quasi cõstat, quam vnitatem, qui discindere nititur, is tanquam communitati perniciosus, exterminatur: *Si quis videtur contentiosus esse, nos talem consuetudinem non habemus; neq. Ecclesia Dei,* inquit Apostolus; qui & alibi clamat; *Auferte malum ex vobis ipsis.* Et ad hanc animorum coniunctionem viam nobis præiuerunt primi patres nostri; qui arctissimo charitatis vinculo colligati fuerunt; licet oriundi essent, ex diuersis admodum regionibus.

Ille, qui schedas dēratas, dentati animi indices, sparsit, talis proculdubio existit, qualis tu; qui publicè facis, quod ille priuatim egit, nisi quod publicus conuiciator tanto deterior est priuato, quanto publicum crimen cõspectius est in se; quàm priuatum. Quamuis autem, qua sorte & conditione ille fuerit, ignorem; hoc ipso tamen, quod eiusmodi chartas conscripsit, liquidò liquet, quo ingenio fuerit: Nullus enim probæ notæ, nedum Religiosus, hoc committit, quod etiam legibus politicis grauissimè interdicitur: *Si quis, inquit lex, famosum libellum sine domi, sine in publico, vel quocunq. loco ignarus repererit, aut corrumpat, priusquam alter inueniat, aut nulli consiteatur inuentum, si verò non statim easdem chartulas vel corruerit vel igni consumpserit, sed vim earum manifestauerit; sicut se quasi auctorem huiusmodi delicti, capitali sententiæ subiugandum.* En quid mereantur huiusmodi libellorū non modò auctores, sed & lectores & propagatores. Quam legem tu
saltem

Isaia 11.

1. Cor. 11.

1. Cor. 5.

De chartis & libelli famosi. L. Si quis. C. de fam. libell.

saltem eò religiosus obseruare debueras, quo maior vindex & assertor sacrorum Canonum aduersus Iesuitas videri cupis. *Est enim, ut inquit Glossa quædam, hæc lex canonizata,* hoc est, in corpus iuris Canonici translata. Exstat namque apud Gratianum s. q. 1. c. *Si quis.* Quod si pœna hæc nimis tibi dura videtur, accipe mitiorem ex Canonibus. *Qui in alterius famam publicè scripturam, aut verba contumeliosa consinxerint, & repertus scripta non probauerit, flagelletur; & qui ea prius inuenierit, rumpat, si nõ vult auctoris facti causam incurrere.* Alius Canon hoc præmium his decernit: *Si qui inuenti fuerint famosos libellos in Ecclesia ponere; anathematizētur.* Sed tu, & frater ille tuus, nec verbera, nec anathematum fulmina, nec capitis discrimina metuitis, dulcedine calumniandi in præceps abrepti. Ex quibus cuius manifestū euadit, quam existimationem, canonum & legum conditores, de huius farinae hominibus habuerint, cum eos, tanquam nocentissimos & mēdacissimos, grauissimis pœnis addicant: hoc ipso quod suppresso suo nomine, illicita via & ratione, aliorum famam proscindunt. *Quia quisquis veraciter loquitur, inquit S. Gregorius, semetipsum innotescere non debes formidare; oportet, ut publicè exeat, & quacunq. in contestatione sua loqui præsumpsit, ostendat.* Quæ verba S. Gregorius dixit & scripsit tūc, cum simili audacia & impudentia, quidam anonymus contra Castorium Notariū & Responsalem eius, & cõtra ipsam S. Gregorij personam, famosum libellum disseminasset; quem etiam sanctissimus Põtifex, iustissima indignatione cõmotus (vt & illos, qui in tanta iniquitatis consilio consensum præbuerant) participatione corporis & sanguinis Christi priuauit. Cæterum si tanti Pontificis sanctissima & planè Angelica vita, huiusmodi infames chartas vitare non potuit, qd mirum, Religionū Antistites similibus aliquādo improborū schedis exagitari? Nūc gra-
L 2 dum

s. q. 1. c. qui

S. Greg. lib. 5. epist. 30.

s. q. 1. c. quidam



dum ad alia faciamus: nam quid præterea Pontificibus de nostro viuendi instituto percensere soleamus, solitis tibiis decantare pergis.

Simile omnino est, quod apud sanctissimos adeo gloriosè buccinant, ex propria perfectionis studio, tantam in suis etiam iuuenibus puritatem sequi prædicant, vt vel Angelica sit comparanda: tantum orandi, seq. mortificandi desiderium nasci, vt freno, non calcari sit opus. Quosdam verò adeo in oratione eleuari, vt vel ad visiones quãdog, ventum fuerit. Quæso, interfuistine cum hæc aliquis ex nostris Pontifici commemoraret? Si non interfuisti, quod, meo iudicio, extra controuersiam esse debet, vnde hæc tam accuratè nosti? Nã ne te scriptorem Canonicum esse credam, qui à Spiritu sancto ducatur, & non tam agat, quàm agatur, obstant mendacia, quæ hæctenus effudisti plurima; quæq; in posterum copiosè, sine more modoque, effundes. Si autem intellexisti ex alio hæc & similia Pontifici à nostris percenseri, cognoscere aucto, quis ille sit: Ede nomen, vt qd de homine statuendum sit, statuere liceat. Produces forsân illum, qui chartas criminatrices, de quibus paulò antè dictum, sparsit. At huius tanta est, eritque apud me fides, quantam meretur. Quis enim tam leuis est, vt quidquam credendum existimet calumniatori, frontis & pudoris tam prodigo? Si quis librum ad infamiam alicuius pertinentem scripserit, ait lex, composuerit, ediderit, doloue malo fecerit, quo quid eorum fieret, etiamsi alterius nomine ediderit, vel sine nomine; vti de eare agere liceret, & si condemnatus sit, qui id fecit, instabilis ex lege esse iubetur. Dices fortè, illum tuum nondum esse condemnatum; At vt ab aliis non fuerit condemnatus, certè à se, & à propria conscientia condemnatus fuit, qua non video, cur maior condemnatio expectanda sit. Deinde, si rem sine

L. Lex Cornelia. ff. de iniuriis.

sine exaggeratione & hyperbolis exponeres; fortè inuenires, quibus fidem faceres; nunc cum nullos penitus tibi mentiendi terminos figas, nescio quis tam credulus sit futurus, vt tibi talia blateranti, fidem sit accommodaturus. Qualis enim hyperbole nostros de nostris prædicare, quasi ea puritate clarescant, quæ vel Angelica sit comparanda? Monet quidè P. Ignatius, vt omnes enitentur Angelicam puritatem imitari, & corporis & mentis nostræ munditia: vnde opinor calumniæ tuæ ansam arripuisti: sed aliud est ad Angelicam puritatè exhortari vel etiã eniti: aliud est, quasi ad Angelicam puritatè perueneris, gloriari: Primum cuiusuis religiosi est, qui carni & mundo valedixit: alterù thrafonis, & vbi viuat, & qua lege viuat, ignorantis. Sed tibi, vt & aliis nimium videtur, quod parens noster Ignatius, nos ad Angelicam puritatem sectandam commonefacit. At nisi fallor, maius quiddam est, quod Christus ad perfectionem sui cœlestis patris nos cohortatur, & ipse Deus in veteri testamento hoc præceptum populo suo dedit: *Sancti estote, quoniam & ego sanctus sum;* Matth. 5. Dic mihi Calvinopapista, vtrum difficilius creaturæ affici, diuinamne perfectionem & sanctitatem Dei increatam, infinitam & nullis limitibus circumscriptam: an puritatem Angelicam creatam, finitam, finitifque terminis comprehensam? Et tamen non obstante illa perfectionis & sanctitatis immensitate, ad illam pro modulo nostro æmulandam diuinis vocibus incitatur: Cur igitur non incitaremur, humano saltem parentis nostri celestimate, ad laudem & decus Angelicæ castitatis persequendum: præsertim cum vita cœlibum, sit vita cœlitum? *Angelorum vitam elegisti,* inquit S. Gregorius Nazianzenus, virginem alloquens, *in eorum ordinem te aggregasti,* Nazianzenus orat. in dict. Enang. Matth. 19. *qui iugum nesciunt.* Et infra: *An non planè Angelicum, eam,* 19. *qua*



Nazian. Exhort. ad Virg.

que carnis vinculis alligata sit, non secundum carnem vivere, sed natura ipsa excellentiorem esse? Alibi idem sanctus pater, his ad virginem verbis utitur: Spirituales virtutes imitata, Angelicam vitam rationem in terra consecrata es: Sciens praetereo alios patres, qui eodem praconio vitam caelibem condecorant, quia ad te propero, ut audiam, quonam pacto haec & id genus alia falsa esse demostres. Nec multum repugnarem, si falsa esse doceres, prout a te proponuntur & exponuntur: quia reuera falsa sunt: sed quoniam eò tendis, ut calumniarum tuarum cuniculis, quidquid apud nos laude dignum reperitur, subvertas: ideo conatibus tuis occurrendum est.

De castitate.

Ais; Quod ad Angelicam illorum puritatem attinet: notissimum est, plurimos ex illis, dum in illorum monasteriis viverent, cum puellis matrimonium de presenti contraxisse. Multos quoque, qui ab illis discedunt, primo etiam die, ad scorta impudentissime se conferre. Subit memoriae illud Tertulliani:

Tertullian. lib. de ieiun.

Piget iam cum talibus congrredi, pudet & iam de eis altercari, quorum nec defensio verecunda est. Citat & laudat S. Cyrillus contra Iulian.

S. Cyrill. lib. 7. contra Iulian.

lus hunc veteris poetæ versum: χαλεπὸν παμφίλη ἐλευθέρῃ γυναικὶ πρὸς πόρνην μάχη. Grauis & molestares est, honesta & pudibunda matrone pugna & concertatio cū effronte scorto: nam cum non possit, inquit S. Cyrillus, iuste sanctam, & honestam, ac ingenuam illius vitam arguere, suorum criminum sordes in illam emungit, dicaciq; & abominabili lingua inuadit. Quam verè hæc & à poetâ, & à S. Cyrillo dicta sint, cum aliàs sæpe expertus sum, tum maximè cum hoc impuro & impudente conuiciatore experior. Sed tamen vel cum iactura verecundiæ in hanc arenam pertrahor. Ac primum grauisissimam, & planè diuinam S. Augustini orationem calumniatoribus nostris oppono: nam cum de Venereo flagitio, quasi sua in familia perpetrato S. Augusti-

gustinus ageret, ita praeter cætera ad Clerum & plebem Hipponensem scribit: Quantumlibet enim vigilet disciplina domus mea, homo sum; & inter homines viuo, nec mihi arrogare audeo, ut domus mea melior sit, quàm arca Noë, ubi tamen inter octo homines reprobos vnus inuentus est; aut melior sit, quàm domus Abraham, ubi dictum est: Eiice ancillam & filiam eius; aut melior sit, quàm domus Isaac, cui de duobus geminis dictum est: Iacob dilexi, Esau autem odio habui: aut melior sit, quàm domus ipsius Iacob, ubi lectum patris, filius incestauit; aut melior sit, quàm domus ipsius Dauid, cuius filius cum sorore concubuit; cuius alter filius contra patris tam sanctam mansuetudinem rebellauit: aut melior, quàm cohabitatio Pauli Apostoli, qui tamen, si inter omnes bonos habitaret, non diceret, quod superius commemoravi, foris pugna, intus timores; nec diceret, cum de sanctitate & fide Timothei loqueretur, neminè habeo, qui germanè de vobis sollicitus sit, omnes enim sua querunt, non que sunt IESU Christi: Aut melior, quàm ipsius cohabitatio Domini Christi, in qua vndecim boni, perfidum & furem Iudam tolerauerunt, aut melior sit postremo, quàm caelum, unde Angeli ceciderunt. Hæc Augustinus pro sua & nostra familia.

S. Augustinus epist. 137. ad Clerum & plebem Hipp.

Addo ego; non est sanctior domus nostra, quàm locus, in quo Saluator noster natus est, & tamen in hac ipsa spelunca ad flagitium Sabinianus Diaconus, virginem sacram sollicitauit, & cum ea quasi matrimonium de presenti, ut tu loqueris, contraxit. Quod scelus D. Hieronymus his verbis deplorat, vel potius detestatur. Infelicissime mortalium, tu speluncam illam, in qua Dei filius puer natus est, & veritas de terra orta est, & terra dedit fructum suum, de stupro condicturus ingrederis? Non times ne de praesepi insans vagiat, ne puerpera virgo te videat, ne mater Domini contempletur? Angeli clamant, pastores currunt, stella

S. Hieron. epist. ad Sabinianum.

Stella desuper rutilat, Magi adorant, Herodes terretur, Hierosolyma conturbatur, & tu cubiculum virginis decepturus virginem irrepis? paucos o miser, & tam mente, quam corpore perhorresco, ponere tibi volens ante oculos tuos opus tuum. Tota Ecclesia nocturnis vigiliis Christum Dominum personabat, & in diuersarum gentium linguis, vnus in laudibus Dei spiritus concinebat, tu inter ostia quondam praesepis Domini, nunc altaris, amatorias epistolas fulciebas, quas postea illa miserabilis, quasi flexo adoratura genu, inueniret & legeret, & stabas deinceps in choro psallentium, & impudicis nutibus loquebaris. Pro nefas, non possum ultra progredi, prorumpunt lachrymae, antequam verba; & indignatione pariter ac dolore in ipso meatu faucium, spiritus coarctatur. Vbi mare illud eloquentia Tulliana? vbi torrens fluuius Demosthenis? nunc profecto muti essetis ambo, & vestra lingua torpesceret: inuenta est res, quam nulla eloquentia explicare queat: repertum est facinus, quod nec Mimus fingere, nec scurra ludere, nec Attellanus possit effari. Moris est in Aegypti & Syriae monasteriis, ut tam virgo, quam vidua, qua se Deo vouerint, & saeculo renunciates, omnes delicias saeculi concularint, crinem monasteriorum matribus offerant desecandum, non intellecto postea contra Apostoli voluntatem incessura capite, sed ligato pariter ac velato orent. Nec hoc quispiam praeter tondentes nouit & tonsas, nisi quia quod ab omnibus fit, paene scitur ab omnibus. Hoc autem duplicem ob causam de consuetudine versus est in naturam, vel quia lauacrum non adeunt, vel quia oleum nec capite, nec ore norunt, ne a paruulis animalibus, quae inter cutem & crinem gigni solent, & coereis sordibus opprimantur. Videamus igitur tu, vir bone, inter ista, quid feceris. Futuro matrimonio, in spelunca illa venerabili, quasi quosdam obsides, accipis capillos, sudariola infelicis, & cingulum dotale pignus deportas: iurans ei, te nullam similiter amaturum: deinde curris ad pastorum locum, & Angelorum desuper strepi-

tu concinente in eadem verba testaris. Nihil dico amplius quod in oscularueris, quod amplexatus sis. Totum quidem de te credi potest, sed veneratio praesepis, & campi non me sinunt plus credere, quam te voluntate tantum & animo corruisse. Miser, nonne quando in spelunca cum virgine stare coepisti, caligauerunt oculi tui, lingua torpuit, coeciderunt brachia, pectus intremuit, nutauit incessus? Post Apostoli Petri Basilicam, in qua Christi flammeo consecrata est, post Crucis & Resurrectionis & Ascensionis Dominicae sacramenta, in quibus rursum se in monasterio victuram sponderat: audes crinem eius accipere, tecum noctibus dormire, quem Christo messuerat in spelunca? Deinde a vespere usque mane fenestra illius absides, & quia propter altitudinem herere vobis cominus non licebat, per funiculum, vel accipis aliquid, vel remittis. Vide quanta diligentia Domini fuerit, ut nunquam domi virginem, nisi in Ecclesia videris: & cum talem uterque vestrum habuerit voluntatem, nisi per fenestram nocte facultas vobis non fuerit colloquendi. Oriebatur tibi, ut postea didici, solinuito, exanguis, marcidus, pallidus, ut suspicione omni careres, Euangelium Christi, quasi Diaconus lectitabas. Nos pallorem ieiunij: exanguis os, contra institutum ac morem tuum, quasi confectum vigiliis mirabamur. Iam tibi & scale, per quas deponeres miseram, parabatur: iam iter dispositum, decreta nauigia, condicta dies, fuga animo pertractata, & ecce Angelus ille cubiculi Mariae ianitor, cunarum Domini custos, & infantis Christi gerulus, curam, qua tanta faciebas, prodidit. O funestos oculos meos, o diem illum omni maledictione dignissimum, in quo epistolas tuas, quas huc usque retinemus, consternata mente legi. Quae ibi turpitudines, quae blanditiae, quanta de condicto stupro exultatio? Haecine Diaconum non dicam loqui, sed scire potuisse? Vbi miser ista didicisti? qui in Ecclesia te nutritum esse iactabas? Nisi quod in eiusdem epistolis iuras, te nunquam pudicum, nunquam fuisse Diaconum.

Hæc S. Hieronymus de scelere, suo in cætu, si non perpetrato, certè destinato & concepto.

1. Corinth. 5.

Apostolus de Corinthiis ita scribit: *Omnino auditur inter vos fornicatio, & talis fornicatio, qualis nec inter gentes, ita ut uxorem patris aliquis habeat.* Et alibi metuens, ne in

2. Corinth. 12.

Corinthiorum Ecclesia reperiret, qui libidinis labe pœnitentiæ lachrymis non eluissent. *Timeo, inquit, ne iterum, cum venero, humiliet me Deus apud vos, & luceam multos exiis, qui antè peccauerunt, & non egerunt pœnitentiam super immunditia: & fornicatione, & impudicitia, quam gesserunt.* Hæc eo consilio adduxi, ut demonstrem, extra beatorum Ordinem, nullū statum esse tam sanctum & immaculatum, cuius Professoribus hostes nostri, Diabolus, caro & mundus nequeant insidias struere; & pedicas tendere, incautosque in interitum præcipitare: nec esse mirandum, si homo, quamvis professione religiosus, ruat, & qui prius Angelorum esca vescebatur, nunc porcorum siliquis ingurgiterur. Scio esse, qui isthæc mirentur, quibus quid aliud dicam, quàm illud Tertulliani: *Solent isti miriones etiam de quibusdam personis ab Hæresi (& Venere) captis, adificari in ruinam. Quare illa vel ille fidelissimi, prudentissimi & vrsitatissimi in Ecclesia in illam partem transferunt? Quis hoc dicens, non ipse sibi respondet; neg, prudentes, neg, fideles, neg, vrsitatos estimandos, quos hæreses (& carnis flagitia) potuerint demutare? Et hoc mirum opiner, ut probatus aliquis retrò postea excidat? Saul bonus præ cæteris, liuore postea evertitur: Dauid, vir bonus, secundum cor Domini, postea cædis & stupri reus est, Salomon omni gratia & sapientia donatus à Domino, ad idololatriam à mulieribus inducitur. Soli enim Detilio seruabatur sine delicto permanere.* Ita Tertullianus.

Ergo Ordini non est dandum vitio, si qui fraude dæmonis in vitia prolabantur: illud vitio daretur non im-

meri-

Tertullian lib.
de præscript.

meritò si Ordo tales toleraret, si non seuerissimè talia piacula expiaret: si non omnem, quæ humanæ industriæ possibilis est, industriam adhiberet, ut huiusmodi vitiiis aditum intercludat. Qua de causâ S. Apostolus vehementer Corinthios increpat, quod pro meritis pœnas in libidinosum illum nō è vestigio statuissent, etiam expulsionem ab Ecclesia; *Et vos inflati estis, inquit, & non magis luctum habuistis, ut tollatur de medio vestrum, qui hoc opus fecit.* Et infra, quid cum his agendum sit; præscribit in hunc modum: *Si is, qui frater nominatur, est fornicator aut auarus, aut idolis seruiens, aut maledicus, aut ebriosus, aut rapax, cum huiusmodi nec cibum sumere:* Præterea nemo prudens nescit, quid & quantum credendum sit hæreticis; cum in hoc argumento versantur: Nam si vsquam mendaciis habenas laxant, hic vel maximè laxant, præsertim cum Iesuitas sibi delegerunt; quos hac infamiæ macula aspergant. *Ad quid enim aliud sedent isti, (vtor verbis S. Augustini) & quid aliud captant, nisi vt quisquis* Epist. 137. *Episcopus, vel Clericus, vel monachus vel sanctimonialis ceciderit, omnes tales esse credant, sed non omnes posse manifestari? Et tamen etiam ipsi, cum aliqua maritata inuenitur adultera, nec proiciunt uxores suas, nec accusant matres suas. Cum autem de aliquibus, qui sanctum nomen profitentur, aliquid criminis vel falsitatis sonuerit, vel veri patuerit, instant, satagunt, ambiunt, vt de omnibus hoc credatur. Hos ergo de nostris doloribus suauitatem sua lingua captantes, facile est, vt illis canibus comparemus si forte in malo intelligendi sunt, qui lingebant vulnera pauperis illius, qui ante ianuam diuitis iacebat, & quousque veniret ad requiem sinus Abraha, laboriosa & indigna omnia tolerabat. Imò quod idem Augustinus rectè scripsit: Hæretici non habendo quod in causâ sua diuisionis defendant, & ea ipsa plura falsissimè iactant, vt quia ipsam diuinam*

M 2

scriptu-

scriptura veritatem, qua ubiq; diffusa Christi Ecclesia cōmendatur, criminari & obscurare non possunt, homines per quos predicatur, adducant in odium, de quibus & fingere, quidquid in mentem venerit, possunt. Hæc S. Augustinus, quæ quàm vera sint, docent cùm alij sectarij, tum iste noster, qui quod paucissimi fecerunt, plurimos fecisse ait; sed quales isti, ipsemet describit: non opus est descriptione nostra: Apostatæ videlicet, vel qui iam Apostasiæ proximi. Hos, qui miratur, talia flagitia committere; is genium & ingenium Apostatarum ignorat. Apostatas esse impuros, non est magis nouum, quàm excrementa corporis esse impura; nam si pura essent, excrementa non essent. Quid mirum, Apostatas esse vinosos & luxuriosos, cùm vinum & mulieres apostatate faciunt etiam sapientes, quanto magis truncos & stipites? Mirandum magis esset, si Apostata templum, quam popinam & prostibulum magis amaret. Homo Apostata vir inutilis, Salomone teste. Simpliciter fateor charitati vestrae, coram Domino Deo nostro, inquit S. Augustinus, qui testis est super animam meam, ex quo Deo seruire cœpi, quomodo difficile sum expertus meliores, quàm qui in monasteriis profecerunt, ita non sum expertus peiores, quàm qui in monasteriis ceciderunt. Itavt hinc arbitrer scriptum in Apocalypsi: Iustus instior fiat, & sordidus sordescat adhuc. Hæc S. Augustinus verissimè. Sed audiamus quid instructionis causâ subiungat. Et si, inquit, contristamur de aliquibus purgamentis, consolemur tamen etiam de pluribus ornamentis. Nolite ergo propter amurcâ, qua oculi vestri offenduntur, torcularia detestari, unde apotheca Dominica fructu olei luminosioris implentur. Hæc in præsentia de hoc argumento satis: nam infra dabit nobis calumniator occasionem plura dicendi, addendique si quid hîc præteritum videtur.

Ecclesiast. 19.

Proverb. 6.

S. August.
Epist. 137.

Nec

Nec tantus est, inquis, orationis feruor, vix enim dies dabitur, quin aliquem castigent, vel quod ad orationē tardius surrexerit, vel in ipsa oratione dormierit. Si castigantur, qui seriùs ad preces surgunt, aut inter orandum obdormiunt, signum igitur est, orationis studium feruere: cùm nullus toleretur tepidus, nullus socors & somnolentus, nam si orationis nulla cura esset, superiores profectò à negligētibz pœnas non reposcerent. Interim acumen tuum satis mirari nequeo; nam si pœna à delinquentibus exacta, argumentum est negligentia, tum sequitur, in ea ciuitate, non florere iustitiam & æquitatem, vbi iniusti & iniuri puniuntur, nec temperantiam, vbi temulenti merita supplicia expendunt: Et vt ad propositum nostrum paulò accommodatius exemplum adducam; apud veteres illos Monachos orationis studium non feruebat, quia desides, pœnitentiis ad ardentius precandum, excitabāt. Ita enim Cassianus, cuius auctoritatem non despicias, si non modò ore, sed & corde Catholicus es: At si ore tantum fidem orthodoxam profiteris, saltem ore auctorem hunc non repudiabis: Is verd, inquit Cassianus, qui in terra, sexta, vel nona, priusquam psalmus ceptus finiatur, ad orationem non occurrerit, vltius Oratorium introire non audeat, nec semetipsum admiscere psallentibus: sed congregationis Missam, stans pro foribus, prestolatur, donec egredientibus cunctis, submissa in terram pœnitentia, negligentia sua vel tarditatis impetret veniam, sciens, nequaquam se posse desidia sua noxam aliter expiare, sed ne in ea quidem, qua post tres horas erit secutura solennitas, admittendū, nisi pro negligentia presenti, confessim vera humilitate subnixius satisfacere festinauerit. In nocturnis verd conuenticulis vsque ad secundum Psalmum præbetur tardanti dilatio: ita dūtaxat, vt antequam, finito eodem Psalmo fratres in oratione procumbant, semetipsum congregationi

Cassian. lib. 3.
de Insti. c. 7.

M 3 tioni

tioni inserere, atq; admiscere festinet, eidem proculdubio increpationi ac penitentiae, quam praediximus, subiiciendus, si ultra praestitutam dilationis horam vel modicum tardauerit. Inter poenas delinquentibus Religiosis decretas à S. Basilio hæc primo loco legitur; *Si quis sanus corpore neglexerit orationes, excommunicetur, aut unam hebdomadem ieiunet.* Num & apud S. Basiliū orationis feruorem refrixisse dices; eò quod in frigidis hanc poenam statuerit? Quod autē ais, quosdam *serius surgere*, id ita est, quādo vel ætatis vel valetudinis ratio hoc efflagitat. At quod istos *liberos esse ab oratione* scribis; falsum scribis: nemo enim à re, omnibus tam necessaria, liberatur: sed tempus certum & præfinitum precandi habent, æque ac alij, qui vna hora citius rerum cœlestium meditationi vacant, nec ab inspectore eximuntur, nisi vel ratio officij, vel conditionis, & perspectæ virtutis hanc immunitatem concedat. Nec id tibi tam paradoxum videri debet: in nulla enim Republica pari forte viuit is, qui præest & qui subest, nec eadem prorsus onera portat Antistes, quæ subditus, sed cum subdito quædam habet cōmunia, quædam sibi propria: sicut & subditus vicissim peculiaria habet, quorum pondere superior non vrgetur.

De ipsorum visionibus, inquit, *donec rationem aliquam probabilem adserant, ad prudentiam potius dubitare, quam ad pietatem credere pertinere videtur.* Ergo quam diu tu non credes, alicui ex nostris precanti cœlestem visionem oblatam esse, tam diu non offeretur: & quam primū credes, tum offeretur: Crede igitur, obsecro, id fieri posse, aut factum esse, ne eos, qui ardentiores preces fundunt, tanto fructu, ob tuam incredulitatem, priues: crede, inquam, & tunc ego in gratiam tuam libenter, & nisi fallor, prudenter credam; te, cum oras, somnia somniare, & visiones

fiones videre; nō quidem illas à Ioële Propheta promissas, & à S. Petro, Pentecostes festo, repetitas: sed illas, quæ nascuntur in domo Somni ab Ouidio in Metamorphoseos libris pulcherrimè depicta, quas formare & menti obicere solet Phantafus, aut Morpheus, aut Icelus, & similes tibi non ignoti de soporis aula aulici. Etsi fortè tibi iniuriam non facio, si te similem dicam Æmyliano apud Apuleium, qui nulli vnquam Deo supplicauit; aut Fafelo Catulli, qui licet veniret à mari nouissimo, hunc ad usque limpidum lacum, gloriabatur tamen, nulla vota littoralibus Diis sibi esse facta. *Iactant*, inquis, *apud Pontificem, quasi Italiam & Hispaniam ab heresi præsauerent; imo prædicant, quod nisi ipsi fuissent, iam porta inferi præualuissent aduersus Ecclesiam.* Ait veterum quidam: *Mendacium esse tenue, & facile perlucere.* Hoc sanè, meo iudicio, tenue non est, sed crassissimo filo contextum; perlucet tamen insigniter: & primo statim aspectu se prodit. Quis enim non animaduertat, te per quam splendide, quamuis crasse, mentiri, cum Iesuitas, eò impudentiæ progressos scribis, vt sibi salutem totius Italiae & Hispaniæ, imo totius Ecclesiæ adscribant? An nescire centes Iesuitas, supra quem Ecclesia ædificata sit? An etiam tam excordes credis, vt non percipiant, quanam vis subiiciatur verbis illis: *Tu es Petrus, & super hanc petram (seu super hunc Petrum) ædificabo Ecclesiam meam, & porta inferi non præualebunt aduersus eum.* Stupidum profectò te esse oportet; tum quia non attendis, quàm indoctè & incautè mentiaris, tum quia non vides, quidnam sequeretur, si quis Iesuitarum apud Pontificem gloriaretur; quasi Ecclesia supra Iesuitas ædificata esset. An non enim talis ad Inquisitorum tribunal curiculò raperetur, tanquam peregrinæ & hæreticæ doctrinæ auctor? An non tam stolta iactantia, sine mora

mora debitum præmium acciperet? Neminem tamen fugit, vnde tam tu, quàm tui similes hæretici occasione arripueritis, ad hanc calumniam excogitandam. Quia enim Iesuitæ profitentur, & præferunt, suæ vocationis esse; laboranti, & ab hæreticis oppugnatae Ecclesiæ opem ferre: ideo scilicet iactant, supra suam Societatem Ecclesiam exstructam esse: ideo ipsi se ipsos *fundamenta* Ecclesiæ prædicant. At falleris, mi homo; aliud est esse arcis allicuius defensorem & propugnatorẽ; aliud basin & fundamentum: prius, vt, Deo adiuuante, simus, enitimur: posterius Christo; sancto Petro, eiusque successoribus relinquimus, nisi fundamentum eo sensu accipias, quo omnes, qui Christianam fidem docent & amplificare student, *fundamenta* Ecclesiæ dici solent; sed, vt quis sit hac notione *fundamentum*, frons tamen & modestia non permittit, vt se huiusmodi fundamentum esse magnificè prædicet: quia iure optimo, multa quis & esse & habere potest, de quibus nõ nisi iure pessimo gloriari potest; nec vllum huius generis fundamentum gloriari valet, absq; se fuisset, futurum fuisse, vt *inferorum porta aduersus Ecclesiam* præualerët: nam licet Ecclesia doctoribus & defensoribus egeat, non eget tamen his vel illis determinatè; quia quamuis isti non exstitissent, nihilominus Ecclesia robore suo secunda perstitisset; Deus enim alios submisisset, qui fortè vtiliorem operam Ecclesiæ nauassent: hoc ipso enim, quod Deus Ecclesiæ stabilitatem vsq; ad *consummationem sæculi* promisit, simul etiam promisit ea, sine quibus Ecclesia non perseveraret. iugem videlicet idoneorum pastorum & doctorum prouentum.

Ais: *Iuuant quidem Iesuitæ nonnihil ad Ecclesiæ Catholicæ propagationem, Alij tamẽ etiam iuuant; Quis negat? Et plus illis efficiunt.* Nec de hoc tecum contendimus; dummodo no-

do nobis quoque in hac vinea excolenda stationem assignatam relinquant. Non enim quæritur, quis plus altero labore suo proficiat; sed quis proficiat; liceat illis dicere cum Apostolo: *Abundantius illis omnibus laboraui: nobis,* 1. Cor. 15. vbi omnia quæ officij nostri sunt, præstitimus, sufficiat dicere; *serui inutiles sumus, quod debuimus facere, fecimus.* In- Luca 17. ter Duces, milites, & propugnatores Regis Davidis & regni eius, varij fuerunt gradus: nam vt non simus inter tres primos, quorum excellentiam, ne excellentissimi quidem adæquare poterãt; at fas sit nobis, bona tua cum venia, esse inter illos, qui saltem trigesimum septimum locum obtinent; *Nam omnes,* inquit sacra scriptura, *triginta septem.* Fateor tamen me nescire, quando nam tibi hæc prouincia sit demandata, vt lance accepta, sicut ille apud Homerum hominum fata: ita tu Religiosorũ merita, & exantlatos labores trutines; & cuius pro operum dignitate aut magnitudine, locũ assignes: nam iudicium hoc, si rirè recordor, hæctenus semper ad Deũ pertinuit: aut si & ad homines, non nisi ad illum, qui Christi in terris vices gerit. *Iesuitæ,* inquis, *omnia, quæ faciunt, etiam minutissima, omnibus in angulis prædicant, & plus quàm res est frequenter decantant: At alij religiosi rectè factorum conscientia contenti, aut facta sua retinent, aut minus fortè præmodestia sua, quàm res est, prædicant.* Nihil de Iesuitis sine significatione & maledictis proferre potes. Vt mihi proinde, cum de nobis loqueris; sacra Herculis cum Lindiis celebrare videaris. *Lindiis,* inquit S. Gregorius Nazianzenus, *Herculem diuis deouere pium habetur; ac Deum illum non alio, quàm conuiciorum & maledictorum honore afficiunt.* Ita & tu, nisi conuicia conuiciis iungas, cum de Iesuitis scribis, statim scrupulus, quasi violatae religionis mentem tuam angit: aliosque laudas, non vt laudes, sed vt Iesuitas deprimas,

N qui-

I. Cor. II & 12.

I. Reg. 17.

II. Cor. 15.

quibus, fateor, mos, si quid ad gloriam Dei illustre, & ad Ecclesiæ emolumentum proximiq; consolationem cōmemorabile, gestum est; id cum sociis eiusdem instituti, aut etiam publicè cum omnibus Christianis communicare, sed sine thraſonica exaggeratione; nec alio consilio, quàm vt Catholica fides confirmetur & amplifcetur, Deoq; ob benefacta gratiæ debitæ ab omnibus persoluantur. Neq; hoc vetitum est, aut fœtidum, alioquin contra modestiæ leges peccasset Apostolus, qui cum alibi, tum ad Corinthios, labores suos & fructus, ex Euangelij prædicatione à se relatos, copiosissimè, ne dicam minutissimè, prosequitur: cui aliquis Celsus aut Iulianus, liuore cæcus, facilè id obieciſſet, quod tu Iesuitis obiectas: nisi forte eò impudentiæ processisti, vt tu ipse Apostolo id vitio vertere audeas, quod, vt de fronte tua mihi persuadeam, satis argumentorum habeo. Dauid ingressurus singulare certamen cum Gigante Goliath, κατὰ τοὺς ῥημάτων sua, longa oratione, coram Saule, percenset; quia vt percenseret, gloria Dei, & instans necessitas perurgebat: *Pascebat, inquit, seruus tuus patris sui gregem, & veniebat leo vel ursus, & tollebat arietem de medio gregis, & persequebar eos, & percutiebam, eruebamq; de ore eorum, & illi consurgebant aduersum me, & apprehendebam mētum eorum, & suffocabam, interficiebamq; eos; nam & leonem & ursum interfeci.* Quid tibi de hac Dauidis oratione videtur? An & hic tuum illud adduces: *Alij silent: iste facta sua effert, & accuratissimè enumerat.* Nunquam legisti, quid Paulus & Barnabas Apostoli egerint, cum ab Antiocheſis Hierosolymam ad Apostolos mitterentur? Illi, inquit S. Lucas, *deducti ab Ecclesia pertransibant Phœnicem & Samariam, narrantes conuersionem gentium* (nota hoc Caluinista) subdit S. Lucas, *Cum autem venissent Hierosolymam, suscepti sunt ab Eccle-*

Ecclesia, & ab Apostolis, & senioribus, annunciantes, quanta Deus fecisset cum illis. Tacuit autem omnis multitudo, & audiebant Barnabam & Paulum narrantes, quanta Deus fecisset signa & prodigia in gentibus per eos. Ecce vbi que memorant, quid effecerint, quidque Deus, ipsorum ministerio, patrârît; imo iidem, cum Antiochiam peruenissent, & congregassent Ecclesiam, retulerunt, quanta fecisset Deus cum illis, & quia aperuisset gentibus ostium fidei. Ergo nihil à Religiosa modestia alienum Iesuitæ faciunt, cum similia, eodem fine, quo Apostoli, Christiano orbi annūciant: præfertim, si quid sit de conuersione gentium ex India vel Iaponia, aut ex Europa, de hæreticorum ad Ecclesiæ unitatem regressione.

Sed ais: *Alios Religiosos id non facere.* Primum: nostra nihil refert, idēne faciant an secus: nobis iustæ causæ suppetunt, faciendi, ipsis, si non faciunt, non faciendi. Deinde, aliud testantur diuersorum Ordinum Annales, quibus enucleatè consignatur fructus, quos ex agro Dominico in Ecclesiæ horreum, & vt sic dicam, granarium, inuexerunt. Quidam sanctissimi Ordinis Generalis Minister verè hæc in præfatione operis cuiusdam. *Et quis, queso, quantos in Ecclesia Dei fructus nostri faciant fratres, vlla oratione satis explicarit? nam non solum, quæ Christo parta sunt, suo labore tuentur, verum etiam noua quotidie regna, nouas prouincias eius imperio subiiciunt & acquirunt.* Et infra: *Sed quid facio? ingens enim scribendus esset liber, si ea, quæ per fratres nostros ab octoginta annis in conuertendis gentibus facta sunt, describere velint.* Tandemq; subiungit: *Dolet certè mihi, quod nullus ex fratribus nostris conuersionis vtriusque India Ecclesiasticam scripserit historiam.* Hæc ille, quæ eo animo adduxi, vt appareat Calvinopapistam istum in aliis

commendare, quod in Iesuitis carpit. Dices fortasse; *Alios sua modestè commemorare: Iesuitas modestia leges transgredi.* Sed cuius iudicio? Eius nimirū, qui ab omni modestia tam procul distat, ut eam, ne eminus quidem, unquam aspexerit: tantum abest, ut propius cognorit, cognitamque sibi stabili nexu despondendam putarit.

De Anglia.

Sed iam traiciamus in Angliam. Negat nostros in Anglia vltos Hæreticos ad professionem Catholicæ Religionis reduxisse. *Negare factum, inquit ille, facilis res est, & nullo patrono indiget, præsertim, si quis ferrei sit oris, & plumbei pectoris.* & quo iure negat, nostrorum operâ, aliquos in Anglia ad Catholicæ religionis communionem reuocatos; eodem inficiaretur: si ita luberet, (& cur non luberet?) olim ab Augustino, adiunctisque sociis, in eadem Anglia, vltos incolas, ab Ethnica superstitione, ad Christiana sacra traductos: nam hoc longè magis à memoria nostra abest, quàm illud alterū, ac proinde ad probationē magis arduū & difficile: cū id quod iste, odio Iesuitarū, abnuit, grauissimis eorū testimoniis, qui adhuc inter viuos viuunt, cōfirmari queat. Nec in re clarissima immorari lubet; lector euoluat librum, qui inscribitur; *Cōcertatio Ecclesiæ Catholicæ in Anglia aduersus Calvinopapistas, & Puritanos, sub Elizabetha Regina, quorundam hominū doctrina & sanctitate illustriū renouata.* Et nullo negotio intelliget, quid de huius impuri Calvinopapistæ criminationibus statuendū sit. Placet tamen verba Campiani adscribere, quæ eò cuius veriora & fideliora videri iure optimo debent, quòd non tantum atramento, sed & sanguine effuso consignata, & ut Tertulliani vocabulo vtar, *ruffata* sunt. Ita ergo ille: *Londinum attigi. Duxit me bonus Angelus nescientem in eandem domum, quæ P. antea Robertum exceperat. Accurrunt nobilissimi iuuenes, salutant,*

Impress. Trevirū 1588.

Camp. Epist. ad P. Generalem Societatis Iesu.

vestiunt, ornant, armant, emittunt ex urbe: Partem aliquam regionis obequito penè quotidie. Ingens omnino messis est. Sub finem epistolæ: Etiam nunc plurimi restituntur Ecclesiæ, nouitij milites dant nomina; veterani sanguinem profundunt. Hæc Martyr Campianus: cui nunc vestrum lector assensum præbebit? *Tibine an Campiano? vrsurpabo enim verba Calaritani Antistitis, etsi paululum ad propositum nostrum immutata: Tibine Apostata sacrilego; an illi, qui iam fudisse sanguinem, propter vnicum Dei filium, inueniatur? Tibi, qui operibus tuis, te aut Iudæum, aut Ethnicum esse declaras, an illi, qui iam consecutus sit, per hanc, quam execraris fidem, regna cælestia?*

Lucif. lib. 2. pro S. Athanasio.

Sed probas tuum mendacium: Nam cū se, mutato habitu, ac incogniti eò contulerint, fieri non potuit, ut sine sui manifestatione cum hæreticis, de ipsorum conuersatione, verba facerent; quo factō, necesse erat, re infecta, eos intercipi. Hoc argumento conficies, ne alios quidem sacerdotes, qui Roma, Rhemis, & aliūde in Angliā abierunt, vltos sectarios cū Ecclesiæ Catholicæ reconciliasse, quia mutato habitu & incogniti in illam insulam traiecerunt. Quare necessariū fuit, ut si vel vnicum verbulum apud Hæreticos de fide facerent, confestim proderentur, caperentur, & in carceres compingerentur. Si ergo hoc plus quàm falsum est, quod ad alios sacerdotes attinet; si tot monumenta, Latina, Anglicana, Gallica, Germanica restantur, & sæculis futuris testabuntur, innumerabiles ab hæreseos laqueis expeditos, ad Ecclesiæ Catholicæ gremium aggregatos esse, operâ sacerdotum, eruditione & virtute præstantium: licet habitum, ob periculum, commutassent: cur tam liuidus es, ut Iesuitas, qui eorundem sacerdotum, in eadem vinea adiutores erant, idem præstare potuisse abnuas, præsertim, cū, æquè ac illi, fuerint Angli: rerum

Anglicanarum, linguæ, regionis & Reipublicæ æquè periti? Ex eadem mendaciorum officina manat & illud, quod scribere non verecundaris; *Iesuitas in Anglia aliud operæpretium non fecisse, quàm quod pacem Catholicorum turbarint; effecerint q̄, ut qui prius liberè, et si priuatim, rei diuina operam dabant, postea, ne id facerent, seuerissimis edictis & suppliciis prohibiti fuerint. Frons Hereticorum, non est frons,* inquit alicubi S. Augustinus, *si hoc uocabulum non corporis membrum, sed pudorem intelligamus:* si antea dicti huius ueritatem ignorassem, tu eam mihi planam testatamque reddidisses. Quis enim nescit, multis annis, antequàm Iesuitæ in Angliam proficiscerentur, Anglos ob sacrificium Missæ auditum, ob sacrosanctum Eucharistiæ Sacramentum perceptum; ob peccata sacerdoti per confessionem exposita, ob alia id generis pietatis exercitamenta; immanissimè & crudelissimè acceptos, fortunis, libertate, patria, imò & uita spoliatos? Prouoco ad librum, quem supra testem, contra perfrictum tuum uultum, landabā. Item ad illum Andreæ Philopatris, qui inscribitur: *Responso ad edictum Elizabethæ Regina Angliæ, promulgatum Londini 29. Nouembris: Anno Domini M. D. XCI.* Prouoco ad ipsos Hereticos, Angliæ chronographos, quorum uerus Holinfedus, Anno 1574. suorum chronicorum hæc habet uerba. *Anno Regina 16. Aprilis 4. Dominica Palmarum, Londini comprehensa fuerunt tres illustres feminae, (dum in adibus suis Missæ celebranda interessent) baronis nimirum Morlai uxor, cum liberis suis, & multis aliis; & in altera ciuitatis parte, eadem ipsa hora deprehensa est equitis aurati uidua Guiltorda, cum aliis multis feminis insignioribus: eodemq; momento capta est, in parte diuersa, alterius equitis uxor (Bruna nomine) cum aliis item in eius domo permultis. Quæ omnes propter hoc idem delictum, carceri tradita fuerunt, & inde accusata,*

usata, conuicta, & iuxta formam legis condemnata. Hæc perditissimus ille sectarius, hoc enim elogio decoratur ab Andreæ Philopatris. An tunc Campianus, aut Personius, aut alius Iesuita in Anglia degebat? & tamen nobilibus istis sceminis per impios nō licuit esse piis. In uincula abreptæ sunt, quasi ueneficium, aut simile maleficiū commisissent; & quod istis euenit, id innumerabilibus aliis ante Iesuitarum aduentum euenit.

Cæterum cum semel uerecundiæ, & ueritatis fines transcendis, mirum non est, si ad lineam reuocari nequeas; & ex mendaciis semper ad alia luculentiora & turpiora deuoluaris. Namq; peccatum semel, ut bonus quisq; postea sollicitius cauet, ita qui ingenio malo est, confidentius integrat, & iam de cætero, quo sapius, eò apertius delinquit: pudor enim ueluti uestis, quanto obsoletior est, tanto incuriosius habetur: Negas uerum esse, quod quidam ex nostris in Anglia in catasta tortus sit religionis gratia; Sed ne ambiguitate mentis & uocis tuæ nos fallas; quæro ex te, quid inficieris: an negas quendam ex nostris sacerdotibus prius equuleo immaniter cruciatum & excarnificatum, postea ex patibulo suspensum, moxque in quatuor partes, plus quàm Turcica & Ethnica feritate dissectum esse? Si hoc negas, tunc totus Christianus orbis consono clamore te condemnabit. Quis enim ignorat, quanta tormenta in Britannia inuictus ille pugil Edmundus Campianus, Societatis nostræ sacerdos, subierit? Quis nescit, quàm crudeliter à nefariis Calvinistis sit in carcere habitus, & extra carcerem trucidatus? Quæ lingua Christiani orbis Campiani Martyrium non decantat? Nam quod ais; *Omnes, quos ex Anglia uenientes uideris, contrarium asseuerare;* id penitus nihil moror: aut enim more tuo mentiris, aut alij tecum mentiti sunt; quia fratres tui erant,



Nazian. orat.
1. in Iulianum.

rant, eodem patre Tartareo progenerati. Si autem negas Campianum excruciatum & interfectum, Catholice Religionis ergò, tunc te nouum Iulianum saluere iubeo, quippe, qui, vt ille Martyribus sui æui, ita tu Martyribus nostri sæculi, nomen & decus Martyris inuides. Deinde, ceddò; si non fidei Orthodoxæ causa Campianus tam barbarè peremptus est, cuius gratia peremptus est? Dices fortassis, *proditionis & læsa Maiestatis gratia*: At dices tantùm, & quia tantùm dices, neminem tui dissimilem, qui tibi assentiatur, inuenies: quia idem olim de priscais Martyribus dicebant Ethnici; Idem Iulianus: idem Calvinistæ de omnibus Orthodoxis, quos in Britannia iugularunt: sed dicunt hoc fide Ethnica, & Calvinistica, omnis perfidiæ genitrice. Nec plura, quia præclarissimi Martyres mea defensione non egent. Defensi sunt ab aliis; defenderunt ipsi olim se, cùm viuerent, & etiamnum sanguine suo sese defendunt: & contra quosuis obrectatores, etiam iacentibus annis, sese defendunt: & quidem elegantissimè, quia vt Statium Cæcilium dicere solitum accepimus; *Innocentia est elegantia*; & summa innocentia, summa elegantia: Nec tacemus & supprimimus, vt fabularis, si qui vel in tormentis deficiant, & ad aduersarias partes transeant; aut si ouem mentiti, rapaces lupi fuerint: eoque solùm consilio Romæ aut Rhemis vixerint, vt postmodum in Angliam reuersi, sacerdotes prodant, & ad Magistratum deferant. An non enim aliquot huius generis exempla exstant, cùm alibi, tum in libellis, quos Auctor concertationis Ecclesiæ Anglicanæ collegit, & vno volumine conclusos publicauit?

De Collegio
Anglicano.

Nec Collegium Anglicanum intactum præteris, placeret tibi institutum, si tria Iesuitæ obseruarent; Primum est:

est: Si emolumenta sua ex collegio illo non quærent. Secundum: Si non immaturos in Angliam mitterent. Tertium: Si dum iuuenum causas suscipiunt, exules Anglos, qui spontè sua ex patria excedunt, necessariis vitæ subsidis non priuarent; Si ergo Iesuitæ hæc tria præstent, num cõtentus eris eum Collegio Anglicano? num calumniandi artem facitare defines? Nam quod ad primum attinet: quodnam, oro, nostri temporale commodum ex administratione eum aliorum, tum Collegij Anglicani percipiunt, præter labores immensos, & molestias infinitas: quas vel ex hoc vno capite æstimare licet, quod, vt rectè inquit S. Gregorius Nazianzenus: *Ars quedam artium & scientiarum sit, hominem regere, animal maximè varium, & multiplex, quia,* Nazian. Apolog. I. vt idem ait, *sit interdù, vt qui reguntur cupiditatibus, animiq;* Quàm difficile sit regere alios impetu magis inter se differat, quàm corporum figuris & lineamentis, aut si maui, elementorum, ex quibus constant, mixturis & temperamentis, ac proinde nec facile regi gubernarique possunt. Alios mouet oratio, alij Antistitis exemplo componuntur: alij caldaribus opus habent; alij freno. Nam qui lentè & segniter ad virtutem mouentur, hi verborum stimulis excitandi sunt: qui verò spiritu plus quàm par sit, incallescunt, ac precipiti animorum impetu feruntur, velut equulei generosi, procul à meta cursitantes, hos vtig, orationis freno coercere, ac velut obstricto collo retardare præstiterit. Aliis laus prodest, aliis reprehensio: modo vtrique, tempestiue adhibeatur: nam intempestiue & stultè adhibita nocuumentum attulerit. Alios cohortatio ad officium ducit, alios obiurgatio. Atq; hæc rursus alios, si palam arguantur: Alios, si remotis arbitraris, increpètur, sunt enim, qui nihil curent priuatas castigationes, publica autem reprehensione emendentur: sunt rursus qui liberius reprehensi, pudorem omnem abstergant, contraq; priuatis castigationibus meliores fiant; iisque, quos vicem suam dolere perspiciunt, hoc

muneris vicissim rependant, ut eorum admonitionibus pareant. Quidam ita studiosè accurateq; obseruandi sunt, ut ne minima quidem & leuissima eorum errata dissimulentur; nimirum qui eo, quod peccata sua nemini cognita fore putant, (quandoquidem id moliuntur) prudentia calliditatisq; laudem sibi insolenter arrogat: contra in aliis ad nonnulla conuincere satius fuerit (ita ut videntes non videamus, & audientes non audiamus, quemadmodum dici solet) ne alioqui ipsi crebris nimium obiurgationum aculeis confixi, & obruti, ad desperationem incitentur: tandemq; proiecto pudore, quod ad inslectendos alliciendosq; homines mirè efficax medicamentum est, ad quoduis nefas perpetrandum audaciores reddantur. Quin etiã, cum nonnullis ita agendum est, ut irati hominis & contemnētis, ac de salute eorum desperantis, speciem præ te feras, cum tamen reuera nec ipsis irascaris, nec cōtemnas, aut pro perditis ac deploratis habeas, quorū videlicet natura id requirit: alij rursus lenitate & humilitate curandi, coniunctaq; animi alacritate & promptitudine ad meliorem spem reuocandi. Alios vincere, aliis cedere plerunq; vtilius fuerit. Hæc S. Gregorius. Quæ omnia præstare, quanti oneris res sit, is demū probè intelligit, qui aut benè præfuit, aut benè subsuit, aut qui saltem scit, quid sit benè præesse, & benè subsesse.

At quod queritaris Collegij Anglicani alumnos, immaturos in Angliam ablegari, libenter profectò ex te cognoscerem, quamnā tu tandem maturitatem requiras. An non satis maturus vineæ Britannicæ excolendæ, ille, qui Philosophiæ & Theologiæ spatia emensus, solidos & in doctrina & in virtute progressus fecit; æsq; collegit, quod exstruendæ turri, quam ædificare statuit, sufficiat? nam Iesuitæ minimè omnium solent vel socios suos, vel alumnos implumes ex nido extrudere, certoque ruinæ discrimini exponere: Hæreticorum iste mos est, quibus,

vt præclarè ait S. Gregorius Nazianzenus; Nullus docendi discendiq; statutus est terminus, qui prius serè docent, quàm lanuginem ingressi sint, prius quàm sacra volumina vel de nomine nouerint, priusquam noui veterisq; testamenti signa notassæ, cognouerint; non enim dico, priusquàm impura flagitiosaq; vitæ canum absterferint, easq; animæ fœditates, quas peccatum aspersit; (quia his immoriuntur.) Si duas aut tres pias voces edidicerint, ac ne id quidem ex lectione, sed ex auditione, aut Dauidi nonnihil operæ dederint, aut pallium (Prædicationem & Ministrorum) scitè contrabant, statim ad cathedram & pulpitum prosiliunt. Cæterum ne quid te celem, valde suspicor, nullum Catholici Angli in Angliam reditum, satis maturum tibi videri, quia improbitati nunquam, nisi immaturè, venit probitas; hæresi, veritas; vitio, virtus; tenebris, lumē. De tertio, nescio quid tibi velis. Quæ est enim ista consecutio? Iesuitæ curam & administrationem habent Seminarij, in quo Angli literarū studiosi aluntur, erudiuntur, literisque & pietate informantur: ergo alios exules Anglos subsidio ad vitam sustentandā necessario priuant. Quod si Pontifex his iuuenibus, literarum studiosis, attribuit aliquid, quod olim pro peregrinis Anglis fundatum & constitutum erat, nemini profectò vllam iniuriam irrogauit, quia isti etiam iuuenes peregrini sunt & exules, neque aliis, si Romam adeant, sua desunt adiumenta; & relictæ patriæ solatia. Hactenus de Anglia.

Nunc Oceano transmissio, nauigandum est mihi vel reluctanti in Lusitaniam, quia eò te impetus venti, vel potius furor mentis rapit: Multorum, inquis, opinio est, eadem illam Lusitanicam à Iesuitis initium habuisse. Verum non multorum, sed omnium rectè sentientium sententia est, te ab ingenio tuo ne latum quidem vnguè discedere:

dere: & quod ab exordio libri facere occupasti, id hoc itidem loco facere; hoc est, mentiri, ut sine verborum anfractibus me explicem. Nam primum ab hac calumnia tota nos Lusitania liberat, hoc ipso, quod post illam verè miserandam stragem, Lusitani Societatis Religiosos suis in ditionibus retinuerunt, & nō minori benevolentia, quàm antea fouerunt: quod nunquam fecissent, si Africanæ illius calamitatis auctores exstitissent. Deinde, quis Regem Sebastianum impulerit ad illam expeditionem, longè verius, quàm tu, explicat Petrus Fonseca Lusitanus, in epistola ad Regem Hispaniarum Philippum, qua secundum commentariorum in Metaphysicam tommum eidem dedicat Regi: cuius exordio hunc in modum scribit: *Primam huius nostræ commentationis partem, Rex potentissime, Sebastiano Regi, sororis tuæ filio, in istis de causis, ac pœnè necessariis, ante decem annos dicaui. Sed vix ad eius manus volumen illud peruenerat: cum Roma, ubi tum degēbam, renunciatum est, illi cum tota pœne regni nobilitate, luctuosam illam & infelicem Africanam expeditionem, interitū attulisse. Quam expeditionem ille susceperat, non eorum, quos parentum loco habebat, hoc est, tuo, & Henrici Patruī maturo consilio, quod propter iuuenilem ardorem, & fallacem, ac periculosam, in illa præsertim ætate, gloriæ cupiditatem suspectum habebat: Non salutari familiarium hortatu, à quibus fuerat diligentissime institutus & educatus, quos iam à se remouerat, atque ablegauerat, sed arte & industria eorum, quibus incautus se penitus addixerat; quod blandiendo spem eius alerent gerendi res maximas, quique magnitudinem & celsitudinem animi, quæ certè fuit in eo singularis, intempestiuè extollebant, ut eius gratiam aucuparentur. Obiicies fortasse, Fonsecam esse testem domesticum. Quid tum? An propterea minus fidei apud prudentem lectorem merebitur, quàm Natalis Comes,*

mes, aut tu, aut nescio qui alij Gallicani & Anglicani, seu logographi, seu mythologi? non versamur hīc in foro, extra quod necessarium non est, ut veritatem legibus ciuilibus meriamur. Certè causa nulla erat, cur Fonseca, ad tantum Regem scribens, quidquam vanitatis orationi admisceret: quin potius causæ plurimum erat, cur rei veritatem sine fūco panderet. Adhæc, si expeditio illa tam feliciter cessisset, quàm illa olim Iustiniani, duce Belisario, in eadem Africam, aut Heraclij in Persidem; an causam adeo p̄speri successus Iesuitis adscripsisses? Sat scio, etiam te tacente, quid videas te responsurum, si responsurus esses. Quæ igitur improbitas est, iam, cum res malè cessit, infortunatum euentum in Iesuitas referre: felicem verò exitum, si euenisset, iisdem abiudicare? His adde, quod licet Iesuitæ interrogati, num ad gloriam Dei & Ecclesiæ amplificationem expeditio illa pertineret, sententiam suam Regi fideliter exposuissent, non deberent tamen aut à te, aut ab alio quoquam in crimen vocari: quia quidquid aut tu, aut alij sentiatis: si victoria à Lusitanis stetit, ingens vtilitas & ad Lusitaniæ regnum, & ad totam Christianam Rempublicam redundasset. Qui ergo in hanc vtilitatem intentus, suasisset Regi, ne tantam rei bene gerendæ occasionem abire sineret, is nihil ab homine alienum fecisset: non enim scimus futura, sed de futuris coniectamus: & si futurorum incertitudo obstaret, quo minus bellum susciperetur; nullum vtique bellum suscipiendum esset, nisi quis diuina reuelatione certus victoriæ redderetur. Non debebat Iustinianus ducere in Orientem contra Persas: nec in Africam contra Vandalos: nec in Italiam contra Gothos: vno verbo: arma ponenda, & in vomeres conflanda essent, & totus Christianus orbis Barbarorum rapacitati obiiciendus.

Quàm infeliciter cesserunt multæ expeditiones in Syriam, & Palæstinam, ab Imperatoribus, Regibus, tot populis & nationibus institutæ; nominatim gemina illa Christianissimi & sanctissimi Francorum Regis Ludouici? Et quis, nisi improbi Hæretici, Pontificibus, & aliis, etiam viris Religiosis, vitio vertit, quod principes, consilio & adhortationibus suis induxerint, ut prælia illa Domini præliarentur? Improbi, inquam, Hæretici, sugillant Pontifices, & alios Religiosos, quia malunt, ut Saraceni terras illas occupent, quàm Christiani. Sanctus Ludouicus suo in exercitu multos Religiosos habebat, nominatim ex Ordinibus sancti Dominici & sancti Fræcis, quibus ille erat addictissimus. An non putas credibile, eodem Regi sæpius suasisse, ut bona spe plenus pergeret cum Deo, & Ecclesiæ laboranti opem ferret? Quos labores in hoc ipso negotio, non subiit sanctus Bernardus, & tamen alius finis omnia hæc bella non excepit, quàm quæ tandem post immanes acceptas clades, post infinitas Christianorum strages editas, post captum à Saracenis sanctum Ludouicum, & tandem etiam peste extinctum; Christiani, tota Syria & Palæstina pulsi sunt, ita ut ne vestigia quidem proprium iis in locis possideant, in quo vestigia ponere queant. Num propterea nemo amplius cohortabitur, ut *militemus & laboremus*? Nemo prudens ita sentiat. *Quis enim sapiens*, inquit sanctus Ambrosius, *non in orbe quodam atque circuitu locata humanarum rerum nouit negotia, quia non eosdem semper habent successus, sed variant status, & mutant vices. Quem beatiorem Cneo Pompeio Romana templa miserunt? At is, cum tribus triumphis terrarum cinxisset orbem, pulsus acie, bello profugus, & sui terminis exul imperij, Spadonis Canopei manu occubuit. Quem nobiliorum Cyro Persarum totius Orientis terra Regem dederunt? is quo-*

S. Ambros. contra Symmach.

quoque cum principes potentissimos aduersantes vicisset, victos reseruasset, muliebribus armis susus interiit. Et ille Rex etiam, qui superatos confessus honore donauerat, exsecto capite, & inter utrem plenum cruoris satiari iussus incluso, saminis imperiis ludibrio fuit. Adeo in istius vita curriculo non paria paribus, sed longè diuersa referuntur. Quem etiam magis sacrificiis deditum quam Carthaginensem ducem Hamilcarem reperimus? qui cum, toto prælii tempore, inter acies positus dimicantes, sacrificium faceret, ubi partem suorum victam esse cognouit, in ipsos, quos adolebat ignes, se precipitauit, ut eos vel cruore suo resingueret, quos sibi nihil profuisse cognouerat. Hæc *psalm. 35.* sanctus Ambrosius. Iudicia tua abyssus multa. exclamat sanctus ille Rex ad Dominum. Quis sanctior Osvaldo Anglorum Rege? Quis laude dignior Osvaldi antecessore Eduino, qui primus gentis illius Regum, salutari baptismatis vnda tinctus est? Et tamen vterque ab impiis & paganis, miserandum in modum, trucidatus est, cæso & profligato, toto, quem ducebant, exercitu.

Necdum ex Lusitania abis. Dum, inquis, Regem Sebastianum castimoniam docerent, à coniugio abhorre fecerunt, quo factum, ut heredem nullum relinqueret. A coniugio scilicet abhorruit, quia diutius, quàm tibi placeat, uxorem ducere distulit. Fortè accusas itidem Patriarcham Isaac, qui cum quadraginta esset annorum, duxit uxorem Rebeccam, filiam Bathuelis, exemplo non tantum Prædicantibus, sed & omnibus Lutheranis & Calvinianis magis admirando, quàm imitando, quibus neque Aristotelis decretum illud arridet; cum tradit, puellas circa decimum octauum annum matrimonio iungendas; masculos autè circa trigesimum septimum. Heu nimis longa est hæc Evangelicis nostris mora; nisi enim, primo pubertatis exordio, nuptiis sese illigent, mundum ruitu-

Vide Bed. lib. 2. hist. Angl. c. 14. & seq. & lib. 3. cap. 3. 6. 9. Genes. 25.

Arist. lib. 7. polit. cap. 16.

rum formidant, quin prius robusti sunt scelere & libidine, quàm tempore: ante nocentes, quàm potentes, viridi pueritia, cana malitia: semper metuunt, ne si cælibem vitam ducant, in pœnas Papiæ siue Popæ, siue vt alij vocant, Papiæ Popæ, legis incurrant; à quo tamen pauore iam dudum liberati sunt, si modò vellent, lege quadam Constantini, Constantij, & Constantis Imperatorum: quæ his verbis concepta est: *Qui iure veteri cælibes habebantur, imminenti bus legum terroribus liberentur, atque ita viuant, ac si numero maritorum matrimonij sœdere fulcirentur; sitque omnibus æqua conditio capessendi, quod quisq; mereatur.* At nulum reliquit hæredem. Quæso te, si ante tristissimam illam cladem, matrimonium iniisset; an certus fuisset de hærede? An non hoc æquè in fortuna, vel vt rectius loquar, in manu Dei situm est, atque victoria? Er vt loco victoriæ parari potest, *hæredis*, sic loco hæredis, Orbitas. Sed tu præscius nimirum futurorum, Regi illi, si duxisset uxorem, dicere potuisses, quod Dominus dixit Abrahamo: *Reuertens veniam ad te tempore isto, vita comite, & habebit filium vxor tua.*

Nunc ex Lusitania, imò ex Africa, volas in Germaniam & quidem Fuldam, per immensos marium terrarumque tractus, quouis velocior Euro, ita vt Pegasus præ tua pernicitate, sit testudo tardigrada. Ais, *In Iesuitis culpam hæere: cur princeps Fulden sis ditione sua exciderit.* At Iesuitas omni culpa carere, teque impudenter mentiri, testabitur libenter ipse reuerendissimus & illustrissimus Princeps; qui causam in nostros nunquam retulit, imo idem iam testatur hoc ipso, quod post aduersitatem illam, Societatis patronus & defensor esse nunquam desit. Adeamus simul ad illius tribunal, cuiusque iudicio stemus, aut cadamus. Quid tergiuersaris calumniator?

Nemo

L. Qui iure. C. de infer. pan. calib.

Genes. 18.

De Fulda.

Nemo melius scit, quo auctore quidquam acciderit, quàm is, cui accidit. Certius hoc multò testimonium erit, quàm quod tu ex leuis vulgi rumore captas. *Vana voces populi non sunt audiende, nec enim vocibus eorum credi oportet, quæ do aut noxium crimine absolui, aut innocentem condemnari desiderant.*

Porro qua velocitate ex Lusitania venisti Fuldam; eadem inde proficisceris in Prussiam. *Elbinga*, inquis, occurrunt Hæretici templum quoddam Catholicum, eiectis ex eo Iesuitis. O grande Iesuitarum piaculum. Quis non obstupescat ad tantam Iesuitarum nequitiam. At Iesuitæ dederunt Hæreticis occasionem templum illud inuadendi; quia si Iesuitis traditum non fuisset, Hæretici manus abstinuissent. Nescio certè num abstinuissent. Quàm enim prompti sint & expediti, ad inuadenda & profananda Catholicorum templa, quotidie non ex relatione aliorum audimus; sed nostris oculis intuemur: vbi vel minima occasio datur, rapaces vngues iniiciunt. Nonne Elbingenses iam templum primarium illius vrbs, sordibus perfidiæ suæ conspurcarāt, antequam Iesuitæ, missi magni illius Cardinalis Hosij, eò accederent? Nonne Sigismundus Rex Poloniæ auctoritatem suam interponere debuit, vt ex Hæreticorum sacrilega possessione eriperetur? quod vt lector videat & simul de candore tuo iudicet, clareque perspiciat, quales Elbingenses in Iesuitas aduenas, ab Hosio, legitimo loci illius pastore, eò destinatos, sese exhibuerint; exscribere, & huc transferre operæ pretium duxi: quæ Stanislaus Rescius, de hoc toto Elbingensi negotio litteris prodidit, cuius relatio eò fide dignior videri debet, quia in Prussia vixit, & Cardinalis Hosij familiaris fuit: ita igitur ille, de indefesso Hosij Epi-

L. Decurionū. C. de Pœnis.

De Prussia.

P

scopi

scopi studio loquens: *Ad Elbingensium* quoque ciuim salutem, omne suum studium conuertit, qui Lutheri verbum, pro Dei verbo receptum, palam in templis profitebantur, & aliquot Ecclesias, ceteraq; loca sacra & religiosa, Augustanae confessionis & doctrinae fideitate, prophanisq; ritibus audacissime contaminauerant, nullam occasionem pratermisit, nullum finem fecit, & publice in prouincialibus comitiis, & priuatim in omni congressu docendi, monendi, rogandi, obsecrandi, ut Ecclesiam matrem agnosceret, eiq; dicto audientes essent in terris, si Deum vellent habere Patrem in caelis. Sed cum Elbingenses pastoris & Episcopi sui vocem, minimè audiendam existimarent, minorq; in dies fieret ad fouendas haereses, & ad quiduis audendum apud illos verecundia, cum nil in spiritu lenitatis proficeret, potestatis legitima à Deo constituta, vindicis, ut ait Paulus, in iram ei, qui malè agit, auxilium implorauit, ac obtinuit etiam ab optimo Rege Sigismundo, ut missus aliquot senatorij Ordinis viris, Commissarius, ut vocant, suis, grauibuscq; pœnis propositis, Ecclesie parochialis possessio legitimo Episcopo, ad primæuum usum conuertenda redderetur: in qua statim, insigni pietate & doctrina viros, ex Societate IESU collocauit: qui populum errantem tum priuatis sermonibus, tum publicis concionibus ab errore sua via reuocare non cessarent, verboq; veritatis pascere, & exemplis Christianæ vitæ, & Angelicæ conuersationis institutis, ad omnem pietatem informarent. Caterùm, ut uberiorem fructum faceret Euangelij prædicatio, necessarium quoque fuit nutantem, ut ait Cyprianus, multorum fidem martyrij veritate, & persecutionum tolerantia solidare. Vox enim prædicantium, Christianæ fidei confessione illustrata, tolerantiaq; laude probata, ad Dei aures facilius penetrat, & aperto sibi cælo, de Domini bonitate, errantium conuersionem celerius impetrat. Sepe igitur accidit, cum quidam ex Societate vir, totus Deo deditus, Petrus Phæ Germanus, ex superiori loco verbum Dei, iuxta fen-

sum

sum & consensum Ecclesie Catholicae prædicaret, ut turmatim irruerent Catholicae veritatis inimici, ac prægrandia saxa, toto impetu, in faciem Euangelizantis intorquerent, omnibusq; modis risu, cantu, cachinnis, ululatu, plausu, strepitu, ne à quoquam posses exaudiri, obstreperent. Sed una præcipue die, facinus aggressi sunt memorabile, & ei, quod profitentur Euangelio valde consentaneum: cum enim tremendum illud Missæ sacrificium pater Petrus celebraret, irruentes in Ecclesiam Hæretici, actionem vniuersam sacerdotis, omnibus cachinnis irridebant. cū autem ad Eucharistie eleuationem ventum esset, dū sacerdos precium illud redemptionis nostræ super caput eleuatum, Deo Patri immolat, & astanti populo videndum & adorandum exhibet, aliquot ponderosos lapides in dorsum celebrantis impegerunt, & alios præterea, quibus sacra mysteria dissiparent, in altare proiecerunt: neq; tamen vel sacerdotem impedire potuerunt, quo minus institutam actionem expediret, vel sacra illa mysteria dissecerunt.

Alio præterea tempore, eodem illo patre, in eodem loco, celebrante, & sacramentum Eucharistiam eleuante, ausus est homo quidam, depositis in medio templi caligis (o mores Lutheri Cæangelio dignissimos) obscenissimas corporis sui partes, quod apud homines honestos, etiam in oculo turpe ducitur, altare versus exponere: nisi quod audaciam hominis secuta est ultio diuinitus irrogata. Nam ilico in eodem loco concidit, cum pes vnus ignem concepisset, sociorumq; manibus in proprias edes deportatus, graues pœnas sua in Deum contumelia persoluit. Quadam etiam nocte, ex eodem Lutheranorum catu, sodales aliquot congregati, facta inter se conspiratione, multos iidem & ponderosos lapides in cubiculum eiusdem patris, multo conatu, refractis omnibus repagulis, per fenestras iniecerunt; sed eum tamen, & alios præterea socios, diuina ab omni laesione bonitas mirabiliter conseruauit. Postea verd, in cellam vinariam ingressi, in dolium, de quo bibere solitus erat, foetissima stercore

P 2

iniecte

iniecerunt, ac tandem etiam, oblato veneno, egregij Satana milites perfecerunt, ut usum utriusque manus pater ille venerandus amitteret: quem tamen post menses aliquot magna adhibita diligentia, & exquisitissima cura, ac etiam sumptibus, optimi & innocentissimi viri D. Ioannis Hosij de Bezdanus, eius, de quo nunc agimus, fratris germani, & in omnibus vita studiis tanto fratre dignissimi (Basilium & Gregorium dices) summa cum omnium gratulatione in villa Smolanensi recuperavit; Nec ullam morbi vehementiam, aut persecutionis acerbiter minus moderatè tulit, quàm quod eum Dominus tantoperè expetito Martyrij honore dignari noluerit.

Ioannes quoque Assermanus, eiusdem Societatis sacerdos, ad predicandum in ea ciuitate Euangelium legitime deputatus, cum in templo suburbano, verba ad populum faceret, multis & ipse lapidibus petitus, coactus est in cathedra, ictus illos vehementes, capite in pallium inuoluto declinare: cumque preterea furibundi homines, mortem illi certissimam minarentur, statim ut extra Ecclesiam prodisset, sequens ad designandum facinus, quod animo conceperant, & animis & telis armauissent, admonitus ea de re Assermanus, absoluta concione, positus in terram genibus, ipse quoque sese ad certam mortem, Christi causa, appetendam, & animo & voluntate armauit: Deoque gratias agit, quod tandem expetitum calicem, pro eius Euangelio bibiturus esset, & signo sanctissime & viuifica Crucis fronti sue pectorique impresso, in confertam illam homicidarum aciem est ingressus. Verum illi (b Dei prouidentiam) tantum abest, ut conceptum animo flagitium perpetrarint, ut ne verbo quidem leserint per medium transeuntem. Passi sunt venerandi patres ista, & alia multa, qua longum esset singula recensere. Hucusque Rescius. In nunc Calvinista, & cum hac Elbingensi tragœdia triumphat.

Sed

Sed ut video triumphare non vacat, nam ex Prussia solita leuitate, Romam aduolas, modumque tractandi & versandi Pontificis animum pluribus coloribus depingere pergis, at non veris sed imaginariis; quia in cerebro tuo factis & paratis. Ais ergò: *Vbi beatissimos Patres, opinionione hac de se, rerumque suarum huiusmodi felicibus successibus imbuerunt, ad gratias ab iisdem impetrandas pergunt.* Dixi iam supra: nullum esse Ordinem, cui non sint sua priuilegia. Si non credis, Excute titulos Iuris Canonici, de priuilegiis; Non igitur adeo mirandum, si & noster Ordo à Sede Apostolica sit nonnullis insignitus: quæ petimus à Pontifice tunc, cum indigere videmur; & non tam rebus prosperis, quàm aduersis, cum institutum & hæreditas à B. P. nostro Ignatio nobis relicta, & à Paulo III. approbata, oppugnatur. Argumento sint bullæ Gregorij XIII. & XIV. quibus Societatem denuò Apostolica auctoritate confirmant: Prioris initium est: *Ascendente Domino & Salvatore nostro in nauiculam:* Exstat apud Ribadeneiram. Posterioris; *Ecclesia Catholica, cui, Deo auctore præsumus; Quæcunq; verò priuilegia exorantur, ea, ut par est, sine vilo dolo exoratur.* Non enim fugit nos illud Pelagij Pontificis: *Ea, qua surreptione, vel falsis precibus forsitan impetrantur, nullum supplicanti bus ferre remedium; Mendax enim precator debet carere impetratis, inquit ille; & quibus scripta diriguntur, sunt puniendi, si precum mendacia vetuerint argui.* Adiungis. *Primò institutum ipsorum, eiusq; formam simul & priuilegia sæpè ab iisdem approbari petunt.* Non mirum; quia nihil potius & charius ipso instituto habemus. Iure igitur, eius, quo nihil nobis antiquius, confirmationem, à posterioribus Pontificibus postulamus, à quibus proinde tanquam ab humanissimis Patribus illud responsum ferimus: quod Arcadius & Honorius dederunt.

Ex Prussia Romanam migrat calumniator.

De priuilegiis Societatis.

22. quæst. 2. c. dicenti. Gratianus loc. cit.



26. q. 1. c. qua-
cumq. lib. 16.
Cod. Theod. tit.
2. leg. 29. §. 30.

derunt. Quacunq; à parentibus nostris (& prædecessoribus) diuersis sunt statuta temporibus, manere inuiolata atque incorrupta circa sacrosanctas Ecclesias (societatem I E S V) præcipimus. Nihil igitur à priuilegiis immutetur, omnibusque, qui Ecclesiis (& Societati) deseruiunt, tuitio deferatur: quin temporibus nostris addi potius reuerentia cupimus, quam ex his, quæ olim præstita sunt, immutari: nec tam nouum aliquid præsentis sanctione præcipimus, quàm illa, quæ olim indulta videntur, firmamus. Priuilegia igitur, quæ olim reuerentia religionis obtinuit, mutilari, sub pœna etiam interminatione prohibemus.

Dicuntur inquis, his Pontificum approbationibus non parum abuti; dum multa deinde infarciunt, quæ probabile est, sanctissimos, si rectè exponerentur, nunquàm probaturos. Iterùm audacissimè crimè falsi nobis obiectas: si enim crimè falsi est, si quis Imperatorum & magistratum edicta proposita, dolo malo, corrumpat, & si alienum chirographum imitetur, aut libellum, vel rationes intercidat vel describat; Si crimen falsi admittit, qui in rationibus, tabulis ærisue, vel alia quare etiam sine consignatione, falsum fecerint, vel rem amouerint; quanto magis crimine falsi teneretur ille, qui summi Pontificis, Christi Vicarij, Ecclesiasticæ Hierarchiæ principis Constitutiones corrumpere, & aliquid menti Legislatoris aduersum, per summam imposturam intruderet. Cùm autem falsi crimè nobis duntaxat obiectas, non autem yllo, vel in speciem verisimili argumento probes; oportet, vt ex legibus, penas illas subeas, quas subire coguntur, qui crimen falsi admiserunt. Est autem pœna falsi vel quasi falsi, vt ait Iureconsultus, deportatio, & omnium honorum publicatio: Et si seruus eorum quid admiserit, extremo supplicio affici iubetur. Hoc posterius ad te pertinet, quia seruus peccati es; à quo enim quis superatus est, huius & seruus est: inquit Apostolus. Quod si pœna tibi nimis

L. Hodiè.
L. Quid sit.
L. Pœna ff. ad
leg. Corn.

L. Pœna legis
ff. ad leg. Corn.

2. Petr. 2.

nimis seuera videtur, facile patiemur, vt exsoluas veterem illam, quæ iubebat, vt falsi conuictus de saxo deiiceretur; quæ & in illum statuta est, qui alterum huius criminis accusat, nec tamen idoneo argumento probat, vt tibi accidit; qua enim ratione probas, nos Pontificum Constitutiones additione vel detractone deprauare? An non eadè formula est Instituti nostri, quæ oblata est Paulo III. & quæ hodie adhuc in Societate teritur & legitur, quæque posterioribus Pontificibus oblata est? An non sunt hodie quoque eadem Constitutiones, à Patre nostro Ignatio conscriptæ, & Apostolico suffragio approbatæ? An non priuilegia nobis concessa, in curia & archiuo Romano asseruantur, sicut & priuilegia aliorum Ordinum, vt temporis successu, cõstare possit, quid huic vel illi Ordini Sedes Apostolica indulserit, vt si controuersia existant, recurrere liceat ad autographum; & inde veritatem discere? An Pontifices negligentiores existimas, quàm prius illos Romanos, qui acta in archiuis diligentissimè custodiebant, vt ex Tertulliano liquet: aut quam Reges Persicos & Babylonicos, qui rerum generalium commentarios suis in Bibliothecis, magna cura, asseruabāt, ne quis fraudi relinqueretur locus? Et illi ipsi cõmentarij tum Iudæis generatim, tum speciatim Mardocheo salutem fuerunt, vt sacra Esdræ & Estheris historia docet. Quid igitur facilius esset, quàm Iesuitas manifestè corruptelæ conuincere si vel vnum iota literis & priuilegiis Apostolicis adicerent?

Præterea anno tertio Sixti V. Pontificis, priuilegia omnia, quæ eousque Pontifices scriptis diplomatibus concesserant, visa reuisa, & cum autographis comparata sunt operâ Augustini Cusani Curie causarum Camerae Apostolicæ generalis Auditoris, Romanæque Curie iudicis ordinata-

Alexand. lib.
6. dierum ge-
nial. cap. 10.

Tertull. in A-
polog.

dinarij: qui instrumento publico super hac re confecto: *Dicitas*, inquit, *litteras Apostolicas, ad nostras manus recepimus, vidimus, legimus, tenuimus, & diligenter inspeximus, illasq; sanas, & integras, & illasas, non vitiatas, non cancellatas, nec in aliqua earum parte suspectas, & alias, more solito debite & legitime expeditas, omniq; prorsus vitio & suspicione carere inuenimus. Quid igitur tu de fraude & suspicione garris? Dices; iudicem istum à nostris fuisse corruptum. At hinc iterum nō nobis, sed tibi pœnam criminis falsi conscilces; nam qui duobus in solidum eandem rem diuersis contractibus vendidit: pœna falsi coercetur: cui adiungitur & is, qui iudicem corrumpit. Quæ pœna te manebit, si iudicem hunc à nobis corruptum dicas: quia, quod dices, nullo vnquam idoneo argumento, satis scio, testatum facies.*

L. qui duobus ff. ad leg. Cornel.

Ad extremum, non animaduertis, quanta iniuria Pontifices afficias, dum eos talia priuilegia concedere blateras, quorum vim & pondus non intelligant? Hæc nimirum reuerentia est, quam Sedi Apostolicæ exhibes. Interea veneno mel misces, & sanctissimos Patres intonas, ingenti cordis & oris diffidio: Sed fortassis iniuriam tibi facio, dum te iniuriosum in Pontifices esse assero: Es enim ex numero furiosorum, quos negat Vlpianus; *Iniuriam facere posse, siue pulsent, siue conuicium dicant*, non sunt enim rationis compotes. At nunc ordine pereensere ingrederis, quænam, tuo iudicio, Pontifices non videantur approbare. *Prohibent, inquit, in forma instituti, ne quis ad professionem aspiret.* Non hoc tantum, mi homo, sed & hoc generatim, vt postquam quis in corpus Societatis cooptatus fuerit in aliquo gradu, ad alium progredi non curet, sed in suo persiciatur, & obsequio Dei & gloriæ sese impendat. Nam veri religiosi est, vt iactet cogitatum suum in Dominum; illudque Dauidis semper vsurpet: *Dominus regit me,*

L. illud. si. de iniuriis.

me, & nihil mihi deerit. At professio, inquis, perfectionis status est, licet ergo illam appetere: Etiam Episcopatus, plus dicam etiam summus Pontificatus status est perfectionis, ergo Religiosus licitè Episcopatum, aut summū Pontificatum appetet, vtque cum assequatur, enixè elaborabit, suosq; superiores, vt ad assecutionē subsidio veniāt, perpetuis precibus fatigabit? Ais: *Dicuntur etiam in eadem forma habere, vt qui vota simplicia edunt, obligent se illis in Societatis ingressum.* Omnino, quia formula votorum simplicium hanc etiam promissionem continet; *Promitto me Societatem ingressurum, vt vitam in ea perpetuò degam:* non quod iam nō sit absolutè in Societate: sed quia nondum ad altiorem Societatis gradum ascendit, qualis est Professorum: & eorū, quos *Coadiutores formatos spirituales & temporales*, appellamus & respectu horū, vouet ingressum in Societate. At, inquis, si postea talis iure suo petat professionē, aiunt, quod non teneantur illam admittere, neq; tamen illum à voto suo liberum manere: Et hæc dicunt à Pontificibus probari. Planè ista à Pontificibus probata sunt; à Paulo III. à Iulio III. & denuò confirmata à duobus Gregoriis XIII. & XIV. Constitutionē XIII. habes apud Ribadeneirā. Deinde ista ipsa probat quiuis, qui vota simplicia Deo nuncupat; vouet enim Deo perpetuam paupertatem, castitatem & obedientiam in Societate Iesv, & ingressum in eandem Societatem: sed cum hac clausula: *Omnia intelligendo iuxta ipsius Societatis constitutiones.* At Societatis Constitutiones hoc vel inprimis à Religioso nostri Ordinis exigunt, vt suo in gradu Domino Deo in sanctitate & iustitia seruiat, neque sollicitus sit de vltiore, sed totam huius rei curam superioribus demandet. *si, inquis, iure professionem petat.* Nescio profectò, num quis apud nos iure petere possit, cum vouerit se contentum

rentum fore statione sua, donec ab his, qui præsumunt, ad aliam euocetur. Hæc enim illorum verborum vis est, *omnia intelligendo iuxta ipsius Societatis Constitutiones*, quæ, vt antè dicebam; hoc iterum atque iterum præcipiunt, vt quis omnem hanc sollicitudinẽ procul abs se arceat. Aut enim quis dignus est professione aut non; si dignus, ratio eius habebitur; maximè, si dignus sit superiorum iudicio: Nam si suo tantum iudicio dignus sit, iam hoc ipso indignus erit, etiamsi alioquin dignus sit: si autem reuera sit indignus, tunc quo iure tantum gradum ambiet? Accedit, quod nostri, qui domesticis ministeriis non addicuntur, dum vouent ingressum in Societatem; non vouent definitè professionem faciendam: sed aut professionem, aut Coadiutorum formatorum vota publica. Igitur neque ex hoc capite petet quis iure professionẽ, & hoc ipso, quod potius cupit esse professus, quam Coadiutor formatus; satis ostendit, quo spiritu agatur. Nec insolens tibi videri debet; eos, si petita professione non exaudiantur; non exsolui votorum simplicium obligatione: quia ea vota nuncuparunt Deo, cum hac appendice; *Omnia intelligendo iuxta ipsius Societatis Constitutiones*: quibus nihil magis est aduersum, quàm vt si quis ad professionem postulatam non admittatur, derepentè liber ab omni simplicium votorum religione fiat. *Hæc dicunt*, inquis, *à Pontificibus confirmari*. Dicimus & dicemus, hæc & plura huius generis nõ ab vno, sed à pluribus Pontificibus, & ab vniuersali Ecclesia, & à sacrosancto Concilio Tridentino approbari & approbata esse: hoc ipso enim quod Concilium Tridentinum, nihil voluit innovare, nec prohibere, quo minus Clerici Societatis IESV, Deo, & Ecclesiæ iuxta pium suum institutum, à Sede Apostolica approbatur, inseruirent; Societatis mores, &

in his

in his etiam hunc, de quo agimus, grauissima sua sententia confirmauit.

Res, inquis, *dubitatione non caret*; Sed apud quos? videlicet apud illos, qui dubitant, vtrum meridie sol luceat, vtrum nix alba, & ignis calidus; *Cum nemo*, inquis, *teneatur statum vitæ plus satis suspensum ducere: iure Canonico, in his casibus, iam olim promissum est: Qui in nostra Societate degunt, votis simplicibus obstricti, illi non fluctuant, incerti de statu vitæ: iam enim in statu religionis versantur; iam verè & propriè dicti religiosi & sunt & nominantur; & vt tales ab Ecclesia habentur & coluntur: iam perpetuam vouerunt paupertatem, castitatem & obedientiam in Societate IESV: Quo modo ergo ancipites, quasi salo agitati, & nondum in religionis portum subducti, fluctuant? At progredi possunt ad altiorem statum. Ita est, sed in eodem religionis statu, non in diuerso: & tum, cum ab eo, qui præest, audiunt illud. *Amice, ascende superius*. Quod si fluctuent: quia retrò respicere incipiunt, id non fit vitio status, sed culpa animi inconstantis: neque hæc fluctuatio his est peculiaris: quia etiam professi, cuiuscunque Ordinis, ita fluctuare possunt: nisi à diuina gratia præferuentur. Quod si quis fluctuet eò, quod suo gradu contentus non viuat, id similiter non prouenit ex statu; sed aut ex ambitione, aut ex paruo in virtutibus profectu: aut ex obliuione eius, quod quis promissit, dum vota simplicia emisit: promissit enim sua sorte se contentum fore, neque aliter se vota sua interpretari velle, quàm *omnia intelligendo iuxta ipsius Societatis Constitutiones*. Licet autem in aliis Ordinibus, ratione gradus altioris, hæc fluctuatio non habeat locum, quãdo quidem omnes votis solennibus obligati sunt: attamẽ aliis modis fluctuare quis potest. Quid enim, si quis appetat di-*

Q 2

gnita-

gnitates vel extra vel intra Ordinem? quid si summo conatu enitatur, vt Doctor creetur, Professor, aut Antistes Ordinis; aut vt ad Episcopatum, aut aliam dignitatem Ecclesiasticam euahatur, huiusque cupiditatis æstu accensus, nihil non tentet, nihil non turbet & audeat? Quæso te, vnde nam huius fluctuatio proficiſcetur? Indène quod dubius animi de statu vitæ hæreat, an ex corde parum religioso, cui arrogantia multum, humilitatis nihil aut parum?

De votis simplicibus.

Si quis, inquis, votum simplex religionis ingredienda fecerit, & à superioribus non admittatur, vbi per annum expectauerit, iure ipſo à voto fit liber: oportet ergo vt & apud illos idem ius obtineat. Respondeo, aliud esse votum simplex eius, qui adhuc extra religionis statum manens, vouet se religionem ingressurum, qualia vota facere possunt sæculares, & Nouitij Ordinum, quatenus nondum sunt in ipsum Religionis corpus cooptati: Et aliud esse, religionis votum simplex, eius, qui per ipsum votum simplex in corpus religionis cooptatur; eique, tanquam membrum propriè vnitur: ita vt verum sit dicere, talem nõ esse amplius sæcularem: sed veri nominis religiosum. A voto simplici prioris generis, non nego liberari tunc aliquem, cum à superioribus Ordinis, aditus ad Ordinem ei non referatur: At per vota posterioris generis, ita quis obligatur, vt licet ad gradum altiorem tunc cum petit, non admittatur, resilire nullo pacto liceat, quasi iam à votis sit expeditus; Quia per hæc vota verè in Societatis corpus adscriptus est, & cum vouet, se Societatem ingressurum, non vouet ingressum in religionem, sicut aliquis sæcularis, sed vouet se in ea religione, cuius iam per vota simplicia membrum factus est, ad alium gradum progressurum: ita vt cum religione, cuius iam pars est, excellentiore

tiore adhuc modo coniungi velit: Sed omnia intelligendo iuxta ipsius Societatis, hoc est, tunc, cum à Præposito Generali ad hunc gradum euocabitur: Et hunc excellentiorem, & vt sic dicam, interiorem conjunctionis cum Societate modum, vocamus in formula votorum simplicium, *ingressum in Societatem*. Itaq; tantum abest, vt quis, si non admittatur tunc, cum petit, ad altiorem gradum, à votorum nexibus absoluaatur; vt obligatio votorum nunquam cessatura sit, licet tota vita sua nunquam ad maiorem gradummitteretur.

Non videtur, inquis, credibile, Pontifices ius hoc per ipsorum priuilegia immutasse. Non opus fuit vlla mutatione: quia ius illud de voto simplici ingrediendi religionem emisso, durat adhuc, & in posterum etiam durabit. At vota nostra simplicia non sunt de Societate ingredienda, nisi eo sensu, què paulò antè explicauimus: sed dum quis hæc vota, exacto probationis tempore, facit; hoc ipſo Societatem ingreditur: hoc ipſo pars & membrum religionis efficitur; nec obstat veræ & intrinsecæ notioni partis, vt alia pars fieri possit; nam & sanguis pars corporis humani est, & tamen fieri potest in eodè corpore pars alia longè nobilior, quippe viuens, vt si fiat caro. Quod autem ais, multos doctos & pios viros dubitare: vtrum Pontifices Ordini nostro hoc concesserint, vt qui vota simplicia emittunt, verè sint religiosi, detineriq; possint vel inuiti, licet ad professionem non admittantur. Suspicionem mihi moues, tuos illos doctos & pios viros, vix esse semidoctos & semipios, dum de re clarissima dubitant: Nam vt vel vnicam Gregorij XIII. constitutionem nominem, cuius initium, *Ascendente Domino*, quid planius; quid dilucidius, quam Pontificem illum, hæc & plura alia nobis concedere, vel, vt rectius dicam, pleraque iam olim à Pontificibus



cibus concessa, denuò confirmare? Sed tui *pij & docti viri* audent etiam Pontificis diplomati glossas addere. At quid non audeat homo effrons, in quo ignorantia cum temeritate certat? *Ex hoc*, inquis, *multa in Ecclesia Dei offensionis materies generatur, dum quidam sine professione, iam progressu ætatis prudentiores, diutius apud ipsos vivere recusant; illi verò eosdem nec ad professionem admittere, nec dimittere in animum inducant.* Vercor ne scriba, qui tuum commentarium tu multuariè descripsit, per oscitantiam, errorem commiserit: nam quos progressu ætatis prudentiores, eos progressu ætatis deteriores factos esse, scribere debuit; idque nihil dubito ex tua etiam sententia. Nam & tu vnus es ex tribu Iudæ, cuius contribules non eunt, progressu ætatis, *de virtute in virtutem*; sed de virtute in vitium, more Galatarum, quibus proinde meritò illud

Galat. 2.4 & 5. occinitur: *Currebatis benè, quis vos impediuit veritati non obedire? sic stulti estis, ut cum spiritu caperitis, nunc carne consummemini. Et cum cognoueritis Deum, imò cogniti sitis à Deo, quomodo conuertimini iterum ad infima & egena elementa, quibus iterum seruire vultis? Prudentiores, inquis, facti: ni-*

Rom. 8.

*mimum prudentia carnis, quæ, ut ait Apostolus, mors est: non prudentia spiritus: quæ vita & pax; Et quænam materies offensionis inde nascitur, si liber abire non sinatur ille, qui sui voti & vocationis immemor, cursum in Ægyptum reflectit? imò non exigua offensionis materia existeret, si contrarium fieret. Dices fortè: *Istos initio non intellexisse obligationis magnitudinem, progressu autem temporis prudentiores & intelligentiores esse factos.* At quî non intellexerunt, cum formula instituti, regulæ, diplomata pontificia omnibus legenda, perpendenda; imò & ediscenda tradantur, cumque toto tyrocini tempore, cum in aliis ad religiosam vitam pertinentibus, tum in his, quæ*

quæ vniuscuiusque vocationem concernunt, sedulo informantur, ita vt licet quis rationem instituti & obligationem ignoraret, rebellio eius inde non minueretur, quia regula est, *iuris quidem Ignorantiam cuiq; nocere, maxime, si sit deperditi & nimium securi hominis.*

Pergis: *Ferunt etiam in forma instituti, naturalem parentum & consanguineorum amorem prohiberi.* Prohibetur nostris ille amor; quem Dominus vetuit his verbis: *Si quis venit ad me, & non odit patrem suum & matrem, & uxorem, & filios, & fratres, & sorores, adhuc autem & animam suam, non potest meus esse discipulus.* Nonne videtur tibi etiam Christus in formula sui instituti prohibuisse naturalem erga parètes & consanguineos affectum? Sed probas hoc exemplo cuiusdam Angli, cuius frater cum Romam venisset, fratrisque opem imploraret, hoc mandatum à Rege accepit; vt ne rebus fratris se immisceret. O exemplū pietatis in consanguineos neglecte inauditū; sed Calvinistis, non nobis: nos enim in Ecclesiastica antiquitate tam rudes non sumus, vt similia, & his maiora præcepta, subditis crebrò data ignoremus. Tā peregrini in veterū monumētis non sumus, vt quomodo plurimi Religiosi erga parentes & cognatos sese gesserint, æterna nominis sui gloria, nobis sit inexploratū: Vel vnicum factū Abbatibus Apollo, viri sanctissimi, absterrere te poterat, ne hanc accusationem texeres, si, q̄ simulas, Catholicæ p̄fessionis esses: Non exscribo, lector ipsemet apud Cassianū legat.

At iam ex calumniatore confestim in Achitophel^{Cassian. Col. lar. 24. cap. 6.}lem commutatis, totiusq; Ecclesiæ consiliarius effectus, quid cum Iesuitis agendum sit, ornatissimis profectò verbis, declaras: Sed caue, ne si fortè acclametur: *Melius est*^{2. Reg. 17.} *consilium Chusai Arachite, quam Achitophel, tu idem facias, quod Achitophel, qui videns quod non fuisset factum consilium*



filiam suam, stravit asinum, surrexitq; & abiit in domum suam, & in civitatem suam, & disposita domo sua, suspendio interiit. Sed quidquid euenturum sit, audiamus consilium tuum. Quod si forte summorum Pontificum gratia, & rerum suarum approbatione abutantur, sanctissimum esset, ne ullus hoc in genere artificis locus relinqueretur; omnia expresse revideri & examinari, ac tandem, quæ probant, in protocollo ad sacrum archiuum referri, ad cuius exempla omnia deinde approbari possent. Sapientissimus sanè consiliarius es, nec mirarer, si Pontifex votum illud Agamemnonis de Nestore usurparet: αἰ γὰρ τοῖς τοῖς δίκαι μοι συμφράδιμονες εἶν ἀχαιῶν. Τῶν τε τὰ χεῖρ ἡμῶν εἰσι πῶλις πριάμοιο ἀνακτος: aut illud Darij, qui optabat tot Zopyros, quot sunt mali punici grana. Videris talis Consiliarius, qualis Epimenides Propheta, vt enim iste de præteritis vaticinabatur, ita tu de præteritis, quæ dudum facta, & de præsentibus, quæ quotidie fiunt, nouus πολύμητις Vlysses, consilia fundis. Augustinus Cusanus, de quo supra, anno Domini 1587. 26. Augusti, Anno tercio Pontificatus Sixti V. Priuilegia Societatis vidit, reuidit, recognouit, sana, integra, illæsa, non vitiata, non cancellata, nec in aliqua parte suspecta reperit. Num acquiescis? Et quis dubitet priuilegia à Pontificibus concessa asseruari in archiuis? vt si quid olim controuersia existat, inde eius decisio peti queat.

Hom. Iliad. 2.

De oraculis
vina vocis.

Sed habent, inquis, Iesuita, multa vina vocis oracula. Nō abnuo, sed habēt etiam alij Ordines: & forte plura, q̄ nos; Porro in rebus leuioris duntaxat momenti; nam quæ primaria sunt alicuius Ordinis, ea prudentiæ est, vt quis Pontificum editis sanctionibus muniri & roborari curet. At periculum est, ne istis vina vocis, vt vocant, Oraculis Iesuita abutantur. Periculum est apud tui similes; non apud dissimiles, quales religiosi. Hoc ipso quod vbique fraudes & impo-

imposturas somnias, ostendis, quomodo animus tuus comparatus sit. Præclare enim S. Gregorius Nazianzenus: *Minimè is malitiam fraudemq; suspicatur, cuius animus à malitia liber est & immunis.* Crimen falsi est non modò Pontificum constitutiones, sed & responsa, absque scripto data, addendo aut demendo deprauare. Et si is qui falsis constitutionibus, nullo auctore habito, vsitur, lege Cornelia, aqua & igni interdicitur: certè non minorem poenam mereretur ille, qui falsa Pontificum responsa usurparet, idque fingeret, quod summo sacerdoti nunquā in mentem venisset. Reuerentiores sunt viri religiosi & Dei & hominum, quàm vt huiusmodi criminibus sese reddant obnoxios.

Naz. san. orat.
1. cōtra Iulian.

1. Si quis ff. ad
Leg. Cornel.

Cæterum iam explicare aggredieris, quid per Pontificem efficere conemur, apud principes politicos: postquam videlicet Pontificis mentem rerum secundarum narratione occuparunt: *Pesūt, inquit, litteras ad principes, præsertim transmontanos.* Puto aliquot centenos Iesuitas ex vrbe cum aliò, tum in partes septentrionales profectos, qui ne verbulum quidem commendatitium arrulerint: satis vbique commendatus est, quem virtus & eruditio commendat: quæ commendatio, si desit, parum prodest Pontificis commedatio. Quod si interdum Pontifices dederunt litteras ad principes, easque per nostros miserunt, id non nisi publica, eaque grauissimā causā, factum est; Et verò adhuc fit, cum scilicet Pontifex, nostrorum opera, in legatione aut missione quapiam vtitur: Ne tu cogites Pontificem, quasi Ludimagistrū aliquem, nihil aliud agere, quàm vt Iesuitis, ex vrbe abeuntibus, testimonia scribat, vt eò gratiores principib⁹ adueniant: *Mirificè, inquit, prædicant apud Principes, Pontificis in Prin-*

De litteris cō-
mendatitiis.

R

cipes

cipis amorem, paternumque affectum: eumque non parum, suo etiam labore & studio augeri & foueri dicunt, ut hac ratione gratiam à Principibus ineant. Ita loqueris de Principum colloquiis, quasi aliquis Princeps fecisset te suum auricularium à secreto: sicut Dauid Banaiam, filium Ioiada. Interfuit sine aliquando huiusmodi colloquio? Cedo, vbinam gentium? Ede nomen loci, Principis, Iesuitæ, temporis & aliorum adiunctorum. Et ut Iesuitæ maximè prædicarent Pontificum in Principes; vltromontos præsertim, benevolentiam; hæud quidquam à verò alienum facerent. Etsi enim Pontifices, tanquam patres, paterno affectu omnes principes complectuntur, experientia tamen iam didicimus; eos, singulari propensione, in harum regionum Principes ferri, quippe, qui non ignorant, quam bene de Ecclesia mereantur; qui inter tot hæreses auitam religionem illibatam custodiunt, suaque salute & incolumitate, tot populorum salutem & incolumitatem curant. Nec egent Principes commendatione & encomiis Iesuitarum, ut Pontificis fauorem promereantur, quia ipsi sua virtute, catholiceque religionis & iustitiæ zelo, satis superque Pontifici sese commendant.

Addis: His ita constitutis ad rerum bonorumque acquisitionem pergunt. Obseruant igitur in primis diligentissime, ubi monasteria religiosi vacua reperiantur, ut ea per Pontificis auctoritatem occupent. Quia verò hoc loco multa scribis de monasteriis à Iesuitis occupatis, paulò fufius hic locus à me tractandus est, ut tam tibi quam aliis obrectatoribus os obstruatur. Ac principio quod ais, vacua à nobis monasteria occupari, id ostendit nos Lutheranis & Calvinianis esse dissimillimos, qui plena magis amant, quam vacua.

De translatione Monasteriorum ab Ordine ad Ordinem.

vacua. Secundo, quod ais, nos monasteria occupare, Pontificis consensu; iam non tantum nos Lutheranis & Calvinianis dissimillimos, sed ab iis toto celo, & quod vulgo dici solet, totis predicamentis, diuersos esse confiteris: nam ex tot monasteriorum chiliadibus, & beneficiorum myriadibus, ne vnum quidem iusto titulo possident; sed omnia, more prædonum, diuinis & humanis legibus inuis, in suam potestatem redegerunt & rapacissimis vngulis expilarunt & diripuerunt. At Iesuitæ ne vnum quidem monasterium, aut sacerdotium obtinent, quod non assentiente legitimo magistratu obtineant. Et quia hæc de re non ita pridem scripsi aduersus Gabrielem Lermæum Calvinistam, non grauabor eadem hæc repeterè: præsertim cum ad sycophantæ huius imposturas refellendas sint cum primis necessaria. Ita igitur tunc Lermæo, eandem querelam de monasteriis proferenti respondebam: Mirum dictu Calvinianos & Lutheranos, tam effrontes esse, ut obiiciant Iesuitis occupata Monasteria & Sacerdotia, cum ipsi tot millia monasteriorum & beneficiorum Ecclesiasticorum, diuinis humanisque legibus inuis & reclamantibus occuparint, & profanauerint, & innumera Monasteria funditus euerterint; ita, ut præter ruinas, vix quidquam amplius supersit. Iesuitæ autem nullum Monasterium aut Sacerdotium possideant, quod non legitimo titulo, Principum videlicet & Pontificum voluntate & auctoritate possideant. Ut taceam illud alterum discrimen, quod cum hæretici Monachis aut Sacerdotibus per summam iniuriam succedunt, impij succedunt pijs; impuri, puris; hirci, ouibus: sacrilegi, sacris: At cum Iesuitæ succedunt: succedunt Catholici Catholicis; Religiosi, Religiosis: & ita



succedunt, vt cultum diuinum non aboleant, sed conferuent: Vel, si, vt interdum fit, collapsus fuerit, diligenter instaurent: nec contra mentem & voluntatem fundatorum succedunt, sicut hæretici, quia quisquis aut beneficium Ecclesiasticum fundauit; is eo consilio fundauit, vt Catholica religio facta tecta custodiatur & propagetur, & vt diuina gloria semper magis atque magis amplificetur. Hunc finem consequuntur etiam tunc fundatores, cum Ecclesiastici Magistratus sententia, ab Ordine ad alium Ordinem Ades religiosæ & facultates transferuntur; quandoquidem talis translatio nunquam fit, nisi maioris boni ad Rempublicam & Ecclesiam inde redundantis intuitu. Cum autem Fundatores non sint immortales, sed sæpè ante aliquot centenos annos ex hac vita migrauerint, nec ipsi iam iudicium ferre possint, vtrum magis è re Christiana futurum sit, si hoc vel illud beneficium aliis transferatur: ideo reliquerunt hoc iudicium summo Ecclesiæ præsidii; qui, tanquam *fidelis seruus & prudens, quem constituit Dominus super familiam suam*; maturo iudicio definit, quid pro variis temporibus & necessitatibus; item pro variis hominum locorumque circumstantiis, hac in re factò sit opus, ne munifica fundatorum liberalitas suo fine priuetur, & expectationi tam piæ non satisfiat.

De hæreticis in Monasteria intrudendis, nemo vquam fundator, ne per somnium quidem cogitauit, cum hæretici consilio fundatorum directè repugnent, cumque ex tot millenis cænobiorum & reddituum Ecclesiasticorum fundatoribus, nullus Lutheranus aut Calvinianus fuerit, quia fundare Monasteria non est huius Euan-

Euangelij: sed diripere & expilare. At de Iesuitis cogitarunt fundatores, hoc ipso, quod dotationes suas vel disertis verbis, vel tacitè & interpretatiuè ita instituerunt, vt rem totam Ecclesiæ arbitrio permiserint & commiserint, vt dispiceret, quidnam magis ad gloriam Dei expediat. Quod iudicium sibi à fundatoribus delatum, Ecclesia, hoc est, Pontifex, qui Ecclesiæ præest; sæpius, multò antè quàm Iesuitarum nomen in orbe audiretur, exercuit, dum monasteria & reditus ab hoc vel illo Ordine, ad alias familias religiosas transtulit; quod interdum necessariò esse faciendum, etiam ex ipsa fundatoris intentione & proposito, inde manifestum est, quia alioquin monasteria sæpè omnino fuissent deserta, eò quod huic vel illi Ordini, hoc vel illo loco nõ suppeteret homines, quibus familiam suam conseruaret & perpetuaret. Deinde, quia accidere potuit, vt disciplina religiosa hoc vel illo loco penitus dissolueretur & laxaretur, nihilque minus, quàm Dei laus & gloria celebraretur & amplificaretur, quia vt ille ait: *Ingenium est omnium hominum ab labore procliuè ad libidinem*. Vtroque casu necessarium est, vt quod pio & laudabili proposito maiores instituerunt, mutetur à posteris, alioque transferatur; alioquin maiorum voluntati non modò nõ satisfaceret, sed & quiddam penitus aduersum fieret. Hæc ego Lermæo Calvinistæ quæ tibi etiam Calvinopapistæ dicta existimes velim.

Quis verò nescit, translationem istam Monasteriorum & bonorum Ecclesiasticorum ab Ordine vno ad alterum, vel ab hoc hominum genere ad alterum; semper in Ecclesia fuisse vsitatissimam? Quot templa & reditus iam Canonicorum, olim erant monachorum? Quot Monasteria olim diuersos ab hodiernis incolas habebant? Contexerunt Monasteriorum catalogos Bruschius, Ger-

Qua Monasteria ad diuersos Ordines sine translati. Bruschi, Cent. 1. de Monast. Germaniæ.



Hundius in
Metropol. Sa.
laciurgens.

manix; & clarissimus Hundius Bavarix: Hos etolue, si
discere delectat monasteriorum mutationes & transla-
tiones. sed quia monenti non obtemperabis, operapre-
tium erit hoc loco singula enotare, & ex catalogis illis ca-
talogum texere: ne saltem æquus, si non iniquus lector,
arbitretur, nuquam factum esse, vt vllum Monasterium
ab vno Ordine, Pontificum Principumque iussu & vo-
luntate, ad alium transferretur; Igitur celebre Monaste-
rium est in Bavia, *Inferior Althaseu Althajch*: ad ripam
Danubij. Hoc pro patribus Benedictinis primo funda-
tum, postea ad Canonicos Regulares peruenit, & ab his
rursus ad primos possessores Benedictinos, *Alerpachium*
incolebant primo Clerici sæculares. (hos enim Auenti-
nus affectato, vt solet, vocabulo *populares mystas* vocare
videtur) his expulsis, ibidem Ordo Cisterciensis institu-
tus est, agente id D. Bernardo. *Althonis Monasterium* in-
coluerunt; saltem postquam reparatum est à Guelfone
Benedictini. His alio migrare iussis, successerunt eius-
dem Ordinis sanctimoniales: in horum locū subiit Ordo
Saluatoris, seu S. Brigithæ, qui adhuc Cænobium illud
tenet. Monasterium *Andecense*, seu *Montis sancti*, incolit
nunc Ordo S. Benedicti, prius septem sæcularium Cano-
nicorum Collegiū erat. *Beihartinga cænobium*, primò vir-
gines Deo dicatę habitabant, nunc Canonici Regulares
Ordinis S. Augustini. *Beurense*, ditioris Salisburgensis,
nō procul à Salza flumine, tenuerunt quondā Augusti-
niani post Benedictini; Monasteriū *Chiemseuse* ab initio
D. Benedicto dedicatū fuit, postea cessit Canonicis Re-
gularibus S. Augustini. Contrarium euenit *Eberspergensis*
Monasterio, locum, quē nunc Ratisbona tenet; Augu-
stiniani Eremitę, tenebāt primitus duo sacerdotes sæcu-
lares. *Mittense* Monasteriū à fundatore Benedictinis ædi-
fica-

Monast. de
Metropol. Sa.
laciurgens.

ficatū est; successerunt Canonici; pulsus istis, restituti sunt
Benedictini. *Mospurgum*, olim erat Monasterium, nunc
Canonicorum Collegium. Idem de veteri *Otinga* con-
stat. Idem tradunt nonnulli de Collegio Canonicorum
Matisconensium. Contrarium accidit *Osterhouio*: nam ex
Collegio Canonicorum sæcularium, commutatum est
in Monasterium Præmonstratense, quamuis Auentinus
scribat, à Benedictinis primò transiisse ad Augustinianos.
Paringense Monasterium Canonicorum Regularium S.
Augustini possident nunc, Pontificis & Principis volun-
tate, Patres Benedictini, qui in Monte sancto rem diui-
nam curant. *Monasterium S. Petri* in Matrona monte, o-
lim erat Benedictinorum, postea in Præposituram abiit,
quam princeps *plerung*, alicui ex antieis sacerdotibus confert,
inquit Hundius. Eundem aliam, vel certè similem, sub-
iit Cænobium *Pfaffenmünsteriense* Ordinis S. Benedicti:
nam in Collegium Canonicorum sæcularium desit. *Pol-
linga*, prima institutione, sacrarum virginum erat domi-
cilium; nunc Canonicorum Regularium S. Augustini,
vt & *Soblechdorffium*. *Brielium*, iuxta Ratisbonam, hodie
Carthusia, superiori sæculo Benedictinorum cænobium.
Reichersperga iam ad Canonicos Regulares S. Augustini
pertinet, olim sæcularium sacerdotum erat. *Monasteriū*
S. Saluatoris, quot mutationes subiit, donec tandem cum
Osterhouensi in perpetuum tempus coniunctū est? *Scheff-
lariense* olim erat Benedictinorum, hodie Præmonstra-
tensium, vt & *Schliersense*, quod hoc tempore pro Bene-
dictinis Canonicos Regulares habet. Sic *Veltenburgum* à
Benedictinis ad Canonicos Regulares: & ab his rursus
ad Benedictinos venit; vt & *Vessenbrunnium*, nisi quod
hoc à sacerdotibus sæcularibus occupatū fuerat, eiectis
Benedictinis. *Monasterium Biburgense*, *Münsteriense*, *Pä-
ringen-*

ringense, Schambaptense: Mallerstorphense cum vacarent, vel certe paucissimos incolas haberent, tradidit summus Pontifex Serenissimo Bauariæ Duci, vt eorum redditus in pios vsus conuerteret: prout præsens Ecclesiæ status exigere videbatur.

Quot monasteria in sola Bauaria ab Ordine ad Ordinem translata.

Habes ergo ex sola Bauaria supra triginta Monasteria, quæ variis temporibus, auctoritate Pontificum, & Principum, ad alios Ordines aut status translata fuerunt: videsque successisse Monialibus monachos; & his, Moniales; Monachos diuersi Ordinis; monachis alterius Ordinis; monachos, sacerdotibus secularibus; & sacerdotes, monasticæ vitæ Professoribus: vt proinde insolitum videri nequeat, nisi inuidis & imperitis, si eiusdem Pontificis & Principum, seu aliorum Magistratum nutu, ad Iesuitas quoque Monasteria deuoluantur: præsertim, si alioquin incolis sint destituta: aut si religiosa disciplina adeo conciderit, vt spectato præsentis Ecclesiæ statu, Pontifices & Principes satius esse iudicent, nonos colonos in veterem coloniam inducere, quàm priscorum socordiam tolerare. Semper hoc in Ecclesia Dei visitatum fuit, semperque vsurpabitur, nec vnquam suis obtrectationibus, Hæretici, & alij Ordinum hostes efficiant, vt Monasteria & bona Ecclesiastica ab Ordinibus ad alios Ordines non transferantur; quando id è re Christianæ Reipublicæ esse crediderint, ij, qui ad Reipublicæ Christianæ gubernacula sedent: nullus est Ordo, qui huiusmodi beneuolentiam, & liberalitatem Pontificum & Principum, ipsemet non sit expertus, saltem sub sua primordia. Quod si sint eiusmodi Ordines, qui nec in communi quidem bona stabilia & certos redditus admittant; vt est Ordo S. Francisci de Obseruantia; ij saltem, beneficio Sedis Apostolicæ, liberaliumque fundatorum, Monaste-

nasteria aliorum Ordinum & templa, & quæ aliàs ad quotidianam & commodam habitationem necessaria erant, sæpius acceperunt. Testem do, vt alios præteream, Seraphicum S. Francisci Ordinem, qui cum propterea malè vulgò apud imperitos & obtrectatores audiret, hisque etiam verbis & similibus Patres illos exagitarent; *Quid dicitis ad hoc, quod in pluribus locis dicuntur Fratres vestri, a- s. Bonauent. hos Religiosos, vel Clericos eiecisse, violenter de propriis Eccle- in Apolog. siis, vel Monasteriis, & ibidem, eis inuitis, sibi mansionem fecisse; quomodo potest hoc excusari ab iniuria & violentia?* Respondit loco omnium D. Bonauentura: *Vbicunq, hoc factum est, non est per fratrum violentiam factum; sed vel per Episcopum loci, vel ex iussu Domini Papæ, qui intelligens Clericos illos, vel Religiosos, ibi minus honestè se gerere, vel ad tantam paupertatem redactos esse, quod diuinum seruitium ibi esset delapsum; quod per ipsos non erat spes restorationis; auctoritate Apostolica mandauit, illos alibi locari, assignatis sibi certis redditibus, vnde possent congruè sustentari, & fratres nostros ibi habitare, & diuina officia ibi celebrare, cum ad ipsum spectet de omnibus locis religiosis ordinare, vt sacra ibi religio restaretur, siue per illius Ordinis personas, siue per alias alterius Ordinis, sicut viderit expedire.* Hæc S. Bonauentura pro suo & nostro ordine.

Quamuis autem cuius candido rerum æstimatori satis esse queant, hæc quæ ex Hundij Metropoli adduximus; lubet tamen Monasteriorum translatorum ex Bruschio, octo alia exempla addere: ne in sola Bauaria hoc accidisse censeatur. Igitur vt à celeberrima & antiquissima S. Benedicti Abbatia *Eluacensi* incipiam, quis nescit Monasterium illud in *Praposituram*, & monachos in *Canonicos seculares* versos esse? vt ait Bruschius; quod & *Hieredensi* Abbatia & *Vveissenburgensi*, earumque incolis

Exempla Monasteriorum translatorum ex Bruschio.

accidit. *Martalense* Canonicorum Collegium in Præmonstratenſe Cænobium mutatum eſt, vt & *Oeningenſe* Benedictinorum in Canonicorum Regulatium S. Auguſtini domicilium: & *Monasterium S. Lucij* in Rhetia olim Benedictinorum; poſtea Præmonſtratenſibus traditum eſt; tandem in Xenodochium deſiit: *S. Maximini Monasterium* iuxta Treuiros: Benedictini inſtituti profeſſoribus aſſignatum eſt: cùm antea Regulam & Ordinem Orientalium monachorum ſequeretur; quippe S. Benedicto longè antiquius. Monasterium, quod *Auguſta Vindelicorum* viſitur ampliffimum, & à *S. Valrico* cognominatur, primum Canonicos Regulares indigenas habuit, poſtea ad hunc uſque diem Patres, qui S. Benedicti regulam profitentur; Nec opus eſt plura exempla accumulare: ſi enim hæc non ſufficiant ad meliorem mentem huic calumniatori iniiciendam, non improbabili- ter ſuſpicari licebit, nullum omninò, quamuis grandem, mutatorum Monasteriorum numerum, ſatis ad hoc fore, vt à criminationibus deſiſtat, noſq; cõ uiciis inceſſere ceſſet: *Eò quod*, vt inquit, *Ieſuitæ Viennæ incolant & poſſideant cænobiũ Carmelitarũ, Moguntia, Treuiris, & Braunsperga Franciſcanorum: & Roma itidem ex Abbatia quadã annuos redditus capiant*: Sed quæſo te, cur adeo doles vicem Monasteriorum paucorum, quæ Ieſuitæ tenent; conſenſu & approbatione ſummi Pontificis, & aliorum Principum, quibus ius & poteſtas in illa Religioſorum domicilia erat? Cur non deriuas partem doloris tui, ad tot Centurias Monasteriorũ, quæ Britanni, populares tui, in Anglia, Scotia, & Hibernia, per ſummuſ ſcelus, inuaſerunt, & per inaudita ſacrilegia diripuerunt? Cur tam durus es & ferreus, vt nulla te cura tangat aliquot millium Monasteriorum, quæ fratres tui Lutherani & Caluiniani, per

vttran-

vttranque Germaniam & Galliam, perfidia ſua contaminarunt; & indies adhuc contaminant? Quot centena Franciſcanorum, Dominicanorum, & Benedictinorum cænobia euerterunt, aut in profanos uſus conuerterunt? Verùm tu hæc omnia nihili pendis, nec vnus aſſis æſtimas, ſola illa paucula Monasteria, quæ Ieſuitæ, fidei Catholicæ profeſſores & propugnatores, iuſtiſſimo titulo tenent, animum tuum cruciât & peſſimè aſficiunt. Quæ cauſa, ò pſeudocatholice? in promptu cauſa eſt, *Rumperis inuidia*. Cauſa liquet, *lupus es, vellerè tectus ouis*.

Moguntia, inquis, *fregerunt Sanctorum ſtatuas*. Non dubito, quin antiquum hoc loco teneas, hoc eſt, mentiaris. Ieſuitæne Sanctorum imagines frangant aut deturbent? quibus ubique terrarum hoc in primis curæ & cordi, vt templa, quàm fieri poteſt maximè, Diuorum picturis & imaginibus condecorent? Quæſo, quis vel ex ipſis Sæctariis talia tibi narranti aut aures aut fidem adhibebit? Deinde cur non doles vicem tot imaginum deictarum, conculcatarum, flammisq; voracibus tandem exuſtarum à tuis contribulibus, in iis Religioſorum domiciliis, quæ ipſi, vt ante dicebam, ſcleratiffimè inceſtarunt? non enim habeo mitius verbum, quo tantum facinus exprimam. *Omnia*, inquis, *prioris religionis monumenta deleuerunt, inuerſis ſepulchrorum lapidibus*. *Res quedam conſiderationis expers eſt malitia*, inquit S. Gregorius Nazianzenus, *nec vlla ratio iniri poteſt, qua homines nequam & flagitioſos quiſquam meliores efficiat*. Id adeo iam ſepius, quàm optem, experior. Tunc ais noſtros prioris Religionis, omnia monumenta oblitteraſſe? Atqui, niſi ex ipſis fundamentis Monasterium aliquod euertatur, inque eius ſtatione noua prorfus ædes ſubſtituatur (quod *Moguntia* non factum, eo tempore, quo tu has calum-

S 2

niaz

Nazian. orat. 1. contra Iulianum.



nias effudisti, mihi certò constat) fieri profectò nequit, vt omnia monumenta Ordinis alicuius expungantur. At nostri; quod nouis inquilinis in more positum, domum illam & templum sibi à legitimo magistratu, legitima ratione, traditum & transcriptum, fortè renouarunt; & ad vsus suos accommodarunt. Cæterùm, quæ hæc in priorem Religionem iniuria, quæ contumelia? An non quis, cum domicilij alicuius dominium accipit; illud, quoad fieri potest, quotidianis vsibus & functionibus adornat? cuius rei gratia, oportet, vt aliquando moueatur loco monumenta sepulchralia, quo templum elegantius vel capacius, vel lucidius reddatur, vel de integro, nouo & æquabili pavimento sternatur, vel aliam ob causam, quæ rem architectonicam tractantibus non paucae occurrere possunt. An verò, mi Calvinopapista, vllum locum nosti, vbi Iesuitæ, etiam cum abiectissimi homuncionis tumulo, egerint, eo modo, quo fratres tui Calvinopapistæ, & Puritani in Britannia, & Hugonoti in Gallia, & Gensij in Belgio egerunt cum sepulchris plurimorum Cælitum, cum sepulchris maximorum Regum & Principum? Si exemplum proferre potes, non inuiti feremus, vt omnibus illis pœnis mulctemur, quas iam olim leges, sepulchrorum violatoribus & perfossoribus statuerunt. nisi fortè vnum aut alterum Hæreticum, loco consecrato sacrilegè defossam, & postea piè refossam, adducturus es. At quid ad te Catholicum Hæretici? Cur ægrè feras exhumationem, quam sacri Canones quorū tantus æstimator, & obseruator, non modò laudant, sed etiã mandant? *Extorquet, inquis, à Pontificibus & Principibus ista Monasteria.* At tu profectò non extorques, neque, velut trochleis quibusdã, mendacia ex pectore extrahis, spõte sua profluunt: sponte sua numeros ad aptos veniunt. Nec

Nec puto Nasonem tanta facilitate scripsisse libros Metamorphoscon, (etsi quidquid conabatur scribere verus erat) quanta agilitate & promptitudine tu calumnias fingis. Tantum abest, vt à Pontifice, aut à principibus Monasteria extorqueamus, vt certò sciam, aliquando, cum vltro, non petentibus offerrentur, constanter repudiata esse. Tantum abest, vt extorqueamus Monasteria, vt aliquando Principes & Mæcenates nostri prius rem cum Pontifice transigant, quàm assensum nostrū requirant. Tantum abest, vt extorqueamus Monasteria, vt Monasticam disciplinam in omnibus Monasteriis florere & vigere peroptemus: eaque propter Prælatos etiam, quibuscunque modis possumus, exhortemur & incitemus, vt ad Academias, bonarū litterarum gratia, suis ex conuentibus aliquot ablegent, qui domum postea reuersi, variis disciplinis excultri, monasticæ professionis dignitatem tueantur, & antiquum decus sanctissimi instituti, aut conseruent, aut si intercidit, reparent.

Sed iam in specie commemoras, quæ nam Monasteria per vim extorquere & occupare conati simus: Et si irrito conatu. Ais: *Augusta Dominicanorum, & aliud sanctæ Crucis Canonicoꝝ Regularium sancti Augustini monasterium, adeo improbè acquirere tentarunt, vt cõmuni voce populi quæreretur, an boni isti viri in octauo, nono & decimo decalogi precepto, à Domino Deo dispensationem obtinuissent, adeo mendacibus obiectis calumniis res alienas concupiscere videbantur.* Grauis accusatio, ac proinde diligenti studio amolienda. Ac primùm quæro ex te, si illi, qui Augustanam Confessionem sequuntur, duo ista Monasteria occupassent, sui que iuris fecissent; mutiresne, & vel vnicum verbulum contra proferres? Si te id iniqua mète laturum affirmes, statim quæro, cur ergo iam tam æquo animo feras, eadē

in Vrbe, ab iisdem, duo Monasteria occupata; alterum Carmelitarum, alterum Franciscanorum? Cur non doles Monasteria illa priscis inquilinis fuisse à Lutheranismo reipsa erepta; sicut iam doles & excandescis, cum audis, tentatum duntaxat esse, vt in hæc Monasteria Dominicanorum & S. Crucis, pulsus veteribus incolis, Iesuitæ, noui indigene, introducerentur? Quæ est ista tua æquitas? vt aliis, & quidem à Catholica Religione alienis, factum ipsum in laude ponas: vel certè nō in vitio: Nobis autem Orthodoxis & Religiosis, ipsum conatum sine effectu, tam malignè interpreteris, vt totius propemodum Decalogi violati reos nos esse proclames? Aliis profectò oculis nos intueris, & aliis Caluianos & Lutheranos. Ais: Communem fuisse populi vocem nostros hoc tentasse. Venit in mentem eius, quod sapienter dixit & scriptum reliquit S. Gregorius Nazianzenus, cum accusaretur, quasi cathedram Constantinopolitanam affectasset & ambiuisset. *In gratiam, inquit, cum veritate redeant, qui me alienæ uxoris cupiditate flagrasse dicunt, cum ne propriam quidem habere voluerim: sint etiam Gabaonitæ meliori conditione, quos tamè, ne ad id quidem munus Spiritus sanctus admissurus est, vt ligna atque aquam portent, quamdiu cum huiusmodi sermonis & vitæ maculis ad sacra accesserint. At qui multis seculis videtur, inquires, Quid verò mea interest, qui rei veritatem magis curo, imo solum curo? hoc enim vel me condemnauerit, vel absoluerit, hoc miserum vel beatum reddiderit. At quid aliis videatur, nihil ad nos, quemadmodum nec alienū somnium. Non ita aliis videtur, ais: Quid verò? An iis, qui vertigine correpti sunt, terra fixa & stabilis esse videtur? An ebruis, qui sobrii sunt, integra mente esse, ac non potius in caput incedere, ac sursum deorsumq. moueri? An non quibusdam interdum hominibus*

S. Greg. Naz.
arat. de ca-
thed. Constant.

minibus mel amarum est? nempe morbo laborantibus, maleq. affectis? At non propterea res ita se habent, vt, qui hoc statu sunt, arbitrantur. Quocirca fac prius fidem sanos esse eos, qui de nobis ita sentiunt, ac tum nos admonere, vt meliorem mentem induamus: aut condemna, nisi consilio tuo pareamus, sed in eadem sententia perstemus. Non ita multis videor? at Deo ita: imò non videor, sed perspicuus & manifestus sum ei, qui omnia priusquam oriantur, nouit, qui corda nostra sigillatim fingit, qui intelligit omnia opera nostra, omnes motus & cogitationes, cum quibus res à nobis geruntur, intelligit, quem nihil eorum que sunt, latet, aut latere potest, qui aliter res nostras intuetur atque mortales solent (Homo enim, si scriptura fides habenda est, videt in faciem; Deus autem cor intuetur) cuius iudicium cordatis hominibus pluri faciendum, magisque curandum est, quàm omnium aliorum in vnum coactorum. Hæc præclare Nazianzenus.

Cæterum vt totam rem candido lectori candidè patefaciam, idque ex relatione P. Gregorij Roseffij Augustæ in primario templo aliquot supra triginta annos Concionatoris, qui toto illo tempore, quo de collegio erigendo consultabatur, Augustæ vixit; nouerit in primis lector, istum ab ingenio suo ne latum quidem vnguem abire, sed omnia dolis & figmentis implicare; & tamen nō sine leuissimorum quorundam applausu: quia his, vt Comicus ait, nunc præmium est, qui recta praua faciunt. Amplissimus enim Cardinalis Ortho Truchsessius; Augustanus pariter Episcopus, & alij nobilissimi & clarissimi viri, cū id vnū in optatis haberent, vt Augustæ, bono Catholicæ fidei & iuuentutis, Collegium Societatis Iesv conderetur, petierunt à Pontifice Pio V. non ipsum Cænobium Dominicanorum, vt iste mētitur, sed aream quan-



quandam Dominicano Cœnobio contiguam, & ad ipsum cœnobium pertinentem, vt in ea Collegium ædificarent: nec gratis petierunt, sed cum pecuniæ summam obtulerunt, quæ cuiusuis prudentis & periti æstimatoris iudicio sufficeret. Hoc consilium eò felicius & facilius successurū videbatur, quod ipsis patribus Dominicanis, id loci spatium nō esset vsui, quippe extra ambitum Monasterij situm, sed vnà cum ædibus & stabulis, quæ in eo exstructa visuntur, ciuibus & aliis locari consueuisset, constituto annuo censu, à singulis inquilinis pendendo, quem Religiosi illi Patres, æquè quotannis percepturi erant, ex ea pecunia, quæ ad ipsos, venditâ arcâ, peruenisset, ac capiât ex locatione ipsius fundi & domiciliorum. Sed cum inceptum hoc in irritum caderet, Deo aliquid opportunius reseruante illis (quos iste, quasi metam & scopum sibi delegit, in quos conuiciorum suorum spicula vibret) tum iidem patroni & fautores Ordinis nostri & fidei auitæ, præsertim illustrissimus Cardinalis Otho, tanquã loci Ordinarius, instare cæperūt apud Pontificē, vt Canonici Regulares S. Augustini, qui ad S. Crucis degunt, transferrentur ad S. Georgiū, eiusdē Ordinis, in eadē ciuitate, Monasteriū, cum omnibus bonis tam mobilibus, quàm immobilibus. Cætera enim se curaturos spondebant, dūmodo locus iste Societati transcriberetur, auctoritate Pōtificis, qui tum erat Pius hoc nomine Quintus. Non displicuit Pōtifici consiliū, & res iam inibi erat, vt decretū de translatione faciendâ ederet; nostris interea negotij huius cursum neque adiuuantibus, neque etiã præpedientibus; non enim par erat, vt Cardinali Othoni, Augustanæ Diœceseos Ordinario præscriberent, quid factō opus videretur. Verum postquam Pater Gregorius Rosseffius intellexisset, in quonam statu res verfa-

versaretur, è vestigio prolixas litteras ad P. Euerhardum Mercurianum Societatis I E S V tunc Præpositum Generalem, dedit, quibus fusissimè, tanquam Superiori suo, explicabat, cur neque è re Ecclesiæ, neque etiam è re Societatis translatio illa foret, multisq; precibus ab eodem Patre contendebat, vt sine mora Pontificem adiret, eiq; id, quod facere instituerat, dissuaderet. Nec incassum missæ litteræ, aut preces susceptæ. P. Generalis Pontificem accessit, rationes à P. Rosseffio perscriptas exposuit: Quid multis opus? Pontificis animum aliò deflexit, & ita inflexit, vt quod iam propemodum confectum erat, infectum redderet.

Nec tamen Pontifex, de instituendo Augustæ Collegio, cogitationem simul cum hac mutata sententiâ, posuit, sed Nuncium Apostolicum Reuerendissimum Dominum Bartholomæum Comitum Parliliarum Augustam destinauit, vt cum *venerabili & nobili primaria Aedis Canonicoꝝ capitulo*, disquireret, num quæ alia ratio condendi Collegij ab Ordinario, aliisque summis viris tantoperè expetiri occurreret. At cum post multas deliberationes, nihil proficeretur, cessatum est, cum ab illis, tū à Pontifice: donec tandem Deo visum, ardentissimo amplissimi Cardinalis iam in cœlum recepti, aliorumque procerum desiderio satisfacere, nostrorumque in Hæreticorum & inuidorum tolerandis calumniis & scommatis patientiam remunerare, oblata eiusmodi exstruendi Collegij occasione, qualem non dico ante nemo sperare, sed nec per somnium optare potuisset: quo manifestè eluxit, non esse famulis Dei desperandum, si quis Semei *per iugum montis ex latere contra illos gradiatur, maledicens 2. Reg. 16. & mittens lapides aduersus eos, terramq; spargens, & hoc funestum carmen accinens: Egrederet, Egrederet vir Belial, Reddi-*

Reddidit tibi Dominus uniuersum sanguinem domus Saul, quoniam inuasisti regnum pro eo, & ecce premunt te mala tua. Dimitte, ut maledicat, aiebat Dauid, si forte respiciat Dominus afflictionem meam, & reddat mihi Dominus bonum pro maledictione hac, die hodierna. Quis scit, an non Deus pro maledictis & tuis & omnium aliorum, qui vociferabantur, & adhuc vociferantur, Iesuitas nec octauum, nec nonum, nec decimum Decalogi præceptum seruare: miserit insignem illam benedictionem, quæ omnium Calvinianorum & Lutheranorum oculos & animos cruciat. Hunc in modum, beneuole lector, res acta est; quod attinet ad duo illa Monasteria Augustana, S. Dominici & S. Crucis; ut proinde Societas, & in primis P. Gregorius Rosseus oblietas à se Romam scriptas iure usurpare possit illud Dauidis: *Feci iudicium & iustitiam, ne tradas me calumniatibus me: suscipe seruum tuum in bonum, non calumnientur me superbi.* Iste autem conuiciator noster, qui veritatis lucem ubique mendaciorum suorum caligine obnubilat, quam penam mereatur iste impostor. *Ilia. 2.*

Psalm. 118.

Quam penam mereatur iste impostor. *Ilia. 2.*

μήτ' ἐτι τηλεμάχοιο πατήρ κεκλήμεν εἶν.
εἰ μὴ ἐγὼ σε λαβὼν, ἀπὸ μὲν Φίλα ἔματα δύσω
κλαίοντ' ἠδὲ χιτῶνα.
αὐτὸν δὲ κλαίοντα θεὸς ἐπὶ νῆας ἀφῆσω.
πεπληγὼς ἀγορῆθεν ἀεικόσι πληγῆσι.

Si cum denuò in optimos quosque, calumnias, ore petulanti, fundentem deprehenderet. Hanc, inquam, penam promeruit; quam si expendere cogeretur Augustæ à Monasterio S. Crucis, usque ad Cænobium Dominicanum, vel, si mallet, vice versa: vix opinor, cum his

commentis & sycophantiis iterum in medium prodiret, imitatus sui similem Homericum Therfiten; qui post pœnæ illius comminationem conticuit, modestiorque factus non induxit animum amplius; *νεκρίεν βασιλῆες ἐνείδοις ἐπίεσσιν.*

Nunc Augusta Romam abis, quo longè citius venis, quàm Mulciber in Lemnum, cum ab irato Ioue è caelo eiectus esset: *Pontifex*, inquis, *Iesuitis Romanis opulentam Abbatiam donauit.* Iure igitur illam possident; cum eius beneficio eam possideant, cui in hæc Ecclesiastica bonius est & potestas, tanquam fidei seruo & prudenti dispensatori, quem constituit Dominus super familiam suam. Dic, oro, cuius nutu & iussu Britanni tui tot ditissimas Abbantias possident? cuius auctoritate, non pauciores; Germani, qui à germana fide descuerunt? Illud etiam scire velim, an soli Iesuitæ Romani in Italia possideant Monasterium diuersi Ordinis? *Posuerunt*, inquis, *insignia Pontificis pro Collegij foribus.* Mirum profectò, in vestibulo Collegij illius non esse depicta gentilitia stemmata tua, tanquam de Societate nostra calumniis tuis optimè meriti, aut Regina Anglicanæ, aut Quabacondoni Iaponici. Vix vllus est tam exiguæ conditionis homo, qui si vel imaginem pingi aut fingi, aut altare; & quid dico altare? imò si vel vnicam fenestram renouari, aut refici curet, qui non generis aut artis suæ, seu vera seu usurpata stemmata & digmata appèdi aut appingi iubeat: Et nobis exprobrabis, si insignia Pontificis, qui tam multa beneficia cum in vniuersam Ecclesiam, tum in Societatem nostram contulit, primus aditus Collegij Romani præferat, & gratam mentem erga optimè meritum testetur? An non leges præcipiunt, ut operi publico nomen principis, aut eius, cuius pecunia id opus factum sit, inscribatur? Sed

De Abbatia Romano Collegio tradita.

L. Opus. ff. de Operibus publ.

displicet tibi magnificentia Collegij Romani. Utinam magis displiceret; magis autem displiceret, si Pontifex ille, memoriae nunquam intermorituræ, capto operi extremam manum imponere potuisset. Non ægrè ferrem, etiam si tibi ob splendorem ædificij illius ægrè esset, qui ita comparatus es, ut ne humilem quidem casam, quæ Iesuitas incolas habeat, non limis oculis intueri queas. Quidquid nostrum est, id nimis sumptuosum arbitraris, & ad nos, tuo iudicio, non ad Megarenses pertinet illud Diogenis dictum: *Obsonant quasi crastina die morituri, edificiant verò quasi nunquam morituri.* At verò, ut scemina in serium cōuertam, ingenuè fateor, nos ædificare quasi nunquam morituros, non enim tantum pro nobis, sed & pro posteritate nostra ædificamus: quæ fore, ope Dei, perpetuam confidimus. Opinionem nimij sumptus minuet tibi dictum illud Tertullianicū, si non modò ad aures admittas, sed & in pectus demittas. *Quantiscunq; sumptibus constet, lucrum est pietatis nomine sumptus facere.* Hac existimatione imbutus Gregorius XIII. gymnasium magnificentius, quàm pro tuo gustu, condidit, Collegium, quæ & se & sua maiestate dignum inchoauit, quod tamè, morte interueniente, inchoatum remansit.

Tertull. Apol. cap. 39.

De Collegiis Germanico & Anglicano.

Nec probas Collegia Germanicum & Anglicanum ab eodem Pontifice liberaliter fundata & dotata. At mirum non facis, quia religio tua magis gaudet si expilentur, quàm si dotentur collegia: gaudet, si quis in Monasterium vacuas manus inferat, plenas efferat; gaudet, si potius exportet, quàm importet; nec ambuimus administrationem horum Collegiorum, ut tu fabularis, sed delatam ad nos à Pontifice non inuiti suscepimus: nam quid utilitatis ex hac prouincia potissimum capiamus, iam supra tibi exposui; ab ipso munere, infinitas curas & mole-

molestias; ab inuidis, obrectationes; ab Hæreticis & pseudocatholicis, criminationes; ab Alumnis ipsis aliquando, admodum exiguas gratias. *sed in his omnibus superamus; propter eum qui dilexit nos.* Cur autem Pontifex collegia hæc annuis prouentibus munificè instruxerit, & multis priuilegiis exornarit, & qua de causâ nobis potius eorum gubernationem quàm aliis commiserit; ipsum interroga & examina, nam nostrum nō est huius rei causas exquirere. Quia verò suspicor, valde arduum tibi fore ascensum ad superos, cum quibus iam beatissimus ille Pontifex eum agit immortale: expeditiorè tibi monstrabo viam, qua, quod aues, cognoscas. consule literas Pontificias, de vtriusque Collegij erectione & dotatione editas. Exstant in *Bullario*, inter bullas Gregorij XII. Adiungere insuper licebit orationem popularis tui Roberti Turneri, viri disertissimi, quam Romæ habuit ad Euerhardum Mercurianum, Præpositum Generalem Societatis I E S V, cum ei, Pontificis voluntate, administratio Seminarij Anglicani traderetur. Nec adeo inuidere debes cōmodis Germanorum, aut tuorum Anglorum: ut dolcas collegiis illis amplissima priuilegia esse concessa. Non modò Pontifices, sed & Imperatores, & Principes id in more habent, ut collegia vel templa à se erecta, priuilegiis & immunitatibus cohonestent: quod te docebit liber primus Codicis & Nouelle Iustiniani; vbi Ecclesiis & Ecclesiasticis, Gerontocomiis; Prochotrophiiis; Brephotrophiiis, Orphanotrophiiis, Nosocomiis, Xenonibus, seu Xenodochiis, Parthenonibus, & id genus aliis domiciliis, eorumque curatoribus & œconomis amplissima priuilegia conceduntur.

Rom. 8.

Inter orat. Roberti Turneri Deuonij.

Ais, inueniri collegia, quæ fortassis sine Iesuitis, solidiorè virtute conseruentur & gubernentur. Non negamus; quin

vt ita sit, ex animo optamus. Interim neque nos nostris partibus desumus, vbi nobis iuuentus commissa: Quo etiam non obstante, sapientissimus Pontifex hoc elogio Collegij Germanici administrationem Societati iam olim traditam, & confirmauit, & de integro tradidit: *Cum Societatis presbyterorum Iesu in hoc educendorum, instituentorumq; puerorum munere diligentia, fides, integritas, & in aliis huiusmodi Collegiis, & in hoc ipso satis cognita sit atque perspecta, volumus idem Collegium atq; scholares, sub ipsorum, sicut adhuc fuit regimine, institutione, doctrina atque obedientia esse.* Hæc Pontifex. Quæ si stomacho tuo minus sunt iucunda, offer libellum supplicem Sedi Apostolicæ, vt expungantur ex Gregoriana constitutione, ne te crucient. Ais: *A Iesuitis falsum obtrudi Pontificibus, quando gloriantur Societati suæ à Principibus varia Collegia erigi & fundari.* At te falsum scribere, luce clarius liquet; Vnde enim tot Collegia, si non à Principibus viris & Rebus publicis? An conflare putas nostras domos ex fortuito atomorum cõcursu, sicut mundum Epicuri? An nasci ex arboribus, vt vermes quosdam, quos nonnullæ regiones Venetia comedunt, vt inquit sanctus Augustinus. An ex pluuia, vt ranas? quas quia terra repente ex vna pluuia progignit, eleganter S. Augustinus *cæli terræque filias* nuncupat. Principes, inquis, non tantum otij à grauissimis negotiis habent, vt de Iesuitarum Collegiis condendis, ditandis & dotandis cogitare queant. Si Principes vobis Hæreticis & pseudocatholicis similes essent, tum lubes concederẽ, tantũ vacui temporis non reperturos, vt de ædificandis Collegiis cogitationem susceperent: Nullus enim hæreticus, iam à sexaginta annis, sat otij inuenit, vt de religioso aliquo domicilio exstruendo, & annuis vetigalibus instruendo deliberaret. Quamuis satis superque

In bulla de
erect. & fund.
Colleg. Germ.

De Collegiis
Societatis.

S. August. lib.
6. contra Fau-
stus, cap. 8.

que temporis suppetat ad hoc vt expilent & diripiant: sed quia Principes & Respublicæ Catholicæ conseruationem Orthodoxæ fidei & antiquæ pietatis ad suam iridem curam pertinere credunt, facile ab aliis negotiis exemptum tempus reperiunt, quo seriò & de nouis Religiosorum hominum Collegiis condendis, & de veteribus tuendis cogitent. *Paucissimi, inquis, sunt, qui sine bonis Ecclesiasticis, à Pontifice concessis, Collegia illis erexerunt.* Non refert: vnde, dummodo licitè & iure; iure autem ex bonis Ecclesiasticis erexerunt, si id summo Pontificis concessu fecerunt, quem bonorum Ecclesiasticorum dispensatorem esse, tibi iam suprâ ostendi. Deinde non est apud me dubium, quin hoc loco agas, quod iam veteri consuetudine in naturam abiit, hoc est, mentiaris. Et si enim ego nõ inspexi literas, quibus singula Societatis Collegia fundata sunt, tamen nec tu inspexisti, vt tam asserenter pronunciare possis paucissima collegia esse, quæ non capiãt annuos redditus ex bonis Ecclesiasticis, mihi que certò compertũ est, pro plurimis illustrissimis fundatoribus, more Societatis, preces fundi & suas esse, qui ex propriis fortunis, vel hæreditate, vel alio iusto titulo comparatis, collegia satis ampla ædificarint, & anniuersarijs prouentibus munificè instruxerint, & in hac nostra prouincia minimum quinq; collegia noui, quorum incolæ nihil penitus ex bonis Ecclesiasticis percipiunt.

Addis. *Illud quoq; astu non caret; si captato quandoq; à sanctissimo, verbulo, Officiales eò impellant; (illos enim habet de se sollicitos) quo nunquam Sanctissimi intentio ferebatur, qui tamen, re facta, dissimulare cogitur.* Tres vno pugno verberas, vel potius pulsas, (non enim dolemus, nam inter verberationem & pulsationem hoc interest, vt Osilius scribit: *Verberare est cum dolore cadere; pulsare sine dolore.*) Pontificem,

Calumnia in
Pontificem &
Curiam Ro-
manam.

L. lex Corne-
lia ff. de iniu-
riis.

tificem, ministros Curie Pontificiæ, & Iesuitas. Pontificem, imprudentiæ & stupiditatis & iniustitiæ condemnas, dum cum tam facile circūueniri, & in impostorum telas conijci posse ais: & quod plus est, tam pavidum & iniquum esse, vt, animaduerso dolo, mutire non audeat, sed volens nolens dissimulet. Macete Calvinopapista, Hic honos est, quem Pontifici defers. Hæc reuerentia, quam tegis sub *Sanctissimi* cognomento, quod toties hypocriticè vsurpas. Officialibus Pontificis perfidiæ crimen impingis; Quid enim magis perfidum, quàm nomine Principis literas scribere & tradere aliis, quarum sensus sententiæ Principis aduersetur? si hoc fidelitatis sacramento, quo huiusmodi administri Pontificibus obligati sunt, non repugnat; tum à te discere aucto, quidnam præstito fidei & candoris iuramento repugnet. Præterea, an tam fatuos censes istos, vt se in capitis, omniumque fortunarum discrimen conijciant propter Iesuitas? An nunquam legisti vel audisti, in quas, variis locis, calamitates incurrerint illi, qui simile quid tentare ausi? vt enim quis Deum & salutem æternam in postremis ducat, quæ tamen in primis habenda sunt, profecto non facile inuenies vitæ tam prodigum, qui eam, nulla spe quæstus, certissimo & propemodum inuitabili periculo exponat: sed plerique alios homines affectibus suis metiuntur, inquit S. Gregorius Nazianzenus. Perfidi Calvinopapistæ, & Puritani, quibus hoc symbolum quod olim Priscillianistis; *Iura, periura, secretum prodere noli*: alios itidem eodem crimine teneri cupiunt, quasi mundus nõ satis perfidorū habeat, dum Calvinistas habet. At quod Iesuitas, & perfidiæ, & fraudis, & imposturæ intolerandæ simul accusas, id mihi insolitū non accidit; magis insolitum esset, si vel semel frõtis & ingenuitatis aliquid in te cõspicerer.

Quid

Nazian. orat.
I. contra Iu-
lian.

Quidquid criminū lubet id arripis, moxque in Iesuitas euomis. *Tu pueri pusilli similis es*, inquit vetus Poëta, *quia ad os fers quicquid nactus es, & mox iterum expuis*, ne præfoceris: Sed iã suprà satis respõdi de hoc perfidiæ crimine: An tu Iesuitas eò impudentiæ progredi censes, vt ludant cum Pontifice, vel potius ei illudant, inque chartas & bullas ea referri studeant, de quorum expressâ concessione expressè non constat? Ne tu Iesuitas de sua Societate nimis parum sollicitos esse credis. Quæ enim certior via ad interitum Societatem duceret, quàm si nostri, Pontifices eo, quo comminisceris modo circumuenirent: e-mentitisque priuilegiis Rempublicam suam stabilire niterentur?

Sed iam ex Italia migras in Morauiam, & exemplo Episcopi Olomucensis decepti probas, quomodo Pontificem decipere, & in fraudem illicere soleamus; *Cum enim Antistes ille optimus*, inquis tu pessimus Poëta, *iam in adificio multum progressus fuisset, ac ob nõnulla Reipublicæ negotia peregrè proficisceretur, rem totã Iesuitarum cuidam commisit; Is verò rem gerendi occasionem nactus, eam sibi futurè effinxit Collegij ideam, vt quæ prius adificata essent, funditus demoliretur, totamq; adificandi rationem inuerteret, ita quidem, vt optimus ille Episcopus conquereretur, viginti florenorum millia plus quàm voluisset, aut necessarium iudicaret; hæc ipsorum facti iuncula insumpta fuisse: re tamen facta, dissimulare cogebatur. Si conquestus est, quomodo dissimulauit? Si dissimulare coactus est, quomodo conquestus est? apud te fortasse quem posuerat ad auriculã suam, sicut Da-*

De Collegio Olomucensi.

Paralip. 17.

V

intc.

integrum, & quidem satis amplum à fundamentis exedificari posset. Tertio, si vnus ex imprudentia tale quid cōmisset, num cæteros adscripturos fuisse credis, & acclamatorios illud solenne: *Bonum factum?* Et posito, non concesso, nullum repertum esse in Collegio Olomucensi, qui reclamaret, num Iesuitas, qui alibi degunt, tale cōsiliū approbaturus fuisse arbitraris, postquam id intellexissent? Igitur licet, in hac narratione, mendax non esses, iniuste tamen culpam vnus aut paucorum, ad omnes Iesuitas deriuares. Quarto, quis obsecro, rerum tam imperitus est, qui sibi persuadeat, vllum Iesuitam ausum esse, sine patroni consensu aggredi, rem tanti momenti, vt supra viginti millia aureorum à nihil cogitante, imò & ab inuito extorqueret? Et qui scit, quod nullus Aulicorum aut Consiliariorum tantis conatibus obstitit? Ais: *Episcopum mandasse, vt omnes, se absente, morem gererent illi Iesuita, neque quidquam vlla in re repugnarent.* Quo plura dicis, eò magis te intricas & inuoluis. An putas tacituros fuisse, cum tanto Episcopalis ararij detrimento? Perspicue profectò sciebant, hoc velle Episcopum, vt si concepta iam & constituta ratio ædificij mutaretur, ipsi non conuiuerent, sed pro ea, quam domino suo debebant, fidelitate & obseruantia, sine mora, vt nihil innouaretur, edicerent; aut etiam missis nunciis, Episcopum certiorē redderent: non enim, opinor, Præsul ille ad Sinas aut Iaponas abierat, vt tempestiuè moneri non posset, nec vno die tanta mutatio suscipi aut peragi, duplexque aureorum chillas absumi potuit. Quinto, qui morem vestrum, & inexplebilem illam Iesuitas carpendi libidinem nouit, is minimè mirabitur, hanc calumniam à vobis, ex tenui principio excogitatam & fabrefactam esse: Quod Aristoteles ait de legibus, *vetustiores esse rudiores,*

res, idem de exemplaribus & typis ædificiorum meritissimò dicitur, vbi etiam verissimè vsurpare licet illud: *Posteriorem diem esse prioris discipulum;* Nihil enim omnino est; inquit ille, quod possit in primordio sui perfici: sed in omnibus sermè ante est spei rudimentum; quàm rei experimentum. Egregiè Comicus: *Nunquam ita quisquam bene subducta ratione ad vitam fuit, quin res, etas, vsq; semper aliquid apportet noui, aliquid moneat, vt illa quæ te scire credas, nescias; & quæ tibi putaris prima, in experiundo repudies.* Ergo cum is, qui fabricæ Collegij præerat, fortassis non nihil à prima delineatione recessisset: idque iustissimis de causis: tu quando per Olomucium in Poloniam, profugus iam, iter habebas, aliquid fortasse hac de re à tui similibus accepisti: & ne sine auctario fabulam venderes, aliquot millia aureorum adiecisti, ita vt tora fabella, quam vitiosa nuce nō emerim, ad viginti millia aureorum perueniret. Sed cur quæso, nisi quia improbus es, criminationes istas tam cupida aure bibis, & cupidius adhuc aliis propinas? *Difficilem oportet aurem habere ad crimina,* inquit Syrus, & longè difficiliorem mentem ad credendum, & difficiliorem adhuc manum, quæ audita & credita crimina chartis illinat, per mundum spargat, & bibliothecas tot mendaciorum foetore contaminet. Non malè ille poëta, meo quidem iudicio, nescio num tuo: *Homines, qui gestant, quiq; auscultant crimina, si meo arbitratu liceat, omnes pendeant; gestores linguis, auditores auribus,* nisi fortè tu malis collo, de quo nō contendam tecum, præsertim si agatur de tuo. Pergis, & quod Heraclitus aiebat de Ephesiis; *πὶ ὄπλων ἐν ταῖς γλώττιαις ἔχων,* arma in lingua gestans, pugnas. Illud insolens omnibus indicatur, quod cum duo illa profiteantur, vt nempe velint simplicium sacerdotum officia sedulo præstare, ac inuentum cum virtute educare,



simplicium sacerdotum ac pædagogorum honore, ad discipulis, ac provisione non sunt contenti. Nescio, ubi in nostris Constitutionibus legeris, nos profiteri statum simplicium sacerdotum & pædagogorum, ut proinde despicere videri queamus à nostra professione. Quæro enim: quidnam intelligas simplicium sacerdotum nomine? si sacerdotes non curatos, sed simplicibus, ut vocat, beneficiis instructos, aut Curionum cooperatores, aut his maioris notæ Canonicos: tum non video, quidnam professioni nostræ aduersum committamus, neque enim in sacerdotibus simplicibus hac notione nomen nostrum profiteamur. Si simplicium sacerdotum nomine intelligis indoctos, ineptos & stupidos, neque horum Ordini nostri Ordinis professio accenseri potest, profiteamur enim nos, omnem liberalem eruditionem, viro religioso dignam; sequi: quam ut singuli non assequantur, conantur tamen assequi. Sicut autem ad penam, inquit ille, sufficit meditari puniendam; sic ad laudem satis est conari predicandam: At si per simplices sacerdotes intelligis non compositos, & confutos ex dolis & fraudibus, tum fatemur nos eniti, ut monito Christi, simus sacerdotes simplices sicut columbæ, sed simul prudentes, sicut serpentes: Et si ab hac sacerdotum, imò omnium Christianorum, mixta cum prudentia simplicitate excidimus, cupimus ut in integrum nos restituas, tanquam is, qui claves & ad simplicitatem & ad prudentiam possideas. Si autem simplicium sacerdotum nomine intelligis sacerdotes non Episcopos, non summates & primates, nulla Ecclesiastica dignitate aut functione, præter sacerdotium, conspicuos; tum nec sic quidem video, cur nos quasi stationis desertæ accuses. An non enim profiteamur nos esse Clericos? An non habitu, victu & conuictu Clericorum vitam sequimur, & quidem Clericorum Regularium?

An

An Episcoporum honores & prærogatiuas ambimus; aut nobis deferri appetimus? *Non sunt, inquis, contenti provisione simplicium sacerdotum.* Quid tandem hac tua provisione significare instituis? An non contenti sumus redditibus iis, qui clericos, nulla Ecclesiastica dignitate eminentes decent? Atqui nihil facilius esset, quàm plurimos simplices sacerdotes nominare, quorum quivis plures redditus annuos habet, quàm decem vel duodecim sacerdotes Iesuitæ, si redditus aliquorum collegiorum in singula capita distribuere velis.

Palatia, inquis, ædificant; Multa videlicet in Italia, & Gallia Collegia cum palatiis, pulchritudine & amantitate certantia, vidisti. Si quæ alicubi magnificentiora sunt, quàm mens tua liuida prober, ita tecum ratiocinari debes. Principes viros non nobis, sed sibi, suæque amplitudini & magnificentiæ consentaneum monumētum statuere voluisse: cumque tot elegantissima & amplissima Monasteria hæresis vestra, his in locis, vel destruxerit, vel profanauerit, priuatique v sibus sacrilegè destinarit, merito excitavit Deus alios, qui contrariis factis ostenderent, priscam illam in Religiosos Ordines Germanorum pietatem & reuerentiam, nondum penitus esse ex Germanorum finibus proscriptam, etsi inferorum portæ iam dudum totis viribus in id incubuerint.

Cæterum ferè mihi excidissent *pædagogi & pædagogia*, quam nobis assignas, Obsecro te, nullum ne honestius vocabulum reperiebas, quo munus iuventutis instituendæ designares? ne dum odio excæcatus, ingenti conuicio Iesuitas percellere niteris, ad alios quoque conuicium à te missum penetret. Sunt ne Professores Academicæ, Philosophiæ & Theologiæ, itemque Eloquæ,

V 3

tia,



tia, Græcæ & Latinae litteraturæ, poëseos & similia di-
 sciplinarum Doctores, Pædagogi? Non vrgerem vim
 nominis, nisi scirem, te hoc nomine, calumniandi causa,
 pædagogicè vsurp. Nec compertum habeo; vbinam vel
 in formula instituti, vel in Pontificiis diplomatis vide-
 ris, nos aut *Pædagogos* nominari, aut nominari velle, nisi
 ex omnibus Gymnasiorum & Academiarum Professo-
 ribus *Pædagogos* facere velis; eo sensu, quo tu accipis hanc
 vocem, & quo hodie vulgò vsurpatur, pro priuato pue-
 rorum institutore & Magistro, licet olim honestior no-
 tio huic nomini subiecta fuerit: sed vt folia in syluis, sic
 cadunt non modò vocabula, sed & vocabulorum signi-
 ficata: Ne tamen *Pædagogi* appellationem penitus repu-
 diare videar, æquo animo feremus, vt à te, Hæreticorum
 Pædagogi nominemur, eo modo, quo Clemens Alexan-
 drinus Pædagogus fuit, & ne cum Clemente Pædagogi
 officium interiret, librum hoc titulo insignitum ad om-
 nem posteritatis memoriam transmisit.

Nec victus noster à te intactus præteritur, aduolas
 tâquam dira Celæno, vt sordissima oris tui ingluuie, cum
 contamines: *Victus*, inquis, *ratione plerisque Ordinibus an-
 tecellere dicuntur. Verbo victus*, inquit Iuriconsultus, *con-
 tinentur, quæ esui potuique, cultuique corporis, quæque ad vi-
 uendum homini necessaria sunt. Vestem quoque victus habere
 vicem Labeo ait. In his nos plerisque Ordinibus antecelle-
 re tam falsum est, vt vix quidquam veritati magis aduer-
 sum scribi potuerit: nam vestitus noster non latet, sed o-
 mnium conspectui patet. Indicent oculi, num mentia-
 ris, hocque iudicio, aut stes aut cadas. De victu mensæ,
 res quidem est occultior, & ab externorum notitia re-
 motior. At si de rebus tam apertis & in propatulo posi-
 tis*

L. Verbo. ff. de
 Verb. signif.

tis tam proiectè fabularis, quis credat te vlla veritatis
 cura tangi, cum de ignotioribus loqueris? De nobis vi-
 delicet, vt & Ethnicorum iudicio de veteribus Christia-
 nis dictum est illud Diogenis: *Obsonant Megarenses, quasi
 crastina die morituri.* Sed de hoc argumento fusè iam egi
 contra Misenum, quem adi. Lautitias epulorum nemo
 nobis obiicit: præter illos, quorum vita, vt inquit Cle-
 mens Alexandrinus, nihil aliud est, quàm *comessatio, cra-
 pula, balnea, temetum, matula, otium, potus.* Quod Philo de
 Iesæis, hoc ego de Iesuitis: *Remittunt paululum illam La-
 conicam disciplina duriciem, semper & ubique probantes libe-
 ralem frugalitatem, totis viribus auersando corporis illece-
 bram.*

Clem. lib. 2. Pa-
 dag. cap. 2.
 Philo lib. de
 Vita contem-
 platiua.

Cæterum, cum notius sit, quàm vt inficias ire queas,
 Ordinem nostrum à Pontificibus & Principibus defen-
 di, foueri & ornari; tuoq; iudicio, hoc reprehensione nõ
 careat; vt Principes excuses, in eorum occupationes, &
 in Iesuitarum importunitatem culpam refers: *Si quid, in-
 quis, minus rectum hoc in genere contigerit, ipsorum factioni-
 bus potius, quàm principum aliò distractorum ac respicientium
 inconsiderationi est imputandum.* At verò, dum Principes
 ab omni labe purgare niteris, eosdem fœdissima calum-
 niæ macula aspergis: An non enim grauiissima eos cri-
 minatione feris, cum ita aliis rebus immerfos nugaris, vt
 ab hac, quæ ex potissimis non infima, mentem prorsus
 abducant; vbi vel præcipuè aduigilare debent: ne quid
 statuunt, quod publico obsit, nèue aliquibus suas in di-
 tiones aditum patefaciant, quos exclusisse longè satius
 fuerit? Quis enim nõ reprehendat Principem, rerû suarû
 & publicarû tam negligetem & incurium, vt collegia vel
 ipse conderet, vel ab aliis condi sineret, si erga Iesuitas
 tuum

tuum animum gereret, hoc est, si sibi persuaderet, Iesuitas plus damni, quam commodi Reipublicæ allaturos. Adhæc, nimis malè de Orthodoxis Principibus sentis; nam si tui Proceres, qui Lutheranam & Calvinianam sectam sequuntur, adeo non distrahuntur publicis negotiis, ut euertendis Monasteriis, Monachisque exterminandis sedulam operam dare possint, mirari non debes, si Principes Catholici partem aliquam suæ sollicitudinis deriuare queant, ad vetera Religiosorum hominum domicilia custodienda, & ad noua itidem, si ita usus ferat, ex fundamentis ædificanda; idque sponte sua, nulla vllorum precum importunitate adacti. Quis enim tam validus sit, qui Principes, si nolint, cogat? quin hoc ipso, quod importunè cogi asseueras, ex principibus nō Principes nobis cudis, quæ qualis calumnia sit, tute cogita: si tamen tantum tibi lucis, ut calumnias intueri possis; apud quem principibus maledicere *haud pluma interest*: facis fortè hoc fretus veteri lege, qua iam olim Principes calumniatoribus suis veniam clementer tribuerunt:

2. Si quis. C. Si quis imp. maled.

Si quis, inquit, modestia nescius, & pudoris ignarus (nota encomia tua) improbo petulantique maledicto nomina nostra crediderit esse laceffenda, ac temulentia turbulentus (nota Calviniane) obtrectator temporum nostrorum fuerit, eum pœnæ nolumus subiugari, nec durum aliquid, nec asperum volumus sustinere, quoniam si id ex leuitate processerit, contemnendum est; si ex insania, commiseratione dignissimum. Hic tibi Calvinista datur optio, ut vel leuis, vel insanus esse velis. Sed fortè terret te illa clausula: Si ab iniuria, remittendum; hoc est, ut glossa explicat, ad nos: ne putes remittere hoc loco esse condonare; subditur enim in lege: Vnde integris omnibus, hoc ad nostram scientiam referatur, ut ex personis

sonis hominum dicta pensemus. Sed non est, quod expalleas; pars hæc legis nihil ad te, quia insanus es, insani autem iniuriam non faciunt, ut supra dicebam: *Cum enim iniuria ex affectu facientis consistat, inquit Iureconsultus, consequens erit dicere, hac lege furiosos, siue pulsent siue conuicium dicant, iniuriam fecisse non videri, quia nemo potest facere iniuriam, nisi qui scit se iniuriam facere: Insanus es, inquit ille apud Comicum, iube te piari.*

L. illud. ff. de iniuriis.

At non obtemperas, pergis insanire: *Etsi, inquis, à Pontificibus multa beneficia acceperunt: ubi tamen ob Vniuersalem Ecclesiam ordinem bonum, ipsorum instituto contrarium decreuerint, mille artibus repugnant, perstringunt, atque eludunt.* Pontificibus, ea, qua par, reuerentia & submissione, paremus, & quam superiores nostri obsecundandi a lacritatem à subditis exigunt; eandem præstant Pontifici, tanquam omnium superiorum supremo: & hoc etiam iussu & præscripto B. P. N. Ignatij, in aurea illa de obedientia epistola. Sed ut nos ex ipsis tabulis conuincas, exempla aliquot animi nostri Pontificibus parum morigeri profers: *Cum Paulus IV. inquis, ad certum Religiosorum habitum eos redigere vellet, mox sanctissimo restiterunt.* Nihil vnquam de hac inter nostros & Paulum IV. controuersia audiui: cur enim Paulus IV. nobis alium, quam clericorum habitum præscribere tentasset; cum Theatini, ex quorum Ordine ipse fuit, non gerant habitum, ab aliorum Clericorum habitu diuersum, nisi quod candida tibialia ferunt: quæ perparua sanè est distinctio à reliquorum Clericorum coetu: Et quæ tandem inest verisimilitudo in hoc tuo commento; cum ais: *Pontificem, ad hoc decernendum, inductum esse; quod indicaret nos Calvinizare, seu Calvinistas Puritanos imitari, ut enim illi Ministros suos, habitu à Laicis non secernunt, ita nec*

De Paulo IV. Pontif. Max.

De habitu Sacerdotis.

nos habitu à secularibus internosci. Quæso te, cui hæc tua signimenta probabis? Tempore Pauli IV. vix Calvinistarum nomen innotuerat, nedum illa nominum portentosa; *Puritanorum & Calvinopapistarum*, quæ in Anglia post Pauli IV. mortem nata sunt, vt ex historiis Anglicanis liquet: Adhæc nonne habitu distinguimur à secularibus? Nam habitus Clericorum, proprius vtique habitus est, & distinctus ab habitu secularium. *At non est distinctus*, inquis, *ab habitu Clericorum secularium*. Ita est; Interim tamē nescio quo fato; accidit in his Septentrionalibus regionibus, vt quocumque Iesuitarum aliquis venit, statim ex habitu agnoscat non tantum Clericus, sed & Iesuita Clericus; ita vt in nostro habitu sat notæ elucescat, quo & à Laicis secularibus, & à Clericis, nullam regulam profitentibus, internoscatur. Accedit, quod de ratione religiosi Ordinis non est, vt habitu à Clericis secularibus distinguatur, quia habitus non est de essentia Ordinis, & vt non facit hominem religiosum, ita nec Ordinem religiosum; quamuis non abnuo decens esse, vt religiosi decenti habitu vtantur; At nisi fallor, Clericorum habitus, quem ex decreto Canonum & Conciliorum ferre debent, non potest indecens censeretur. Verum, vt non tantum nos, sed & Puritanos tuos à tuis calumniis vindicem, & vt, vel hosti presso opem feram, iniuria à te Puritanos (vel si alio nomine monstroso, ipsorum tamen moribus magis consentaneo, *Impuritanos* appellare libeat) affici constanter affirmo: Cur enim crimini das, quod summæ laudi dandum? Nam cum Popæ & Præcones isti sint puri & impuri Laici, nec *fale saliti*, nec aqua tincti, nec chrismate vncti, causæ nihil est, cur se à reliqua Laicorum turba, habitus diuersitate, separent: Repugnat naturæ, vt pardus, leo, vrsus, lupus, & aper aliam pellem induat, quæ naturæ

naturæ suæ conformem. Adde, quod à scriptura, Puritano more intellecta; haud quidquam alienum hac in re Puritani faciunt. Cum enim nihil recipiant, nisi quod puro Dei Verbo est traditum; in eo autem nihil præceptum sit de vestimentorum differentia inter Clericum & Laicum; meritò nullam admittunt.

Sed vt ad lineam reuertar; causa dissensionis inter Paulum IV. & Societatem, non fuit hæc, quam tu ex cerebro tuo extundis, sed alia; volebat enim Paulus IV. Theatinos cum nostris coniungere, ita vt vterque Ordo in vnum coalesceret, iisdem legibus viuendique institutis deuinctus. Tu ais, *causam hanc esse commentitiam*. At te, dum alios commenti arguis, egregium commētatorem esse, testari poterunt plurimi ex antiquioribus Societatis nostræ: qui adhuc supersunt; & tempore Pauli IV. vel in vrbe, vel alibi vixerunt, non ignari omnium eorum, quæ vltro citroque, in hoc negotio, gesta sunt. Deinde testem do tibi, auctorem historiæ Iesuiticæ: cui non grauatè, vt spero, assentieris. Nam vt *balbus balbum* facillè intelligit, ita mendax mendaci facillè fidem adhibet, etiam tunc cum verum dicit: *At istud ipsum*, inquis, *crimine non vacat, quod Pontificis voluntati non acquieuisis*. Primum, Pontifex non mandauit absolutè, vt Ordo ille cum nostro iungeretur, sed voluntatem & propensionem ad illam coniunctionem faciendam exposuit: si absolutè, edicto mandato vel edicto, id fieri iussisset; ne dubites, nostri multò promptius morem gessissent, quam solcant Lutherani & Calviniani Regū, Principum & Magistratum suorum præceptis morem gerere; si quid præcipiant, quod ad eorum palatum minus facit. Secundò, quod nostri, re nondum à Pontifice constituta & definita, sed



deliberata tantum, mutationem hanc deprecari sunt: non adeo insolens tibi videri debet, quia ne Deum quidem precari nefas est, ut si quid circa nos vel nostros velle videatur, quod forte nobis minus acceptum sit, clementer id auertat, consiliumque, ut de diuinis humano modo loquar, mutet. Non opus est exemplis, obuia sunt & quotidiana. Tertio, neminem fugit, quam graue cuius status sui amanti & tenaci accidat, si quae innovatio tentetur, aut terminos, quos progenitores fixerint, aliquis transferre conetur. Quoties tentata est coniunctio duorum Ordinum S. Francisci *Conuentualium*, inquam, & eorum, qui de *Observantia*? At res necdum confecta est: & tamen ambo eundem parentem agnoscunt, & venerantur, nec moribus, institutis, & natalibus tam diuersi sunt, quam nos & Theatini. Si ergo duae familiae tam similes & cognatae in vnam non conuenerunt; & si ipsae familiae ad Pontificis voluntatem, quoad licuit & decuit, voluntatem suam non adiunxerunt, (quandoquidem licet semperque licebit, in re tanti momenti, contrarium optare & vrgere, quoad ultimam & definitiuam sententiam Pontifex proferat) nemo iure factum nostrorum in malam partem interpretabitur, quod instituti sui retinentes, sub ipsa quasi incunabula, operam dederunt, ne quid praeter morem in Societatis mores induceretur. Nescis, quam grata Deo fuerit constantia Rechabitarum, qua ita obfirmati fuerunt, ut ne culmum quidem a mandatis paternis discedere voluerint: cessuri proculdubio, si absolutum a Deo mandatum accepissent, quod quamdiu datum non est, Hieremiae monenti, ut vinum biberent, intrepide responderunt: *Non bibemus vinum, quia Ionadab, filius Rechab, pater noster, praecepit nobis dicens: Non bibetis vinum*

Hier. 35.
Constantia
Rechabitarum.

vinum vos, & filij vestri vsq; in sempiternum. Obediuimus ergo voci Ionadab in omnibus, quae praecepit nobis. Haec constantia adeo Deo placuit, ut eam toti populo Iudaico ad imitationem proposuerit, ipsisq; Rechabitis amplissima praemia promiserit. Quanto magis igitur Deo gratum erit si familiae Religiosae, mutationis expertes, conferuentur; prout ab auctoribus diuino instinctu instituta, posterisque tradita fuerunt: cum Ordines isti sine vlla dubitatione longè excellentiores sint, & perfectioris rationis, quam illa Rechabitarum viuendi ratio; ut quod de paratura sacerdotali Aaronica dixit Ecclesiasticus, etiam possit de Societate dici: *Non est indutus illa alienigena aliquis, sed tantum filij ipsius soli: & nepotes eius per omne tempus.* Nec Pontifex hanc nostrorum in proposito perseverantiam immotam aegrè ferre visus est; cum Ignatium animam agentem, Apostolica benedictione & indulgentia humaniter dignatus sit, non sine significatione paternae benevolentiae & doloris ex obitu Societati immaturo concepti: ut scribunt Ribadeneira & Maffei.

Ais: Paulum IV. nostros ad chorum seu horas Canonicas adegisse: Pium IV. ab iisdem liberasse: Pium V. rursus ad chorum nos amandasse & alligasse. De Paulo IV. quod Societati negotium facefferit propter cantum, nihil mihi vnquam auditum: neque de Pij IV. exemptione, & in integrum restitutione: nec, opinor, me praeteriisset, si quid simile actum, & saltem diploma aliquod Pij IV. exstaret, ut exstat Gregorij XIII. qui nobis horas priuatim extra chorum dicendi facultatem restituit, ademptam a Pio V. cuius praeepto de precibus Canonicis publice & communiter persoluendis, nonne Societas paruit, ut debuit? Tu, more tuo, a criminandi arte non discedens; ita cluserunt, inquis, Pontificem: ut per solos Nonitios, qui ex ipsis non sunt,

sunt, rem peragerent: Primò: Pontifex non præcepit, per quos diuinæ laudes persoluendæ essent, sed vt in choro persoluerentur iussit: quod sanctè factum. Secundò, falsum est solos Nouitios muneri huic vacasse, vacarunt enim & alij Romæ, quibus otium & cantus peritia. Tertio, non omnes ad chorum venisse, non est quod queraris, quia plerique aliis occupationibus detinebatur: cum ne in aliis quidem Ordinibus, Concionatores, Professores & alij, qui publicis functionibus addicuntur, horas in choro pariter cum aliis canere aut recitare cogantur. Quartò, cum choro & cantu adeò delecteris, mirari subit, cur Anglis, popularibus tuis, auctor nō sis, vt cantum diuinarum laudum, tot locis sublatum, restituant, & cur à Iesuitis exigas, quod tu & tui superstitioni deputatis? Pari modo, eidem Pontifici morem gessimus, cum imperauit, vt professionem facerent, qui sacros Ordines erant suscepturi. Tu hanc obedientiam nostram vocas *elusionem*. Et qua tandem ratione? *Novum*, inquis, *Professorum Ordinem instituerunt, quos vocabant Quintinos*. Si nouus fuit, non nostra culpa, sed Pontificis constitutione nouus fuit: Etsi nouus simpliciter non fuit, nisi quoad modum, tempus, & auctoritatem, professionem hanc mandantis. Nam professio trium votorum solennium, non est Societati inusitata: sed tamen absque certi temporis præfinitione: Itaque professio illa noua fuit, quatenus non ex formula instituti nostri, sed ex Pontificis præscripto fiebat. Hos autem professos aliquando appellatos esse à nonnullis, compendij gratia, vt fieri solet, *Quintinos*, tam grande scelus non est, vt propterea Iesuitis omnibus diem dicere, & quasi Maiestatis Pontificiæ reis dicam scribere debeas: Quis loquentium consuetudini vitio vertit, quādo audit Cardinales à Pio V. creatos *Quintinos*;

inos; à Gregorio, *Gregorianos*; à Sixto, *Sixtinos*; à Clemente, *Clementinos*, appellari? Quis constitutiones & bullas ab iisdem editas, nō indigat nominibus ab eorum nomine formati?

Eiusdem, inquis, *Pontificis tempore, cum contentio illis esset cum Dominicanis Toleti de Collegio in Hispania intra limites erigendo, & vtrig, sua priuilegia obicerent, tandemque ad Pontificem ventum esset; is verò pro Dominicanis decreuisset, & Iesuitas cedere inberet, ita se opposuerunt, vt per Officiales literarum missio & traditio differretur, donec sanctissimus diem suum obiret: illi verò perinde, ac si nihil de Pontificis voluntate sciuisent, possessione loci interea fruebantur, defuncto verò Pontifice, omnia à successore retractari fecerunt. Hæc tu: Cæterum quod nostri domum illam Toleti à Comite de Orgaz. Societati donatam acceperunt, & incoluerunt; id fecerūt freti & muniti priuilegiis Pauli III. & Iulij III. & Pij IV. quorum duo priores speciali priuilegio concesserunt, vt nostri quascunque domos, Ecclesias & collegia edificare, vel edificata iam recipere & inhabitare possent, & Pius IV. id ampliauit, vt etiam intra centum quadraginta annas Ordinum Mendicantium liceret; vbi similis controuersia cum Fratribus Minoribus in vrbe Palentina exstitisset; Et ne, vt tuus est mos, dicas, Pontificem à Iesuitis blandis sermonibus in fraudem inductum, audi Pontificis verba: *Motu proprio, non ad vestram vel alicuius pro vobis, nobis super hoc oblatæ petitionis instantiam, sed ex nostra certa scientia, & spontanea voluntate, ac de Apostolica potestatis plenitudine*. Cum ergo nostri tot & tanta priuilegia haberent, meritò cedere noluerunt, nam priuilegia non dantur alio sine, quàm vt quis iis fruatur, aliàs inania & otiosa forent. At Pius V. contrarium decreuerat. Vereor ne mentiaris: nam si contra nos decreuisset,*

nisset, Officiales vix sibi tantum licentiæ, an cõfidentiæ? sumpsissent, vt literas retinerent, & non quàm primum in Hispaniã transmitterent: non enim is erat Pius V. qui fraudulentas dilationes toleraret, & satis constabat, non satis tutum fore, si quis tale quid machinaretur; maximè impulsus eorum precibus, contra quos sententia esset pronunciata. Itaque longè probabilius est, aut lite adhuc pendente, aut dato quidem responso à Pontifice, nondum autem expeditis, & in Hispaniam transmissis literis, Pium V. è vita excessisse. Quocirca nil mirum, aliter postea à successore Gregorio XIII. iudicatum, aut etiam prius decretum; rescissum esse. Cùm autem tantus Pontifex stet à nostris partibus, non est quod impressionem tuam, quam consuetis tuis calumniis instructus facis, multum reformidemus: Nam si obiicias: *Gregorium Pontificem à nobis de recto iuris tramite abreptum*: cernes inprimis tu ipse, vt arbitror, quo stultitiæ processeris. At ego vsurpabo illud cuiusdam Afri: *non est in accusando versutia, ac ne impudentia quidem*: Quid igitur? *furor infelix acerbis animi, & misera insania* (Caluinianæ perfidiæ.) cùm enim videri velis Catholicus, admodum stolidè agis, dum tantis in optimum & sanctissimum Pontificem conuicis, hæreticam tuam mentem prodis. Deinde ipsemet Pontifex commentum tuum redarguet. Nam cùm lis illa Toletana necdum quieuisset, quamuis Pontifex literas Apostolicas confecisset, seuereque mandasset, vt nos priuilegiis iam dudum concessis frui pacificè sinerent; denuò aliam generalem constitutionem promulgauit, & potestatem, etiam intra *cannas* aliorum Ordinum, ædificandi benignè denuò concessit; Ad cuius priuilegij concessionem, à quo inductus sit, iisdem poenè verbis, quibus Pius IV. testatum facit. *Motu proprio*, inquit, *ac de*
Apostol-

Apostolicæ potestatis plenitudine, non ad alicuius nobis super hoc oblatæ petitionis instantiam; sed de nostra mera deliberatione. Si ergo sine illius rogatu hanc generalem legem in nostram gratiam tulit, potuit similiter particularem illam de causa Toletana controuersiam, nõ rogatus à nobis, sed sponte sua definire. Et quamuis à nobis rogatus fuisset, num propterea criminis aliquid aut à Pontifice, aut à nobis admissum esset? Annon licet rogare iusta? *Non ambigitur senatum ius facere posse*, inquit Iureconsultus, & tu si Orthodoxus es, ambiges, nõ Gregorius XIII. Pontifex Opt. Max. potuerit ius hoc siue particulare siue generale condere? Quod Vlpianus de Imperatore, hoc ego de Pontifice, et si iam supra à me dictum: *Quodcumq; Imperator (Pontifex) per epistolam & subscriptionem statuit, vel cognoscens decreuit, vel de plano interlocutus est*: (nota pro oraculis viuæ vocis) *vel edicto præcepit, legem esse constat*. Hæc sunt quas vulgè *Constitutiones* appellamus.

Concludis tandem hoc caput his verbis: *Mirum certe illud est, quod cùm quidam Pontificum dissimulare non pauerint, quid ipsis in illorum instituto displicuerit: mundo tamen illi oclamant, omnia ipsorum semper Pontificibus fuisse probatissima*. Hæc maximè dicis propter Pium V. qui vt circa vota & chorum; suas rationes, easque, vt à sancto viro profectas, non improbables secutus: aliud, quàm prædecessores, aut etiã successores ipsius statuerit: ipsum tamen Societatis institutum mirificè, velis nolis, probauit, commendauit, & prædicauit: amplissima enim So-

L. non ambigitur. ff. de legibus.
L. Quod principis. ff. de Constitut.

Qualis Pius V. in Societatem.

capitulariter non celebrandis: de prælectionibus habendis in Collegiis, etiam illis in urbibus, ubi sunt Academiae, & alia multa concessit in fauorem scholasticorum, qui nostras scholas aduocant. Ipse Societatem mendicantium Ordinibus
accen-

accensuit: præmissio hoc elogio: quod sine bile ut legas, oro: Cum indefesse cōsiderationis intuitu perscrutamur, quātam Christianæ Republicæ utilitatē attulerint, dilecti filij presbyteri Societatis I. S. S. ac planè conspicimus, eos, verè mūdi huius relictis illecebris, adeo seruatori suo se dedicare, ut conculcatis thesauris, quos erugo & tinea comedit, lumbisq; paupertate & humilitate præcinctis, non contenti terrarum sinibus usque ad Orientales & Occidentales Indias penetraverint, ac eorum aliquos ita amor Domini perstrinixerit, ut etiam proprii sanguinis prodigi, ut verbum Dei inibi efficacius plantarent, martyrio voluntario se supposuerint, perq; eorum spiritualia exercitia etiam regna ipsa fidē Christi agnouerint, ut tam inibi, quā ubiq; terrarum, charitatis & misericordie opera exercere studeant, facere nullo modo possumus, quin eos tanquam veros palmites, in Christo per charitatem coniunctos, & benignè amplectamur, & ea sibi specialiter concedamus, quæ & paupertati per eos emissa voto, & eorum instituto, ac commoditati credimus profutura. Hæc & alia in eandem sententiam Pius V. Pontifex: Similibus præconiis celebrat idem Pontifex Societatem in bulla de contractibus capitulariter non celebrandis. Quæ num ab eo proficisci potuerint, qui nostrum institutum non probarit, æqui lectoris iudicium esto. Taceo insignem illam Pij V. in Societatem, benevolentiam; seu potius de Societatis hominibus præclaram æstimationem: qua impulsus officium Pœnitentiariorum in S. Petri templo commisit nostris, substitutis in locum Patrum Dominicanorum, ex qua familia ipse ad Cardinalatū & Pontificatum ascenderat. Et tu adhuc garrere & gannire audes, quasi Pio V. Societatis institutum displicuerit? Sed abiungo, & capiti huic finem impono; Fortassis autem paulo prolixior ista responsio, si aduersus (calumnias tuas) lectorem instruet, ut in cæteris responsionibus, non à nobis tam multa verba requirantur.

3. August. lib. 6. contra Faustum, cap. 8.

CAPVT IV.

De Iesuitarum agendiratione cum Prelatis.

REERT S. Gregorius Nazianzenus ex veterum monumentis, consultum Apollinem, quanam rerum genera palmam inter cætera ferrent: respondisse, equam Thessalicam, mulierem Lacaniam, & viros Arethuse aquam bibentes, hoc est, Siculos inter omnia, quæ sunt eiusdem generis, primum locum tenere. Non improbo hoc oraculum, nam nec S. Gregorius Nazianzenus improbat. Tantum addo: Pythium, si rogatus fuisset, quisnam primas teneret inter calumniatores, proculdubio delaturum fuisse, tibi aut primas, aut certè secundas; aut summum tertias, adeo vbiq; criminationibus abundas, ut nullum senticetum tot horreat & rigeat aculeis, quot tu imposturis & sycophantiis: ut proinde simillim' videaris spinis, quas si quis tangere voluerit, armabitur ferro & ligno lanceato, ut B. David canit, qui etiam præuaricatores, hoc est, Apostatas, qualis tu es, comparat cum his spinis, sed addit simul, quis eos exitus maneat: Præuaricatores quasi spinæ euellentur vniuersi, quæ non tolluntur manibus, quia ferro & ligno lanceato opus est, igne q; succensa comburentur istæ spinæ, usq; ad nihilum. Cum ergo tam asper & horridus sis, ut manu leni tractari nequeas, quin vulnerer, pergam, ut hætenus, ferro & ligno lanceato te putare, imò fraudes, sutelas, & conuicia tua amputare: si scuerior & asperior videbitur tractatio: tu natura tuæ id imputa, aliter cum dumis & vepribus vbiq; pungentibus, non agitur: placet autem quod calumnias tuas in hoc capite conaris saltem

Orat. 1. contra Iulianum.

1. Reg. 23.

De modo Iesuitarum agendi cum Cardinalibus.

ordinatè proferre: nam primùm, quæ nostra sit cum Cardinalibus agendi ratio exponis: postea, quæ cum Episcopis locorumque Ordinatis. Vbi simul perquam ingeniosè Cardinales in duas Classes diuidis: nam alios, ais, sua sorte contentos viuere, sine spe maioris dignitatis: alios, ad celsiores honoris gradus aspirare; & quoquo possunt modo eniti. Mirabilis Cardinalium distributio: quam puto Cardinalium nemo hactenus aut legit aut audiuit. Hactenus enim existimatum est, Cardinalatum esse proximam à Pontificatu dignitatem; vt proinde Cardinalis non habeat, quò ulterius progrediatur: nisi Pontificiam maiestatem. De hac ipsa, inquires, loquor, & sanè hanc ipsam sperant & procurant aliqui Cardinales: alij spem iam posuerunt. Nimirum, tu Romæ ostiatim circuisisti, singulosque Cardinales sigillatim examinasti, num spem Pontificatus cõceperint an abiecerint: & fortè, nonnulli spem tibi pretio vendiderunt: alioqui vix tam perspicuè scires: quibus spei aliquid affulgeat, quibus nihil.

Ais: Cardinales primi generis, Iesuitas nec ad familiaritatem admittunt. Qua de causa vero? quia non sperant Pontificatum. Qui causæ huius vanitatem non videt, is tantum videt, quantû tu & similes Cæcilij. Si tamen, inquis, Cardinales illi faciliores fuerint, se primò insinuant; deinde si quid ad rem suam animaduertunt, illud sedulo prosequuntur: Et vt totam fabulam oculis subiicias: exempla subnectis: Si quem de sui post mortem celebranda memoria, de subditorum bono regimine, aut de aura populari sollicitum videant; in eo se occupant, cui eundem deditum existimant. Quod si in hoc genere non multum affici aliquem obseruent, inculcant sedulo, suadent q̄, donec ad huiusmodi aliquid impulerint: vbi id effecerint, obseruatis interim tempore & occasione, eò rem paulatim adducunt, vt ipsos quoq̄, ad rem propositam consequendam pluri-

plurimum prodesse & obesse, credat. Tum verò ad rem suam quilibet animosius aggrediuntur, ac iis, quos, hisce artibus acquisierunt ad plurima vtuntur, ad amplas nimirum eleemosynas, ad scribendum, loquendum, agendum: ac prout opus fuerit sat agendum, quæ ad ipsorum fauorem ac utilitatem spectare credunt. Hæc tam insulsa & incerta recitare ad verbum libuit, vt ostenderem, ne Mæadrum quidem fluuium, per tot anfractus delabi, per quot mendaciorum & calumniarum gyros balburicens iste impostor, ad ruinam nominis nostri struendam, tendit. Primùm enim, si quis nominis sui memoriam apud posteros celebrari velit palatiis, Mausoleis, ludis, spectaculis, pyramidibus, & id genus aliis ruituris & perituris monumentis, tantum abest, vt aut Iesuita; aut quiuis alius Religiosus, nominis & vocationis suæ memor, quempiam ad hæc cohortetur; vt etiam, quacunque licet ratione, dehortetur: non enim hæc est legitima celebrandæ memoriæ ratio, cum quidquid caduca manu factum est, tandem ruat, & tempore ita obliteretur, vt vix vestigium, aut tenuis fama illius superet. In memoria aterna erit iustus, clamat B. Dauid. Iustitia illa, quæ est declinare à malo, & facere bonû, genuina via est ad æternitatem nominis. Ad hanc Iesuitæ excitant & inuitant, si quos Cardinalium, desiderio memoriæ suæ celebrandæ teneri, animaduertunt, suadentque, vt liberali eleemosynarum in pauperes erogatione, Ecclesiarum, monasteriorû, xenodochiorum, ptochotrophiorum, & similibus contuberniorum erectione noua, aut veteris dotatione, aut dotationis iam factæ incremento adiecto, fiant viri misericordiæ, quorû quidem corpora in pace sepeliuntur: at nomen eorum viuat in generatione & generatione. Eccles. 4. Ad quam perennitatem multum etiam facit, iustum & æquabile, in subditos, si qui sint, imperium. Quare si



ad hanc imperij moderationem, Iesuitæ Cardinales cō-
monefaciant, nescio cur boni suavoris aut consultoris
officio fungi non videantur, nisi forte magis tibi arri-
dēt illi, & mente & ætate iuuenes, qui Roboamo, Salomonis
filio, auctores immitis & duræ dominationis exstiterūt:
quā illi prudentia & æuo cani consiliarij, qui monebant,
vt benignè cum populo ageret, nimiasque exactiones à
parente impositas, minueret. Conuicium de leui aura,
ipsa aura leuius est. Quid enim? An tu Cardinales gloria
mancipia; & vt ille ait, *animalia* reputas? An Iesuitas tam
immemores Dei, suiq; censes, vt tantæ dignitatis virum,
quantæ Cardinalis, ducant & dirigant ad rem tam futi-
lem; incertam, quouis Euro mobiliorē, & ab ipsis etiam
Ethnicis irrisam; & sæpe constanter contemptam: tan-
quam omnis virtutis & liberalis animi certissimam pe-
stem? Apage agyrta, cum aura populari: non nostrum est
auræ huius captandæ leges præscribere, imo ne Ethnici
quidē Philosophi, à vera Religione alieni, si paulò mo-
destiorem frontem habeat. Eius auram & fauorē capta-
re, & studiosissimè aucupari docemus, & iterum iterum-
que monemus, in cui? domo *gloria & diuitie*; cuius fauor
non abit in fumum, vel potius in nihilum, sed in fulgo-
rem, cumque solis fulgori æquiparandum, nullaq; tem-
poris diurnitate terminandum. Neque amicitias sum-
matum compendij nostri gratia expetimus, vt tu conui-
ciaris, sed bonum publicum spectamus. Quis autem ne-
scit, quātum viri Principes meritorum in Rempublicam
Christianam conferre possint, si sint, qui ad talia præcla-
rè facta viam monstrant? Multis enim deest beneficien-
di voluntas, quia vt ille hominem non habebat, à quo,
motis vndis, deferretur in piscinam; ita isti aliquādo
carent duntaxat monitore, ad opera misericordiæ susce-
pienda:

pienda: virtutisque actiones exercendas. Talis consilia-
rius Herodis Regis, erat Ioannes Baptista, quem Rex il-
le, licet impius & mœchus, *libèter audiebat*, vt inquit san-
ctus Marcus, & *audito eo multa faciebat*. Apostoli monitū
est, *nemo quod suum est, querat, sed quod alterius*; Dei videli-
cet, aut proximi: cui adhortationi ipsemet obtēperauit;
Non querens, quod mihi utile est, inquit, *sed quod multis, vt*
salui fiant. Alibi *Non enim quero, quæ vestra sunt, sed vos*. In-
terim fatemur, nos itidem opulentiorum beneficentiam
non repudiare, si manum munificam & misericordem
ad nos quoque extendere velint. Nec quisquam, nisi cui
cor liuore tabet, hoc carpit. Nam & ipse S. Paulus, *qui*
querebat, non quæ sua, sed quæ Iesu Christi, non respuebat, si
quid suum in usum, à piis contribueretur: id cum aliun-
dè, tum ex epistola ad Philippenses manifestum euadit,
vbi Philippenses, ob subsidium sibi præstitum commen-
dans ita scribit: *Veruntamen bene fecistis communicantes tri-*
bulationi meæ, scitis autem & vos Philippenses quod in princi-
pio Euangelij, quando profectus sum à Macedonia, nulla mihi
Ecclesia communicauit in ratione dati & accepti, nisi vos soli,
quia & Thessalonicam semel & his in usum mihi misistis. Non
quia quero datum, sed requiro fructum abundantem in ratio-
nem vestram. Habeo autem omnia & abundo, repletus sum, ac-
ceptis ab Epaphrodito, quæ misistis in odorē suauitatis, hostiam
acceptam, placentem Deo. *Non enim querens, quod mihi utile est, sed quod multis, vt salui fiant.*
Nec amicitias Principum virorum & Cardinalium
respuimus; etsi enim Religiosi, Deo potissimum nitun-
tur, oportet tamen, idq; Deo ita instituyente, vt humana
etiam præsidia accedant: quæ potissimum ex eorum, qui
in Republica Christiana primas tenent, beneuolētia exi-
stunt. Neq; enim *auræ cupis* sumus, & vt maximè quis sibi
sufficiens esset, non immeritò tamen statuit Aristoteles,
cum

Arist. lib. 2.
Magn. Mor.
cap. 12.

cum nihilominus egere amicitia. Adiūgit nugator. *Cum aliis Cardinalibus, & Curia Romana administris aliter agunt, cum illis videlicet Cardinalibus, qui Pontificatum sperant: evitantur enim, ut eos ad consecutionem dignitatis, quam animo informarunt, adiuvent; tum predicatione virtutis apud imperitam multitudinem, tum commendatione apud Reges & Principes: ubi verò volunt aliquem deprimere, deteriora decantant.* Æsopus interrogatus quid agat Iupiter, respondit, τὰ ὑψηλά ταπεινοῖ, καὶ τὰ ταπεινά ὑψηλοῖ. *Alta deprimat, & depressa exaltat.* Idem videris responsum daturus, interrogatus de nostris negotiis: quandoquidem in manu nostra & ope positum est; Pontifices & Præsules creare, vel ne creentur præpedire: hosque ad celsissimum illud honoris culmen subducere; aliis, ne euehantur, obicem opponere, aut euectos iam deturbare: Stolidè nugator: an ineptias tuas tam crasso filo contextas ipse non sentis? Eliguntne Iesuitæ Pontificem? Habentne ius suffragij? Ingrediuntur ne conclauem cum Cardinalibus? Mittuntne Cardinales ad Iesuitas; ut significant, quis ipsorum iudicio, potissimum sit eligendus? Præterea cum plures sint ex numero Cardinalium, qui fortè Pontificatum sperent, Iesuitæ autem eos, qui hunc honoris gradum appetunt, adiuvent; ut tu fabularis, necesse erit, ut omnes Iesuitæ vel vnum adiuvent: & hoc non; quia *omnes adiuuantur*, ut tu ais; aut alij hunc; alij, alium; alij rursus tertium; & sic studia in contraria tendunt, & grauiora bella inter ipsos Iesuitas exorientur, quàm inter Homericos Deos propter Troiam & Helenam, cum fieri nequeat, ut plures vno, vno tempore, ad Pontificatum ascendat. Et quamuis Regum favor & gratia, & populi communis sensus, aliquando multum conferant, ut quis dignitatem illam adipiscatur: oportet tamè, ut favor ille existat ex opinione virtutis & sanctitatis,

tatis, ad tam graue & diuinum munus necessariæ. Iesuitarum munus est, cum Pontifex eligitur, ieiuniis & precibus vacare, ut Deus Ecclesiæ suæ pastorem mittat, qui, *vt Propheta ait, quod perierat, requirat; & quod abiectum erat, reducat, & quod constractum fuerat, alliget; & quod infirmum fuerat, consolidet, & quod pingue & forte, custodiat, ouesque in iudicio pascat.* Quod olim D. Gregorius præceptum Ariminenſibus dedit, hoc & nobis dedit. *Vos autè unanimes orate fideliter, ut quicumque fuerit ordinandus, & vobis vilis possit existere, & dignum Deo nostro sacerdotale exhibere seruitium.*

S. Greg. lib. 1.
epist. 56.

Ais: Iesuitas O Enipontanos olim obstitisse, ne F. Ioannes Nasus Franciscanus, Suffraganeus Brixinensis fieret, Et tamen factus est Suffraganeus Brixinensis. Falsum est ergo Iesuitas posse deprimere illos, quos deprimere student; quia hunc Religiosum & celebrem Ecclesiasten impedire nequiverunt, (licet, ut tu ais, *conarentur*;) quo minus ad pedem & infulam, perueniret. Sed more tuo calumniaris Hæretice. Nullum Iesuitæ ab Episcopatu consequendo dignum impedire conantur. Sed animaduerto quid agas, nempe quod haecenus actitasti sapius: Hoc scilicet, ut quem pessimi quique, similes tui pessimè oderunt Ordinem, optimis quoque inuisum reddas, & inter ipsos Religiosorum Ordines dissidia excites. Sed meministi credo, quo loco tales à Deo habeantur. *Sex sunt*, inquit Salomon, *quæ odit Dominus, & septimum detestatur anima eius, Oculos sublimes, Linguam mendacem, Manus effundentes innoxium sanguinem, Cor machinans cogitationes pessimas, Pedes veloces ad currendum in malum, Proferentem mendacia testem fallacem.* Et eum, *qui seminat inter fratres discordias.* In sex illis egregiè tuam operam nauasti, sed in septimo palmam sanè reportare videris, ut non solum exosus, sed etiam detestabilis Deo factus fueris. Verùm nihil proficis Charitatis impugnator, *hostis*

De Suffraganeo Brixinensi.

Proverb. 6.

hostis amicitia, nihil apud pios efficit impietas. Non indiget, nec clarus ille Ecclesiastes, nec sanctissimus Ordo, hæretico procuratore vel propugnatore, præsertim ubi nullus est Actor, nullus Impugnator. Ad hæc quid ad Iesuitas OEnipontanos quis Proëpiscopus Brixinensis constituitur? Quicumque enim sit, is Iesuitis OEnipontanis, qui in illa diœcesi versantur, nihil incommodi adferet, si, quæ sui muneris sunt, præstent, ut viros Religiosos decet, quibus D. Gregorij consuetudo quæ commendatissima esse debet, qui, licet summus esset Pontifex, hunc tamen morem tenebat, ut de nullius persona ad Episcopatum euehenda, vel non euehenda sententiam diceret, sed electionem precibus ad Deum fuis adiualet: Ita enim ad presbyteros, diaconos & clerum Mediolanensis Ecclesiæ, cum de Episcopo designando consultarent. *Quia antiqua mea deliberationis intentio est, ad suscipienda pastoralis cura onera, pro nullius unquam misceri persona, orationibus prosequor electionem vestram: ut omnipotens Deus, qui futurorum actuum nostrorum semper est præsciens, talem vobis pastorem præbeat, in cuius lingua & moribus, exhortationis diuina pascua valeatis inuenire: in cuius mente & humilitas cum rectitudine fulgeat, & seueritas cum pietate, qui vobis viam vitæ non solum legendo vel loquendo, sed etiam viuendo possit ostendere, quatenus exemplo illius discat vestra dilectio ad æternam patriam desiderium suspirare.* Hæc S. Gregorius. Addis: *Iesuitas ideo F. Naso fuisse infestos, quia coacti fuerint, ipso annitente, partem Monasterij, quæ occupauerant, restituere.* Atqui nos non occupaueramus, sed traditam partem amplissimi Monasterij à Principe, & legitimo Magistratu, pro vsu, non nostro, sed publico scholarum, accepimus, retinimusque, quoad à patribus illis reperti capta: tum enim cessimus, pacis & concordia amore; licet gymnasium iam pridem promissum, nec dum esset constructum: scholasque, in angustiis Col-

S. Greg. lib. 2.
epist. 29.

Collegij nostri, summo cum incolarum incōmodo, adornauimus, moderationem patriarchæ Abrahamæ imitati, qui commemorabili ad omnem posteritatem exemplo, cum propter tabernacula & fines contentio esset orta, *Ne queso, aiebat ad Lot; sit iurgium inter me, & te, & inter pastores meos, & pastores tuos; fratres enim sumus; si ad sinistram ieris, ego dexteram tenebo; si tu dexteram elegeris, ego ad sinistram pergam.* ita Abraham. *Genes. 13.*

At tu OEniponto & Brixina Romam iterum pergis, quod iter Romanum toties, isque redisque, ut ne Castor quidem & Pollux, videantur toties emensi & remensi viam ab inferis ad superos. *Curiales, inquis, de se sollicitos habent, quibus proinde, ut volunt, utuntur & abutuntur.* Hoc quæ verum sit, norunt qui forum & Curiam Romanam norunt: Nihil Curia ad nos, nisi cum necessitas iuris nostri defendendi, aut id, quod æquum est, impetrandi, ad Curiam nos pertrahit: quo casu, sicut aliis ius dicunt, ita & nobis causa cognita. Quæ verò hæc linguæ tuæ rabies, nemini parere consueta; cum mentiris, *Curiales esse Iesuitarum mancipia, & quasi ex veteri Comœdia Dauos; Cum se,* inquis, *Curiales veluti captos & obstrictos animaduertunt, non minus eosdem oderunt, quam metunt, seque in seruitutem quandam à pauperibus istis scholaribus abductos mirantur.* Propter hoc conuicium in Curiam Romanam Prætor non inuitus iudicium in te dabit, etiam in ipsa Curia Romana, si Romam venias. *Ait Prætor: Qui aduersus bonos mores, cui fecisse, cuiusve operâ factum esse dicetur, quo aduersus bonos mores conuicium fieret, in eum iudicium dabo.* Dices fortè, Hoc tuum conuicium non esse aduersus bonos mores. At esse, ostendit Vlpianus, qui omne illud conuicium aduersus bonos mores fieri tradit, *Quod ad infamiam, vel iniuriam, vel iniuriam alterius spectat.* Quid autem maiorem parit infamiam Curia Romanæ, quam vociferari;

De Officialibus Curia Romana.

L. Item apud ff. de iniuriis.

L. cit.

Curie illius præsides & administratos, sub Iesuitarum domina-
tu, & durissima seruitute captiuos teneri? Et adhuc Catholi-
cus, & Curie Romanæ reuerentissimus salutari cupis?

De modo agē-
di cum Epi-
scopis.

Sed ad locorum Ordinarios veniamus iam, inquis; sequa-
mur igitur, quando ita iubes. Cum his, subactâ iam curiâ, li-
berius agunt. At tu nec dum mentem subigere potes, vt
ori tuo procaci præcipiat, ne in Curiam Romanam con-
uicia fundat, & conuiciis suis alios itidem ad vociferan-
dum aduersus Romanam Curiam conuocet & concitet:

L. Item apud
ff. de iniuriis.

Conuicium enim dicitur, vt inquit Vlpianus, vel à concitatio-
ne, vel à conuentu, hoc est, à collatione vocum: cum enim in u-
num plures voces conferuntur, conuicium est, quasi conuocium.
Quid aut Hæretici conuiciando aliud moluntur, quàm
vt alios sui similes, ad similem effrænatae linguæ procaci-
tatem exsuscitent? *Habitis*, inquis, *subinde ex Curia ad Ordi-
narios litteris, quales ad rem suam ipsi existimant, nihil non
audent; Nimirum, Pontifex alios non habet nuncios, quâ
Iesuitas, per quos litteras & Breuia Apostolica ad Episco-
pos transmittat, nec Iesuitas, aliud quod agant, vrget, quâ
vt summi Pontificis epistolas circumferant, præsertim
proprii quæstus & compendij gratia. Addis: Si quâ Ordi-
narius eis bene faciat, & honoribus, fortunisq; augeat, laudant,
ad sidera extollunt, & omnia illius scelera tegunt: sin secus, secus
& ipsi agunt, & quidquid in vita indecens aduertunt, id ple-
nis buccis amplificant.* Præclare Gregorius: *In omni, quod
agimus, vel quod extra de nobis dicitur, recurrere ad arcana
mentis debemus: Et si omnes vituperent, liber est tamen,
quem conscientia non accusat.* Ergo cum cor nostrum de
his, quæ nobis obiectas, nos non arguat, cumque ipsi
locorum Ordinarij, præsertim in Germania, innocen-
tiæ nostræ libenter sint daturi testimonium, non mul-
tum nos criminationes tuæ angunt. Operam nostram
nulli

s. Greg. lib. 9.
epist. 39.

nulli inuito obtrudimus, multò minus vëdimus, vt Lu-
therani & Calviniani ministri *multibarbi*, qui linguam ha-
bent *venditariâ*; quia satis multi, Dei gratia, sunt, qui no-
stros labores, tanquam Diœcesi suæ fructuosos, multis
precibus experant; nec opus est, vt Iesuitæ labores ad-
modum studiosè conquirant & mercentur, etiam non
quæsi, turmatim offeruntur. Ea quæ minus rectè agun-
tur, nihil ad nos; Alij sunt, quorum munus, ista cura-
re: Malè commissa tegimus: siue nobis benefaciant,
siue secus, non enim sumus ex sanguine Chami, hoc
est, Lutheri & Caluini, qui, vt verè ait sanctus Gre-
gorius Nazianzenus, *rerum suarum tardi sunt iudices,* Nazian. orat.
de moderat. in
disput. *in alienis tamen censoriam notam celerrimè arripiunt.* Ci-
tius aliis (hoc est suis) *grauissima errata, quàm nobis (Iesui-
tis, imò & locorum Ordinariis) leuissima concesserint.* Et
licet ipsi studiosiores atq; indoctiores sint, citius tamen aliis impie-
tatis crimen impegierint, quàm vt ignorantiam suam accusent:
*Qui, vt S. Gregorius alibi ait, quemadmodum musca vulne-
ribus, ita Episcoporum & Iesuitarum calamitatibus, aut si* Nazian. orat.
citat. *maius erratis, insident.*

Ad extremum, neque sumus, neque videri volumus,
Ordinarios inspectores & visitatores. Tanto nos non
dignamur honore: nec vllus Pontificum munus hoc no-
bis commisit, nec nobis non commissum vltro vendica-
mus: Nec tu Pontifex es, vt committere possis per tua
mendacia, qui *salsum pro vero insimulas, insectum pro facto
criminaris, & quos innocentes liquido scis, accusas vt nocentes,*
& sine more modoque conuicia iacere pergis: vt cum
ais: *Nos conqueri de Ordinarios negligentia & incuria, vt
nobis Monasteriorum visitatio credatur.* Item: *Non esse vl-
lum genus hominum, qui Ordinariis minus honoris & reueren-
tiæ habeant, quàm Iesuitas.* Quis neget hæc nimia esse men-
dacia?

dacia? Nomina enim vel vnum in tota Germania Monasterium, cuius visitatio à Sede Apostolica nostris sit demandata, posthabito loci *Ordinario*? Ad honorem quod attinet, minusne colunt Iesuitæ *Ordinarios*, quam Lutherani & Calviniani? non enim comparabo eos cum Catholicis. Certè, quo honore hoc hominum genus *Ordinarios* prosequatur, id tam manifestum est, vt optandum sit, ne tam manifestum esset. Rectè S. Cyrillus: *Nihil est facilius scurræ, quam mentiri, & temerè vituperare*: quod si nesciuissem antea, tua in hac arte facilitas, verum id esse, mihi comprobasset. Non exciderunt nobis, ó calumniator, exempla & præcepta reuerentiæ erga Episcopos, quæ omnibus Societatis hominibus olim præscripsit eximius ille Indorum & Iaponum Apostolus Franciscus Xaverius; cuius monitis eò promptius paremus, quò certius est, quidquid in hoc genere Xaverius aut fecit aut scripsit; id non nisi Spiritus sancti impulsu factum & scriptum esse. *Id sanctissimè obseruant*, inquis, *ne Ordinarij ipsorum privilegia videant*. Quid opus videre? Etiam non visa probant; neq; enim fidem in oculis duntaxat habent, more tuo. Affirmantibus nobis libentius credunt, quam vobis iurantibus; memores illius: *Inter bonos, quales ipsi, & omnes Ordines Religiosi, benè ager oportet*. Deinde, si quæ controuersia de hac vel illa re nasceretur, haud grauemur *Ordinario*, privilegij illius authenticum exemplar demonstrare. Præterea multa de nostris privilegiis, & immunitatibus reperire est in bullis Pontificum Pauli III. & Gregorij XIII. quæ publicè exstant, tum apud Ribadenciram, in historia de vita & rebus gestis B. P. N. Ignatij, tum in Bullario Pontificum. Et nuper Hæretici Calvinistæ publicarunt compendium privilegiorum Iesuiticorum, & libello, cui titulus, *Speculum Iesuiticum*, at-

S. Cyrill. lib. 10. contra Iulianum.

Fide vitam Xaverij lib. 2. cap. 2. & lib. 6. cap. 12.

texuerunt, qui liber nihil aliud est, quam versio in Germanicam linguam Innectiæ Antonij Arnoldi, clamatoris an declamatoris? caudidici an maledici? Parisiensis, verissimum Calvinisticæ impudentiæ speculum: Et si compendium illud non sit tam nostrorum privilegiorum epitome, quam mendaciorum Calvinisticorum Ilias.

Occultant, inquis, *privilegia, vt sub privilegiorum prætextu, faciant, quidquid lubet*. Nihil minus, mi homo: causa non publicandi est, quia nec Societatis, nec Ecclesiæ, nec Hæreticorum interest, vt omnia passim euulgentur; nam multa, quæ ad ipsum institutum pertinent, iam in vulgus manarunt. Quæ, oro, Respublica tam exigua est, quæ sua privilegia lippis & tonsoribus, peregrinis & aduenis notificet? Nec est periculum fraudis apud eos, quibus veritas amori; falsitas odio; quales Religiosi. nam vt iste aut iste fallat: at integrum *Ordinem*, *Ordinario*, per eminentium privilegium, imponere velle, id non solitis fallere & mentiri, nunquam probabile accidet. *Ipsio iure*, inquis, *constitutum est ad exemptionis iura ostendenda requisitos teneri*. Benè addis: *requisitos*: at vtum exempti simus à Iurisdictione *Ordinariorū*, *Ordinariis* certò iam constat, tum ipsa temporis diuturnitate, tum ex literis Apostolicis hac de re editis. Quid opus privilegium ab eo requirere, de cuius privilegio nemo dubitat? Quod autem addis, *iure constitutum esse, vt privilegia prius ab Ordinario examinentur, quam executioni mandentur*; id suspicor non à iure sancitum, sed à tuo cerebro excogitatum esse. Quæ enim isthæc foret *Ordinariorū* erga Sedem Apostolicam reuerentia, si immunitates, ab eo concessas, in iudicium & examen vocarent? Miraris, *Ordinarios*, ab hoc examine hætenus abstinuisse. Mirarer & ego, si mihi cor tuum esset,



esse, & animus: ipsi etiam Ordinarij mirarentur hanc suam præmissionem, si pseudocatholicam & Caluiniopapisticam mentem, sub Papistica & Catholica infula gererent.

De Cardinale Borromæo.

Nunc ad Borromæum te recipis, de quo supra: His addo, ut fidem ibi datam liberè hoc loco, Borromæum, sanctissimæ vitæ Antistitè, à Societate non fuisse alienum, ut iste, vel inuito lectori persuadere conatur. Eius enim beneuolum in Societatem animum ex multis, iisque perspicuis argumentis colligere licet; Amplissimum enim Ordini nostro Mediolani Collegium, & domum probationis Aronæ erexit, dotauit, & annuis prouentibus instruxit; & nostrorum operâ, grauissimis in rebus crebrò & libenter usus est: & ex Ordine nostro Confessarium habuit usque ad finem vitæ, testemque vitæ summa asperitate transactæ, cui etiam non diu post suum ex hac vita discessum, apparuit, foreque prædixit, ut non longo post tempore subsequeretur, quod & factum, ut testatur auctor ille, qui res gestas Caroli Borromæi literis consignauit. Idem Cardinalis in Mesauicis Societati Collegium instituire cepit: Et si postea inceptum, improbis renitentibus, & Cardinale, præter opinionem, ex hac vita abrepto, in irritum cecidit; ut idem Auctor testatur.

Lib. 7. de Vita Borromæi, cap. 24.

Lib. 6. cap. 4.

Quod autem inter Borromæum, & quosdam ex nostris, quædam controuersie exortæ sunt; quid mirum? Quis nescit dissensionem inter Paulum & Barnabam; inter Chrysostomum & Theophilum Alexandrinum; inter Chrysostomum & Epiphanium; inter Augustinum & Hieronymum, inter Hieronymum & alios multos, alioquin sanctitate & eruditione præstantes viros; quia ut supra dicebã, *suus cuiq; mos*. Diuersa sunt, eorum qui religiose viuunt instituta, ut rectè ait de hoc ipso argumento tra-

ctans

ctans auctor, qui vitâ Cardinalis Borromæi conscripsit; *Lib. 5. cap. 1.* Imò diuersè ipsius sanctitatis via. hic ad seueritatē duritiemq; ille ad comitatem, suauitatemq; procliuior. Intra fortitudinis, temperatiæ, omnium deniq; virtutum gradus, alius ad summos nititur, alius inferioribus contentus est. Et ut vsurpè in vera & bona causa, quod Symmachus dicebat in mala; *Vno itinere non potest* (vel saltem non solet) perueniri ad tam grã de secretum (perfectionis) & regni cœlestis.

Symmach. e. p. ad Valent. Imperat.

Ut autem os tibi magis obstruam, placet hoc loco adscribere pulcherrimam, si non, quoad verba, certè quoad sententiam D. Bonauenturæ orationem; quæ rem, de qua agimus, mirificè illustratam dabit. *Boni, inquit, si aliquando dissentire videntur, hoc his de causis fieri consuevit: nam cum non omnes agnoscant equaliter veritatē, in omnibus, contingit, quod aliquis intelligit illud in aliqua parte non fore expediens, vel aliud magis fore expediens, quàm illud. Et dum uterq; hoc, quod ipse melius indicat, vult promouere, & quod non cœcum credit, vult impedire: sic dissensio fit inter eos, hoc est, diuersa sensio: non peruersa, cum uterq; bene intendit. Sicut inter Paulum & Barnabam pro Ioanne discipulo, quem voluit Barnabas assumere in socium prædicationis suæ, sed Paulus prohibuit, timens, ne non perseveraret, in continuatione laboris: & sic per eum impediretur: & sic dissentiebant. Et Barnabas Ioannem secum sumpsit, ubi minores haberet labores. Paulus verò Silam sumpsit pro fortioribus laboribus magis aptum, ut diuersis partibus diuisi, pluribus prædicando prodesse. Sic in expositione B. Gregorij, orante Daniele Dominum pro populi liberatione de captiuitate Babylonica, Angelus dixit, quod eius oratio esset iam dudum exaudita, sed princeps Persarum, id est, Angelus illius gentis custodia deputatus, resisteret sibi viginti vno diebus, ne statim liberarentur, sed diutius afflicti plenius à peccato purgarentur. Quid ergo mirum si boni aliquando dissentire videntur,*

S. Bonauent. quæst. 20. in Reg. S. Francis.

dentur, ratione diuersarum considerationum, si Apostoli & Angeli eadem ratione dissentire inuenti sunt. Nam iuxta hunc sensum, sancti, quandoque rationabiliter à Deo dissentiunt, ut cum Deus vult aliquem mori, quem ipsi diutius desiderant viuere pro aliorum profectu; vel cum ipsi putant citius mori, quos Deus vult pro eorum salute adhuc diutius in corpore laborare: Vnde Apostolus dicit: Desiderium habens dissolui, &c. Alia causa est, quando vnus non videt intentionem alterius, qua bona est, putat eum alia intentione aliquid facere, & displicet sibi, & dissentit ab eo; qui si sciret, non displiceret sibi, quod facit, & esset pacatus cum eo. Sic Moyses iratus est filio Ruben, & dimidia tribui Manasse, cum peterent terram Basan, & Hesebon in possessionem. Et Iosue iratus est eisdem pro constructione altaris super ripam Iordanis, antequam agnosceretur, intentionem utrobique fuisse bonam: talis autem ignorantia non est semper culpabilis, dum tamen non sit iudicium nimis preceps. Hęc S. Bonauentura.

Quod si quis aduersus Borromæum imprudentius quid, ex loco superiore effudit, ut fecit fortassis concionator ille, de quo tu hęc tragicè declamas, & quem notat etiam Auctor vitæ Borromæi; is nec superioribus Societatis rem gratam fecit & acceptam; neque etiam Ecclesiæ vtilem, neque nos eum defendendum, aut à culpa purgandum suscipimus, quia, ut rectè ait S. Bonauentura, de his, quæ irrationabiliter fiunt, reddi non potest ratio congrua.

Vnde si aliqui sub habitu Religionis tales aliquando videntur, non est alia ratio, nisi eorū imperfectio, & quia habitus mentis non habet interius, quod ostendit habitus vestis exterioris, & tonsura capitis.

Num. 32.

Iosue 22.

S. Bonauent.
loc. citat.

CAPVT V.

De rationibus Iesuitarum agendi cum Clero.

NOVVM caput auspicias, & cum nouo capite noua mendacia, nisi quod hucusq; tam multa effutiisti, ut non tam noua videaris adferre, quàm vetera renouare. Vniuersum, inquis, Clerum in odium adducere conantur. Quæso te, cum sub exordium sectionis huius tam luculenter mentiri incipias, cur non præfaris honorem? cur non beneuolentiã & fauentiam lectorum tibi concilias? An non summa contumelia, o lectores, vobis imponit, qui vos arbitratur maledi-

ctis optimi cuiusq; gaudere, qui vos existimat mala & vitiosa verba non intelligere, aut si intelligatis boni consulere? Vniuersum, inquis, Clerum in odium adducere conatur. Mendacium hoc refellunt tot scholæ, & tot seminaria, in quibus iuuentutem literis & moribus informamus, eo etiam consilio, ut Clero suppetias inde mittamus, sicut & mittimus: innumerabiles enim Clerici ex nostra disciplina prodeunt; & quis Magister tam improbus est, ut alumnos institutionis & educationis suæ, in odium vocare nitatur? Quis non omni ope contendit, ut omnibus potius sint amoris & venerationi, quàm odio & detestationi? Nec causa suppetit, cur vniuerso Clero odium creare velimus, licet tu cautas tres assignes, sed ipsa assertione tua vaniores. Vna est, quod sacra ministeria non obeunt gratis, sed pacto stipendio: At quis Iesuitarum priuatim & publice, in scholis & in templis, non docet & fatetur cum Apostolo: Operarium sua mercede esse dignum? Quis nescit 1. Corinth. 9.

illud Apostoli: Nescitis quoniam qui in sacrario operantur, quæ de sacrario sunt, edunt, & qui altari deseruiunt, de altari

Mendacia calumniatoris.



participant: ita & Dominus ordinavit iis, qui Evangelium annunciant, de Evangelio vivere? Altera: Quod impuram ducant vitam. At certissimum est, etiam Iesuitarum iudicio & prædicatione, plurimos ex Clero, castissimam & integerrimam vitam agere; Et hoc Iesuitas longè certius nosse, quàm norint Calviniani sycophantæ, quorum oculum malevolus error, in solam paleam nostræ segetis ducit, nam & criticum ibi viderent, si & esse vellent, ut quod de Manichæis dixit S. Augustinus, ego ad istos accommodem.

S. August. lib. 5. contra Faust. Sum. cap. 11.

Luca 18.

Porrò quod addis: Iesuitas Pharisaico supercilio impudentissimè effutire, reliquum Clerum, ipsis solis exceptis, in statu peccati mortalis vivere. Sciscitari primùm ex te lubet, utrum Iesuite cum Phariseo preces suas ita concipere soleant; Deus gratias tibi ago, quia non sum sicut ceteri hominum; raptores, iniusti, adulteri; & num aliquem Iesuitarum hac precandi formula utentem tuis oculis videris, tuisque auribus audiueris? Deinde quomodo Iesuitæ affirmare possunt vel audent, quod soli Deo compertum? quomodo gloriabuntur, alios omnes peccatis mortalibus obstrictos, se verò solos ab hac tanta labe immunes; cum sine peculiari revelatione diuinitus missa, nulli de seipso perspicuè & certo constet, utrum gratia Dei præditam vitam ducat? Et ut quis, quantum ad se attinet, huius rei euentiam haberet, quomodo haberet euentiam de aliis, quorum ipse abdita sensa nescit, nec peccatoris recessus intuetur? si prauum & inscrutabile cor nostrum, quanto magis impenetrabile nobis erit cor alienum, cum in id oculos inferere nulli mortaliū sit concessum? Gloriarum de propria sanctitate, & de munditie ab omni mortalis culpæ macula, non est nostrum, sed sectariorum Lutheranorum & Calvinianorum cum sua speciali fide iustificante: qua in re imitantur ut solent, vestigia veterum, sed

sed Hæreticorum, præsertim Manichæorum, qui suauissimis verbis sibi de iustitia & sanctimonia, morumque integritate blandiebantur: Vides, aiebant, in me Christi beatitudines illas, quæ Evangelium faciunt, & interrogas, utrum illud accipiam? Vides pauperem, vides mitem, vides pacificum, puro corde, lugentem, esurientem, sitientem, persecutionem, & odia sustinentem propter iustitiam, & dubitas utrum accipiam Evangelium? Si hoc esset iustum esse, iustificare seipsum, inquit S. Augustinus, verbis suis volasset in calum homo iste, cum hæc loqueretur.

S. August. lib. 5. contra Faust. cap. 7.

Ad hæc Iesuitis, ut paulò antè dicebam, certò exploratum est, ea certitudine, qua in hac mortalis vitæ caligine, arcana cordis nostri & alieni cognosci queunt; plurimos ex clero esse, instar illius Iob, viros simplices & rectos, & timentes Deum, & recedentes à malo. Denique Iesuitæ immemores non sunt illius Apostolici moniti. Nolite ante tempus iudicare, quoad usque veniat Dominus, qui & illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium, & tunc laus erit vniuscuiusque à Deo. Tertia causa est, ut ais: Ignorantia rerum, quæ ad res sacras ritè tractandas pertinent. At neque hæc est idonea causa, cur Iesuite vniuerso Clericorum Ordini, odium conciliare velint. Quia non omnes Clerici sunt indocti; imò, quæ Dei benignitas, multis in locis reperire est sacerdotes, litteris & eruditione insigniter exultos: ad quod, si scholas nostras itidem & attulisse aliquid subsidij, & adhuc quotidie adferre dice-rem, falsitatis meritò argui non possem. Secundò, stultissimū esset Clericos propter ignorantiam apud leue vulgus traducere: Quo enim sine id fieret? An ideo doctiores & rerum diuinarum intelligentiores fient, si eorum inficitia omnium conspectui exponatur, an potius nihil aliud inde existeret quàm contemptus Cleri, & ex hoc contemptu

S. Bonavent.
Apol. 9. 2.

temptu propensio vel impulsio ad hæresin? Prudentis Medici non est multum de morbis vociferari, sed dispicere, quomodo quàm primùm opem ferat; quod præstare licebit, licet mali grauitatem in triuuis & circulis otiosorum non proclamet. Cùm S. Bonauentura rationem redderet, cur Ordinis sui Concionatores, Clericorum vitia è superiore loco non æquè tangant, & carpant, ac vitia Laicorum: præter ceteras etiam hanc causam attulit: *Ne si populus perderet omnino fidem in Clericis, Hæretici insurgerent, & attraherent sibi populum, quasi oues destitutas pastoribus, & facerent eos Hæreticos, gloriantes, quod nostro quasi testimonio tam viles essent Clerici, quod nullus eis obedire deberet: nec doctrinam eorum curare; omnis enim Hæreticorum intentio ad hoc tendit, quod spreto Clero eis credatur, & ad hoc non conuenit nos ipsorum esse cooperatores, quin potius debemus contra eos, quasi lupos rapaces, Clero & Ecclesia esse propugnatores, contra eorum versutias populum præmuniendo, errores ipsorum veritatis testimoniis ex scripturis authenticis confutando.* Ita S. Bonauentura.

Hæc, inquis, capita dilatant copiosè, omnique occasione reperiunt, ea fortè intentione, ut ipsi tandem nouam Hierarchiam Ecclesiasticam instituant. Tam verum est nos hæc capita in odium Cleri amplificare, quàm verum est, nos, de noua Hierarchia Ecclesiastica introducenda cogitare: quis enim nisi Hæresiarcha de noua Hierarchia somniat? quæ si noua est, Hierarchia non est, sed anarchia, aut Hæresiarchia, non Ordo, sed confusio; non corpus sed chaos; Vna enim est in Ecclesia Hierarchia, à Christo instituta, & ab Apostolis posteritati tradita: præter hanc, quisquam aliam fabricare molitur, is turrim Babylonicam molitur. *Ais: Reliquos Religiosorum Ordines ita sibi subiiciunt, ut ferantur scriptis quibusdam publicis attestari, Ecclesiam aliquando*

in deliberationem vocare voluisse, an expediret alios omnes ordines ad vnam Iesuitarum Religionem redigi. At quis hoc fert? Ede nomen eius. *Feruntur, inquis, à quibusdam.* A te videlicet, & ab aliis calumniatoribus nostris. Et quæ sunt illa publica scripta, vbi hoc à nostris scribitur? Cur tu, vel illi, qui hoc ferunt, & circumferunt, scriptum illud nomine suo non designant? Olim Prætor edixit: *Qui agit iniuriarum, certum dicat, quid iniuriæ factum sit, quia qui famosam actionem intendit, non debet vagari cum discrimine alienæ estimationis: sed designare, & certum specialiter dicere, quam se iniuriam passum contendit.* Idem, & multò magis, ab accusatore postulari potest. Deinde ea, quæ fieri nequeant, non cadunt in deliberationem; at vt omnes Ecclesiæ Ordines consentur in vnum Ordinem Iesuiticum, nõ magis fieri potest, quàm vt ex omnibus nationibus & prouinciis fiat & constituatur vna prouincia & regio: qua ergo fronte scribis, *Publicis scriptis à Iesuitis vulgatum esse: Ecclesiam voluisse hac de re deliberationem suscipere, & dispicere, num ipsa seipsam spoliare possit polymita & variegata illa veste, qua à Christo, tanquam dilectissima sponsa, circumdata est & circumornata?* Non opus, vt exquirat, qua ratione ipsa suum decorem perdere queat, vos Calvinistæ & Lutherani, satis de hoc funditus abolendo solliciti estis.

Prædictis criminationibus dignam imponis coronidem. *Cum plebanis, inquis, ita agunt, vt sibi non secus à Iesuitis, quàm vt à Cacodæmone cauendum ducant.* Ita tu quidem, Cacodæmonis, non dubito, impulsu, qui & menti tuæ hanc calumniam iniecit, & manum, vt chartæ illineres, mouit, rexit & direxit: nam & plurimi Parochi nostrorū operà libentissimè vtuntur, nosq; amant & tuentur, vicissimq; à nobis amantur, & licet nonnulli ex Clero nos odissent,

S. Bonavent.
Apol. q. 22.

odissent, id inauditum non esset; vsque ad nostra tempora, semper hoc Religiosis Ordinibus accidit: *Quamuis nonnulli de Clero, inquit S. Bonauentura, plus oderint Religiosos, quam Iudeos, Christi aduersarios; tamen si saperent, potius diligerent nos pluribus de causis, tam pro temporali utilitate, quam etiam pro spirituali utilitate sua.* Quod S. Bonauentura pluribus deinceps ostendit, allatis ad hoc probandum octo rationibus: Et si qui sunt à nobis alieniores, id fit, vel quia nos & nostra ignorant, vel fama Hæreticorum, inuidorum & æmulorum præoccupati, tales nos esse animo & cogitatione informant, quales si essemus, merito à nobis abhorrent. Sed finio, huncq; primum librum cum his verbis Calaritani præfulis concludo: *Non miramur, si vos (ò Calviniani & Lutherani calumniatores) ex quo receditis à Dei voluntate, & facere non desinitis desiderium Diaboli, benè vobis fieri poscentibus Deum atq; cupientibus, representatis mala: quandoquidem sit vobis insitum malè agere: quippe qui à bono ad malum feceritis transitum: hoc est, ad Diabolum.*

Lucif. lib. de
non parcendo
delinquentibus.

Non miramur, si vos (ò Calviniani & Lutherani calumniatores) ex quo receditis à Dei voluntate, & facere non desinitis desiderium Diaboli, benè vobis fieri poscentibus Deum atq; cupientibus, representatis mala: quandoquidem sit vobis insitum malè agere: quippe qui à bono ad malum feceritis transitum: hoc est, ad Diabolum.

FINIS LIBRI PRIMI.



LIBER



LIBER SECVNDVS
DE MODO AGENDI
IESVITARVM CVM PONTI-
FICIBVS, PRAELATIS, PRIN-
CIPIBVS, &c.

CAPVT I.

De ratione Iesuitarum agendi cum
Principibus.

Nescio vndenam librum hunc aptius auspicatorum sim, quàm à verbis sancti Augustini: cum libro secundo de ciuitate Dei capite primo, in hunc modum scribit: *Si rationi perspicua veritatis infirmitas humana consuetudinis sensus non auderet obsistere: sed doctrina salubri languorem suum, tanquam medicina subderet, donec diuino adiutorio, fide pietatis impetrante, sanaretur; non multo sermone opus esset ad conuincendum, quemlibet vana opinionis errorem, his, qui rectè sentiunt, & sensa verbis sufficientibus explicant.* Nunc verò, quoniam ille est maior & retrior insipientium morbus animorum: quo irrationabiles motus suos, etiam post rationem plenè redditam, quanta homini ab homine debetur siue nimia cecitate, qua nec aperta cernuntur; siue obstinatissima peruitacia, qua & ea, qua cernuntur, nò feruntur, tanquam ipsam rationem veritatemq; defendunt; sit necessitas

b

copio-

copiosius dicendi plerunque res claras; velut eas, non spectantibus intueudas, sed quodammodo tangendas palpantibus & conuenientibus offeramus. Et tamen, quis disceptandi finis erit, & loquendi modus, si respondendum esse, respondentibus semper existimemus? Nam qui vel nō possunt intelligere quod dicitur: vel tam duri sunt aduersitate mentis, ut etiam si intellexerint, non obediunt: Respondent ut scriptum est: & loquuntur iniquitatem; atq; insatigabiliter vani sunt. Quorum dicta contraria, si toties velim refellere, quoties obnix a fronte statuerunt, non curare quid dicant, dum quocunq; modo nostris disputationibus contradicant, quam sit infinitum, & arduum, & infructuosum vides. Hæc præclare S. Augustinus. Quæ & ego usurpare possum, tam multa enim superiore libro pro Societatis defensione dicta sunt à me, & tam multa criminantis huius patefacta mendacia, ut cæcum esse oporteat, qui Ordinis nostri innocentiam, & impostoris huius nocentiam non videat, ut proinde cæteras criminantis calumnias despiciere, & silentio refellere merito potuerim: præcipue cum vix nouas adferat, sed veteres, iamq; profligatas identidem repetat: pergam tamē, ne fortè, si quid ex friuolis quoq; præteriero, videar id cuiquam ignouisse potius quàm contempsisse. Est enim pudentis animi & verecundi, vel falsa vituperatione grauari, cum etiam hi, qui sibi delicti alicuius conscy sunt, tamen cum malè audiunt, impendio commoueantur & obirascantur: quāquam exinde, ubi malefacere cœperunt, consueuerint malè audire. Nunc ad rem.

Principes seculares, inquit calumniator, iisdem serè artibus aggrediuntur, quibus Pontifices ac præcipuos Cardinales. Et tu nos iisdem hîc figmētis oneras, quibus supra, cum de Pontificibus & Cardinalibus sermo esset; quæ ego iisdem etiam argumentis, quibus supra vsus sum, refutata dabo. *A Principibus, inquis, ad Pontifices, aliosque Principes*

De litteris commendatitiis.

com-

commendationem impetrant. Quid in hoc culpæ? licet hæc tua commentatio vera esset? Cū enim Principes prudentia admodum valcant, hominumq; prudentissimorum consilio vrantur, non facile adduci poterunt, ut Pontifici aut aliis Principibus commendent immerentes, præfertim cum magnis viris indignos commendare, sit opus periculose plenum alce. Minimum enim subit quis apud istos, iacturam existimationis de iudicio & prudentia, si commendet eos, quos satius fuerat amandasse, quàm commendasse: *Hæc commendationes, inquis, solent aut ipsi dictare, aut ad vim suam meliore modo accommodare.* Nimis malè de Principibus & sentis & scribis, Calvinopapista. An putas Principibus nō esse alios Secretarios & Cancellarios, quàm Iesuitas? An putas Iesuitis in aulicis *Cancellariis* licere, quidquid libet? ut arbitrato suo componant, dictent, scribant & rescribant epistolas commendatitias, principesque tam fatuos esse, ut litteras mitti patiantur, si quid veritati dissentaneum contineant? Et quia tam sagax es ad inuestigandum, quænam litteræ commendatitiæ scribantur à commendatis, & quæ à commendantibus: suspi- 4. Reg. 5.
cari subit, te, eadem sagacitate, facile assequi, epistolam, quam tulit Naaman Syrus, à Rege Syriæ, ad Regem Israël, fuisse ab ipso Naamane dictatam, & eo vsque interpolatam, donec ad Naamanis stomachum faceret: Et si interfuisses, quando Nehemias venit in Palæstinam, 2. Esdra 2.
cum litteris commendatitiis, ab Artaxerxe Persarum Rege: tu statim dixisses: Nehemiam, litteras illas dictasse, doloremque tuum & querelasiunxisses cum Sanaballat Horonite, & Tobia seruo Ammanite, egregiis calumniatoribus, qui allatis illis commendatitiis, contristati sunt afflictione magna, quod venisset homo, qui quæretet prosperitatem filiorum Israël. Ex litteris, inquis, occasione arrepta, quæ volunt Principum responsa



L. Accusato-
rum. ff. ad s.
c. Turpill.

Atinut. in O.
Bauo.

effingunt, & in Principum familiaritates facile, velut principum interlocutores, admittuntur. Calumniaris. Nam, ut ille ait, calumniari est falsa crimina intendere; quid autem falsius, quam nos responsa, Principum nomine, ad alios Principes effingere? Nemo potest hoc credere, nisi qui possit audere. Quid enim minus tutum, quam his technis aditum ad gratiam Principum sibi patefacere velle? Crimen falsi non modo committitur, cum Principum constitutiones falsantur, sed & cum, eorum nomine, responsa ad alios feruntur, de quibus ipsi nihil unquam cogitarunt. Neque nos sumus Principum interlocutores, ut tu loqueris. Nihil enim nobis negotij cum negotiis politicis, neque Principes tam à ministerio fido destituti sunt, ut Iesuitas pro rerum suarum internunciis adhibere cogantur: quod si id quandoque aut fit aut factum est, id videlicet grauibus de causis factum est, nec tam in iis, quæ ad politicam externam, quam in iis, quæ ad Ecclesie emolumentum spectant. Nam quod ais, nos quasi Principum iureconsultos, aut consiliarios esse, id nimirum ex eodem, quo cætera mendacia, fonte prodit: Et Iureconsulti, & Consiliarij aulici munus cum munere Ordinis nostri pugnat; & si controuersie de imperio oriantur, inter Prælatos Ecclesiasticos & Principes Politicos, nos nec Prælati nec Principibus operam nostram addicimus: Nihil enim ad professionem nostram tales disceptationes; sed aliis harum controuersiarum notionem libentissimè relinquimus: tantum abest, ut, quod tu nugaris, contemptis Ecclesie præsulibus, à parte secularium Principum stemus. Quid Religioso cum foro externo, & litibus, quibus forum illud perpetuò perstrepat?

De censu quin-
que pro centum.

Constat, inquis, illos Augustæ & Monachij ob principum virorum fauorem, turpiter à iustitie tramite, in materia usurarum deuiasse, ita quidem, ut opus fuerit Pontificis auctoritate, quid

quid in eorum verum esset, contra ipsos declarari. Quæstio Augustæ & Monachij potissimum erat de quinque pro centum, hoc est, de annuo censu in Germania valde vsitato, quo quinque aurei pro centum mutuo datis, salua sorte, quotannis accipi solent. Quæstio, inquam, erat, vtrum contractus iste simpliciter damnandus esset, tanquam vsurarius; an verò modi & rationes iniri possent, & inueniri, quæ illum à crimine vsuræ vindicarent; & legibus iustitiæ non contrarium esse demonstrarent. Aliqui, absque vlla distinctione, hunc contractum damnabāt, tanquam fœneratiuum, iurique & æquo ex diametro repugnātem, ducti suis quibusdam rationibus. Alij mitius sentiebant, & mitius etiam iis, qui consilium super hac re exquirebant, respondendum arbitrabantur, rationesque multas, easque bonas & solidas excogitarunt, quibus contractus ille honestari & licitus fieri posset; quas lector videat apud Gregorium de Valentia, qui præ ceteris in hoc argumento vsurarum & contractuum explanando versatus est, tum in schola publicè docens, tum priuatim à principibus viris consultus, quas suas commentationes postea magna ex parte publici iuris fecit, in tertio tomo disputationum Theologicarum in Secundam Secundæ S. Thomæ: vbi iustitiam variorum contractuum, ut Censuum, Cambiorum, Societatis, & huius ipsius, de quo agimus, eruditè ostendit; Nec quidquam definiuit Pontifex pro hac vel illa parte, ut tu fingis. Nam si quid constituit, vbi tandem est illa constitutio? Qui fit, quod à nemine ex nostris visa? & si quid definiuit, quid tandem definiuit? An contractum illum esse simpliciter illicitum, ita ut nulla conditione licitus fiat? At certo certius est, Pontificem hoc non definiuisse, alioquin Gregorius de Valentia in Commentariis publicis nunquam discessisset

set à definitione Pontificis; nec alij prouinciae huius nostrae Doctores, cum cursu pralectionum Theologicarum ad illam materiam deferuntur, eandem auditoribus explanarent, & sequendam proponerent, sed potius omni contentione refellerent. An definiuit contractum istum posse fieri licitum, prout statuit sententia, quae, ut iam dicebam, apud Theologos in scholis horum locorum, & apud Confessarios in templis obtinuit & inualuit? Atqui, si Pontifex hoc definiuisset, sciuisset id etiam Gregorius de Valentia, qui semel sub Gregorio XIII. hac potissimum de causa Romam profectus est, ut super hac disceptatione Romanorum Theologorum iudicium & sententiam exquireret, & exquisiuit quoque: nec à sua sententia Theologos illos dissidentes reperit: quod ipsemet sapius testatur in disputatione de contractibus: nec omisisset grauissimo Pontificis testimonio suam opinionem confirmare, si talis definitio Pontificis exstaret, nec nos omitteremus, quando in scholis Theologicis idem argumentum auditoribus explicamus.

St. August. lib. 6. contra Faustum, cap. 1.

Cæterum siue quis damnet simpliciter illum contractum, siue dicat eum iniri posse certis modis & conditionibus: quid, obsecro, contra iustitiam delinquit? Nam si prius facias, tunc omni iniustitiae & usurae, quod ad hoc caput attinet, viam obstruis; quandoquidem sublato simpliciter contractu, nulla inde usura existere potest. At si secundam sententiam quis amplectatur, tum, tuo forte iudicio à iustitiae tramite deuiat, quatenus probat contractum, ex quo, tuo iudicio, sequitur postmodum in praxi & usu usura: cumque ita comparatus sis, ut tam turpiter oderis praepceptores, quam ipsa praepcepta, quod de se olim profitebatur Faustus Manichæus: hinc fit, ut Iesuitas, tanquam à iustitiae tramite aberrantes, traducas. Sed mi homo

mo, aliis tibi cinibus opus crit, ut persuadeas, hanc sententiam, usurarum patronam & propugnatricem esse: solucnda tibi erunt firmamenta & argumeta, quibus fulcitur, quod tum opinor facies, cum *dura quercus sudabunt roscida mella.*

Progrediamur iam: *Postquam, inquis, Principum animos occuparunt, ad bonorum acquisitionem pergunt, & interposita auctoritate Pontificum, Monasteria, si quae vacant, aut quasi vacant, inuadunt, & ex Episcoporum manibus eripiunt, diuisis aliquando cum Principibus spoliis.* De translatione Monasteriorum actum iam est supra satis superque. Si Iesuitae non carent apud te culpa, quod Monasteria quaedam possident, cum summi Pontificis & Principum, in quorum ditione sunt; consensu, quo loco apud te erunt sectarij, qui tot Monasteria per summam iniuriam, Deo & hominibus inuitis, diripuerunt, & sub iugum suum miserunt? Deinde nomina quaeso aliquod Monasterium, ab incolis desertum, quod Iesuitae ex Episcoporum manibus eripuerint, ipso Episcopo reluctantante. Sed quid ego queror, quod nos maledictis incessis, cum ipsos Principes lingua petulanti verberes? *Diuidunt, inquis, Iesuitae aliquando spolia Monasteriorum cum principibus. Si, ut inquit Iureconsultus, calumnia causa puniuntur, qui in fraudem alienius librū vel testimoniū, aliudue quid conquisisse vel scripsisse, vel in iudicium protulisse dicuntur, quanto magis poena legis seu Rhemmiae seu Memmiae de calumniatoribus affici debet, qui Catholicos Principes raptores & pradones monasteriorum esse, publicè vociferatur.* Quod si quos alicubi redditus ex Monasteriis Principes percipiunt, faciunt id, approbante summo Pontifice, nec proprij quaestus causa, sed ut vel alumnos in bonum Ecclesiae alant, idoneosque rerum diuinarum ministros educant; vel ut ex il-

De monasteriis & redditibus.

L. ab accusatione. ff. ad S. C. Turpill. L. Accusatorum. ff. eod.

lo vectigali alia expediant, quæ ad gloriam Dei potius, quam ad aulæ magnificentiam spectant. At cur, obsecro, non vertis oculos ad tuos Ministros? qui, vt canit Poëta: *Hac habent consilia, ubi data occasio est, rape, clepe, tene, harpaga, bibe, es, fuge, hoc est eorum opus.* Idem tibi respõsum volo de decimis & aliis redditibus: vbicunque enim tales redditus possidemus, eos, & Principum & Rerumpublicarum consensu, possidemus, non sine Pontificis summi approbatione. Edite vos similes titulos, libèterque non interraptores, sed inter legitimos possessores à nobis numerabimini.

Verùm quod indignaris ex *Cameris*, vt vocant, seu ex ærario Principum, pendi aliquando nostris Collegiis annuũ redditum: id mihi neq; mirum neque insolitum accidit, quia quorum perniciem & interitum optas, eorundem vitæ tolerandæ rationem aliquam probare non potes. Vnde enim tandem vis, vt redditus nostros capiamus? Non placet si ex prædiis Monasteriorum, aut sacerdotiorum aut decimis, & id genus aliis pensionibus, nec vt ex ærario Principum, ipso Principe aut Republica id ita iubente & decernente. Explica ergo tandem, quos redditus nobis, & vnde assignare velis: Fortè mandabis vt precariò victitemus: Atqui domus Professæ Societatis nostræ precariò victitant. Num tibi propterea placent? sed quid verbis opus? Eo modo erga nos affectus es, quo Nicephorus Phocas, monstrum illud hominis in omnes monachos & monasteria, qui lege edita sanciuir, ne quis vllum Monasterium construeret aut dotaret, neue quis heredem scriberet Monasterium: aut etiam Xenodochium, aut Gerontocomium, aut Metropolitim, aut Episcopium. *Ἰδὲν γὰρ ἂν ἐκείνας λυσίτλας.* Nihil enim hoc, nihil penitus eis expedit, aiebat ille impius. Hanc legem tu, & tui

Novell. 2. Exstat post Eclo- gas iuris.

tui similes renouabitis nimirum, exorsi à Iesuitis, tum ad alios quoque paulatim progrediemini: imitati videlicet Manuelem Comnenum, qui cum iam constitutio Nicephori antiquata videretur, eandem renouauit; monachis tam parũ propitius, quam Nicephorus, vt ex Nicera Choniare liquet. At nosse debes, hanc ipsam legem, à Basilio Porphyrogenito Imperatore Græco, abrogaram, & tanquam malorum omnium causam perpetua ignominia notatam. *Nam ex quo lex ista robur habuit, inquit inter cetera Basilius, nihil boni penitus in hodiernum usque diem, vita nostra contigit, sed potius è contrario nullum omnino genus calamitatis intermisit.* Ad extremũ agrè fers, quod Principes aliquando Societatem ciuitatibus & Rebuspublicis cõmendant; & hortatur, vt eius opera ad iuentutis & populi institutionem vtantur. At non est, quod succenseas, si enim possunt Lutherani aut Caluini-ani Principes, pace tua, ciuitatibus & Rebuspublicis cõmendare, quos credunt valere ad euersionem Catholice religionis, liceat itidem nostris Principibus, bona cum tua venia, commendare ciuitatibus & Rebuspublicis illos, quos credunt fidei auitæ conseruandæ & propagandæ prodesse posse. Nam ad ignotos potissimùm eget quis commendatione: vbi virtus & eruditio iam ciuibus probata est & perspecta, tum licet cum Apostolo dicere: *Nunquid egemus commendatiis*

Nicet. lib. 7. de rebus Manuelis.

Basl. Imp. in propria Nouella.

epistolis ad vos, aut ex vobis? Epistola nostra vos estis, scripta in cordibus nostris.

2. Corinth. 3.



CAPVT II.

De rationibus agendi Iesuitarum cum populo.

3. August. lib. 10. contra Faustum, cap. 1.

Proverb. 10.

Ecclesiast. 7.

Ribad. lib. 5. cap. 11.

QUOD S. Augustinus dixit de Fausto Manicheo, hoc ego pari iure dicere possum de isto pseudocatholico. *Eadem sepe vana repetere istum non pudet; sed eadem sepe quamuis vera respondere me piget. Nobiliores populi captant, inquis, eo modo, quo Curtales. Tu vero, eo modo, quo antea, mendacia captas. Nec illud Salomonis reputas: qui nititur mendaciis, hic pascit ventos. Idem autem ipse, sequitur aues volantes. simile quiddam dixit de mendaci alicubi Aristoteles.*

Vt sibi, inquis, nobiles deuinciant, promittunt fauorē Principum, & promotionem in aulis. Noli amare mendacium aduersus fratrem tuū, monet Ecclesiasticus, neq; in amicum similiter facias. Aliter instituti sumus à Patre nostro Ignatio, de quo hæc Ribadencira: Religiosi hominis officium affirmabat esse, ab aulica vita (ad quam, tanquam ad Sirenium scopulos quidam adherescunt) homines, ad Christum potius abducere, quam in illam quenquam inducere; Ipse vero operam suam ad Principum gratiam aucupandam, vel in eorum aulas intrandum petentibus, respondebat; Ego quidem præstantiorem Dominum nullum scio, quam eum, quem mihi ipse elegi: ad hunc vos si applicare cupitis, libentissimè meum omne studium præstabo.

Eosdem, inquis, compellunt ad sua templa adeunda & frequentanda: Monet Ecclesiasticus: vtinam monenti obediens: noli velle mentiri omne mendacium, assiduitas enim eius, non est bona. Nomina vel vnum, nobili stirpe progenitum, qui coactus fuerit sacra, nostris in templis, obire.

Addis:

*Addis: si de vtuntur adiutoribus & ministris, si qua in ciuitate nidificare velint. Nō est opus anxie nidos quærere: etiā non quærentibus, plures offeruntur, & exstruuntur, quā Hæretici, aut pseudocatholici, aut inuidi ferre queant: Non rātum ad Abrahamū pertinet illa pmissio Dei, etiam iureiurando firmata: *Benedicens benedicam te, & multiplicans multiplicabo te:* sed & ad Religiosos, qui secundum fidem filij sunt Abrahamæ. *Nolunt se, inquis, ubi degunt, obligare cuiquam: vt omnia pro sua libidine agant. Quid tum? licet nos non obligemus, attamen non minus omnia fideliter præstamus, quam si omnium obligationum vinculis ad hoc essemus adstricti: sat obligationis arbitror est ipsa religionis, & gratitudinis, & charitatis in Deum & proximum obligatio, quæ tam firmis nexibus nos ligant, vt nihil eorum intermittamus, quæ instituti nostri ratio, & grata mens in fundatores exigunt. Deinde hic etiam doces, quam suavis tibi sit panis mēdaciij, quo infarciris, licet postea os tuum impleatur calculo. Non enim omnes obligationes vetant nostræ Constitutiones; nam obligationes dandi cōcionatoris, confessarij, professoris, Generali consentiente & approbante, suscipi possunt, vt norūt, qui Cōstitutiones & consuetudines Societatis norunt. Grauior est accusatio, quæ sequitur, sed non minus à veritate abhorrens: *Si ob certarum rerum penuriam, communi edicto caueatur, ne quis in eo genere, quantum voluerit, sed ad certam mensuram, personarum habita proportione, coemat; ea queratione, ad maius incommodum vitandum, minus singuli libenter subeant, nolunt omnino illi his legibus teneri, tandemq; per fas & nefas, nobiliū & Principum interuentu, easdem excutiunt, ac contra ipsorum priuilegia esse decantant. Qui loquitur mendacia, peribit, inquit Salomon; Eundem finē verecitis oportet, nisi cum vero in gratiā reuertaris.***

Hebr. 6.

De obligationibus Societatis.

Proverb. 20.

Proverb. 19.

Sed ipsam accusationem excutiamus; primùm, si à Principe aut Legislatore, à lege illa excipimur, immeritò igitur nos arguis, quod legem illam non obseruemus. Nam dispensatio tollit obligationem. *At iniuste*, inquis, vos eximit Princeps. Iam ergo tibi non tam nobiscum, quàm cum Principe contentio est, quem ab omni prauo affectu liberū, credibile est, melius perspicere, quosnam à lege lata excipere meritò queat, quàm te, qui liuore excæcatus es, sicut Polyphemus ab Vlyseo stipite. *At Iesuitæ blandis precibus Principes à recto dimouent.* Rursus cum Legislatore pugnas; An tu tam mobilem censes, vt patiatur, se toties transuersum abripi, dispensationesque toti cõmunitati noxias aut imperet, aut ipsemet impertiat? Secundò, estne contra priuilegia nostra, si Princeps aut Magistratus quispiam, boni publici causa, legem ferat? Anne priuilegia nostra bonum commune impediunt? Nullum certè noui priuilegium, quod nos eximat ab obseruatione legis in publicum commodum euidèter rogatæ, & ad res emendas vel vendendas in foro rerum venalium pertinentis. Tertio, si lex permittat, vt quis tantum emat, quantum familiæ necessitas postulat, considerato personarum numero, igitur nihil in legem committimus, quia in foro nihil emimus, quod amplius sit, quàm incolarum multitudo poscat. *Etsi animas*, inquis, *se querere profiteantur, in locis obscuris & pauperculis, sit quantauis animarum multitudo; habitare nolunt.* Si locus sit accommodatus nostris ministeriis Scholasticis & Ecclesiasticis, nullum locum, quantumuis obscurum & ignobilem, refugimus, quod testantur multa collegia non admodū claris & magnis in vrbibus exædificata; Cùm verò in celebrioribus oppidis maior functionum nostrarum obeundarum occasio subministratur; mirum non est,

est, si in his potius, quàm in aliis nostri sedes figant. Nullus tamen locus, nullusque pagus tam abiectus est, quo nostri promptè se non conferant, si vel concionum, vel confessionum, vel alterius pij ministerij gratia aduocentur. Nam quod ais: *Nos Religionis & pietatis opera, pauperculis non ita facile exhibere, neq; ipsos ad nos admittere:* doleo inprimis, te vnum, vel potius duo esse ex illis sex, quæ odit Dominus: *Linguam videlicet mendacem, & proferentem mēdacia testem fallacem; Vt & paulò pòst, cùm testaris, pauperiores ex scholis nostris excludi, vel ita tractari, vt cogantur abire:* Secundò; quotidianus Societatis vsus, & omnia Gymnasia, quæ per Germaniam aperuimus, falsitatis te coarguunt. Tertio, quod sine arrogantia dictum volo, si audes, huc venito, & è vestigio efficiam, vt plures egeni te circumstent, qui Societatis beneficētiam prædicent, teque mendacij conuincant, quàm circumsteterūt sanctum Petrum; vt Tabithæ liberalitatem, & eleemosynas extollerent. Quarto, idem quod tu hîc nobis; obicerunt iam olim calumniatores Religiosis Ordinis Minorum, quibus his verbis satisfacit eiusdem Ordinis eximius Doctor S. Bonauentura; *Respondeo, Deus pusillum fecit equaliter & magnum, & equaliter est illi cura de omnibus, in quantum factura eius sunt, ac ad salutem pertinent sempiternam.* Ideo igitur nos omnes diligere debemus in Domino, & tam diuitem, quàm pauperum salutem desiderare, & pro posse nostro promouere, sicut expedit his & illis; Vnde si pauper melior est diuite, plus debemus eum diligere, tamen diuitem plus honorare quadruplici ratione. Vna, quia cùm Deus in hoc seculo diuites & potentes pratulit pauperibus, quoad mundi gloriam, ubi est necesse alios altis subesse vel præesse, nos honorando potentes, eius ordinationi concordamus, quos & ipse Deus honorauit in hac parte. Alia ratio, propter infirmitatem ipsorum di-

Proverb. 6.

Societas non negligit egenos.

Act. 9.

aitum, qui si non honorarentur, indignando magis infirmarentur, & deteriores efficerentur, & grauamen nobis, & aliis pauperibus, inferrent, ne quod offendiculum deuius infirmis, ne per nos deteriores fiant, qui omnes debemus potius ad meliora trahere & prouocare. Tertia: quia maior utilitas prouenit ex correctione unius diuitis, quam plurium pauperum. Pauperis enim salus sibi met prodest, diues autem emendatus multis prodest, tam propter exemplum aliorum, qui inde adificantur & prouocantur ad bonum, quam propter alia bona, quae per eum promouentur in aliis, & mala impediuntur. Qualis rector ciuitatis, tales habitantes in ea. Conuersio Constantini Imperatoris ad fidem, plus profuit Ecclesiae in pluribus, quam multorum aliorum. Quarta: Cum à diuitibus plus recipiamus de corporali subsidio, eò quod magis abundant in talibus, iustum est, ut & eis vicem rependamus, & prouocantes simus eis ad obsequia specialia impendenda: pauperes etiam facilius expediuntur, quia tantis perplexitatibus non ligantur, diuites uero pluribus laqueis irretiti, frequentioribus & diligentioribus indigent consiliis, ideo necesse est, nos circa illos studiosius occupari, ne profundius in peccato mergantur; Nam ut dictum est iam, qui potentem in bono promouet, multos iuuat: sic è conuerso, ipsius subuersio multorum est detrimentum. Hæc sanctus ille Doctor.

In concionibus dicuntur, inquis, singulare aliquid in populo obseruare, quod carpant, id est, egregie dilatate, ubi populum ad uoluntatem suam compositum non habeant: ubi uero omnia pro uoluntate consequuntur, omnia, ut integra, probare. Primum, nescio quid sibi uelit istud tuum dicuntur, fertur, & similia, quæ antea parcius vsurpans, nunc tertio quoque uerbo inculcas. An nullum Iesuitam, ex superiore loco, ad circumfusam coronam uerba facere audiuit in Italia aut Germania? An conuicia, quæ fundis ex auditu solo fundis? An isto tuo dicuntur & fertur, putas te impro-

bita-

bitatem tuam celare posse, ut suspicemur, te minimè esse eum, qui es; cum de Iesuitis ita scribas & loquaris, quasi nullum unquam Iesuitam in cathedra scholæ aut templi uideris? Ita nimirum agere consueuerunt improbi. Ita uxor Hieroboam commutat habitum, hortatu mariti sui, ne cognoscatur, quod sit uxor Hieroboam: sed deprehensa à viro Dei audit illud: *Quare aliam te esse simulas?* sic Spitharius Regis Totilæ, dum Totilam se mentitur, à S. Benedicto proditur his uocibus: *Pone sili, pone hoc, quod portas, non est tuum.* Pari modo & tu, pone laruam, qua uultum obnubis. Scimus primùm quis sis; scimus item te Hæreticum, non Catholicum esse, quare alium te esse simulas? Verùm ut ad commenta tua regrediar: quæ, oro, hæc populi conciliandi ratio, populum, eiusque uicia pro concione exagitare? An criminum enumeratio aut exprobratio beneuolentiam parit; præsertim apud imperitam multitudinem, quæ si ullius rei est impatiens, huius quam maximè impatiens esse solet? Quæ item leuitas dicentis esset, si quod prius summa uocis & laterum contentione improbasset, postea comprobaret, & eisdem auditoribus amplectendum proponeret? Nunquid *fontes de eodem fontamine emanat dulcem & amarum aquam?* ait S. Iacobus.

Sed probat commentitiam suam assertionem exemplo cuiusdam Concionatoris Mediolanensis, qui primùm acriter in mundum & contemptum foeminarum inuectus, postea uela uertit, eundemque summoperè extulit, & ut mulieres sese eximie ornarent hortatus est; Et si percontaris, unde hoc norit; expeditè respondet: *Fertur.* Occurrunt hæc uerba S. Hieronymi, in Ioannem Hierosolymitanum: *Sycophantam iactitat, & ne probare cogatur, audisse se dicit (fertur, inquit) & mihi liberet dicere, quæ multi clamitant, & aliorum maledictis acquiescerem, iam & nos intelligeret*



geret scire, quæ omnes sciunt, & me quoque audire, quæ nullus ignorat. Acrius opinor, Ecclesiastes ille inuectus non est in mulieres, earumque ornatum, quàm Ecclesiasticus; & Isaias, & in multis Homiliis S. Ioannes Chrysostomus, & in suo Pædagogo Clemens Alexandrinus; ubi inter cetera ait; per cultum & mūdum ex fæminis effici meretrices, & ex viris androgynos, & adulteros. At quod postea ad luxum ornamentorum exhortatus sit, à quo prius fuerat dehortatus, quis credat, qui te cauponem calumniarum esse norit? *Difficile exuitur negotians à negligentia*, inquit Ecclesiasticus, & non iustificabitur caupo à peccatis labiorum. Quid per peccata labiorum intelligat, intelligis, nisi fallor, quia, ut dicebam, cauponaris. Quis sibi persuadeat publicum concionatorem, tali loco, tam celebri & frequenti, ubi tot eruditione præstantes viri, singula etiam dicentis verba ponderant, commendare aliquid, quod Apostolo aduersa frōte aduersetur? Iste enim Spiritu sancto institutus, ornatum mediocrem mulierum non modò laudat, sed & mandat: nimium non modò non probat, sed & damnat; *Similiter & mulieres*, inquit, *in habitu ornato, cum verecundia & sobrietate ornantes se, non in tortis crinibus, aut auro, aut margaritis, vel veste pretiosa; sed quod decet mulieres, promittentes pietatem per opera bona.* Hoc præceptum Apostolicum, quia obseruauit concionator ille, primūque ab immodico comptu fœminas absterruit; & postea ad modicum & honestum commouit, hinc tibi visus est, ex eodem pulpito contraria sparsisse, & vituperationem vitij in prædicationem commutasse; & quidem *obmissa munera.* Non te terret terribilis illa in Apocalypsi vox, quæ à cœlesti ciuitate, scelestos, & in his etiam mēdaces, excludit? *Foris canes & venefici, & impudici, & homicidæ, & idolis seruietes, & omnis qui amat, aut facit mēdaciū.* Quid enim

Ecclef. 25.

Isaia 3.

Clem. lib. 3. c. 2.

Ecclef. 26.

1. Tim. 1.

Apoc. 22.

enim à vero alienius, quàm vllum virū probum, nedum Religiosum, muneribus eò abduci posse, vt, quod Apostolus dissuasit, ipse suadeat; quod reprehēdit, ipse commendet? Fortè à S. Paulo donis impetratum fuit, vt mulieribus ornatum habitum præscriberet. Lupus Cappucinus, quem testem laudas, acriter morderet te, nihil dubito, si viueret; Et Cardinalis Borromæus à te citatus, testimonio suo te non iuaret, sed legem illam Valentini & Martiani aduersus te imploraret. *Eos, qui Ecclesiarum Catholicarū Clerici, vel Orthodoxæ fidei Monachi, relicto vero Orthodoxæ religionis cultu, Apollinaris vel Eutychetis (Lutheri vel Caluini) heresin & dogmata abominanda secuti fuerint, omnibus panis, quæ prioribus legibus aduersus Hereticos constituta sunt, iubemus teneri, & extra ipsum quoque Romani imperij solum repelli, sicut de Manichæis præcedentium legum statuta sanxerunt.*

L. Eos. C. de Apostatis.

Addis: *Illud quoque dicuntur in concionibus opportunè iniicere, nec nobiles apud Principes, nec fæminas apud viros, nec seruos apud Dominos, bonæ fidei opinionem melius acquisituros & conseruatuos, quàm si frequēter confiteantur, apud eos, præsertim, qui hoc sacramentum accuratè tractant, seipos intelligunt.* Perdes omnes qui loquuntur mendacium, ait B. Dauid, Deum alloquens; Quis vnquā talia ex vllō Iesuita ad auditores suos verba faciente audiuit? quasi verò confessio obeunda sit, vt quis Principes sibi addictos & fauentes habeat? quasi hunc duntaxat in vsum hoc salutis remedium sit paratum & institutum? *Dicuntur*, inquis: Ergo ex aliis dūtaxat hoc audiisti, sed iam dixi, quid sub hoc tuo dicuntur delitescat. *Poteram & ego*, inquit S. Hieronymus in Ruffinum, *in te falsa congerere, & dicere me vel audiuisse vel vidisse, quæ nullus norat, vt apud ignorantes impudentia, veritas, & furor, constantia diceretur.* Quibus de rebus potissimum nostri concionatores verba facere debeant, ita

De concionibus nostrorum.

psalm. 5.

S. Hier. lib. 3. contra Ruffin.

præcipitur iisdem ex institutione nostri P. Ignatij, *Ea populo proponant, quæ ad captum & utilitatem auditorum erunt accommodata, iisque insistant, quæ ad Christianam institutionem, atq; ad extirpanda vitia & inserendas virtutes valent: & à rerum subtilium curiosa tractatione se abstineant. Commendare debent Confessionis & Eucharistia frequentem usum, in bonis operibus profectum & perseverantiam: Ecclesiasticarum exremoniarum observationem, & cætera, quæ ad cultum diuinum pertinent. Hæc regula. Vbi nihil de illo confessionis sine, quem tu comminisceris.*

Porro, quæ adiungis de modo, quem teneamus cum confitentibus, & de expilatione vetularum, & de aucupatione bonorum; si quæ fortè sint restituenda legitimis dominis, meræ criminationes sunt, cõtra illud Domini, *Non eris criminator, nec susurro in populo:* quibus refutandis non immorabor, quia easdem à Lermæo Calvinista allatas non pridem fusè refelli, lector inde petat. Illud tamen, quod in specie adiungit de Casparo Lambertengo, non est prætereundum silentio. Mortua coniuge dicauerat is se, suasque fortunas, quæ satis copiosæ, Deo, in Societate Mediolani; vnica filiola, quam ex matrimonio susceperat in Monasterio quodam collocata, vt ibi educaretur, donec grãdior natu deliberare posset, quodnam genus vitæ amplecti veller, destinata etiam cum in finè, vt par erat, satis grandi pecuniæ summa. Hoc factum iste concoquere nequit, duplici de causa: tum quia Caspar ille Societatis institutũ sibi delegit, tum quia eidem res suas consecrauit. Ait: *Fuisse à Iesuitis deceptum & dementatum.* Hæc vetus cantilena est omnium Hæreticorum, & hostium religiosi nominis, qui vitæ in melius commutationem insanix deputant; & quidquid opum in Religiosas ædes infertur, perditum censent. Non ita veteres, quibus pietas & religio cordi. Hinc Iustinianus res

Leuit. 19.

In Apolog. contra Lermanum.

Historia de Casparo Lambertengo.

Mona-

Monachorum & Monialium ita Monasteriorũ esse voluit, vt licet postea inde discederent, facultates tamen semel illatæ, exeuntes minimè sequerentur. *Si quis autem semel dedicatus habitusq; potitus, deinde à monasterio discedere voluerit, inquit Imperator, & priuatam fortassis eligere vitam; ipse quidem sciet, quam pro hoc dabit Deo satisfactionem: Res autem, quæcunq; habuerit, dum in Monasterium intrabat, ea dominij sint Monasterij, & nihil inde penitus efferat. Illud quoq; decernimus, eum, qui in Monasterium introire voluerit, antequam Monasterium ingrediatur, licet iam habere suis uti, quo voluerit modo: Ingredientem namq; simul sequuntur omnino res, licet non expressim, cum introduceret eas, dixerit; & non erit Dominus earum vltterius vlllo modo. Si verò filios habuerit, si quidem contigerit iam eum res aliquas donasse eis, aut per antenuptialem donationem, aut per dotis occasionem contulisse, & faciant hæc quartam ab intestato eius substantia partem, nullum in reliquis rebus habeant participium filij, sin autem nihil eis donauerit, aut minus quarta, & postquam abrenunciã conuersatus fuerit inter Monachos, nihilominus quarta debetur filiis, vt aut in totum eis detur; aut se contingat eos iam aliquam accepisse, suppleatur. Si autem uxorem habens, deinde eam relinquens, in Monasterium ingrediatur, & dos mulieri seruetur, & ex morte pactum, vt in alia nostra sanciuimus constitutione. Omnibus, quæ super Monachis dicta sunt, & in mulieribus Monasterium ingredientibus valituris. Si verò relinquens monasterium ad quandam veniat militiam, aut ad aliam vitæ rationem: substantia eius etiam sic in monasterio, secundũ quod à nobis prius dictum est, remanente; ipse inter officiales clarissimi prouincia iudicis statuetur, & hunc habebit mutationis fructum, quod pro sacro ministerio despecto, tribunalis terreni obseruet seruitium. Si verò relinquens Monasterium, in quo conuersationem habuerit, ad aliud transeat Monasterium: etiam sic quidem eius substantia maneat, & vindicetur à priori*

Iustin. Nonell. 5. Similitan legibus Francicis, lib. 5. cap. 226. & seq.

d 2

mona-

20. 9. 3. c. 51
7na.

monasterio, ubi abrenunciavit hanc reliquit. Ita Iustinianus. Similia decrevit Nouell. 123. & exstant apud Gratianum.

Hæc eo consilio adscripsi, ut calumniatores videant, olim non tantum bona eorum, qui Monachi fiebant, tunc fuisse monasterij, cum ipsi ea liberè donarent, sed eo ipso pertinuisse ad ius Monasterij, quod quæ monasterium ingrederetur, quod longè maius est: quàm id, quod conuiciator iste tanto studio, in nobis, & aliis quibusdam Religiosis carpit. Quasi verò nouum sit, ut ij, qui religionem amplectuntur, eidem sua bona, si quæ habent, vel liberè donent, vel etiam dare debeant, si in ordinem velint recipi. D. Benedictus, ut in vita S. Placidi legitur, bona quæ fuerant Monachorum suorum, non sinebat alio deriuari, quàm ad sua monasteria, ut inde multos alios Dei seruos alere possent: Quàm opulentum patrimonium idem Placidus ad monasterium secum attulerit, docebit te vita illius, si euoluere velis. Ostenditur, inquit S. Bernardus, terra, quæ cum illo & pro illo dicitur data fuisse. Perspicuum itidè est, ex varijs S. Augustini testimonijs, prius monasterijs vsitatū fuisse, ut acciperent, si quid in commune dare volebāt, qui Monachi fiebant. Hinc epist. 109. ad Sanctimoniales ita scribit: *Quæ aliquid habebant in seculo, quando ingressæ sunt Monasterium, libenter velint illud esse commune.* Alibi: *Viuent, inquit, in Societate nobiscum communi, & nemo eos distinguit ab ijs, qui aliquid attulerunt.* Alibi ait: *Diuites non teneri ad opus manuum, quia monasterio bona sua contulerunt.* Similia in Regula. Cæterum hos oēs tu in numero demētium, & dementatorū & fascinatorū pones; ut & illos, qui in primæua Ecclesia res suas vendebant, & pretia in cōmune conferebant, & ad pedes Apostolorum ponebant. Solus tu cū Iuda, Anania & Saphira, alijsq; ex eadem tribu, sapijs, quibus maior est voluptas ex monasterijs manibus vel proprijs vel alienis clepere, quàm aliquid inuhere.

S. Bern. epist. 1.
ad Robert.

S. Aug. Serm.
2. de comm. Si-
ra Clericorum.
Lib. de opere
Monach. c. 25.

At

At quod ais, nostros tentasse, ut *reluctantem quoque filiam Caspari in Monasterio detinerent, & ad professionē adigerent*, quò hæreditate illius potirentur: id cæteris tuis figmentis accenseatur: Nec effutiuisles hoc, si illud Salomonis perpendisses: *Abominatio est Domino labia mendacia.* Aut illud Sapientis: *Os quod mentitur, occidit animam.* Quis enim non dicam Religiosus, sed vel modicè Christiana Religione tinctus, nescit fas non esse, ut quis repugnās & inuitus cogatur ad monastici status professionem: quæ cum totius vitæ decursum amplectatur, & sub alterius nutum, & quasi ditionem redigat, non nisi summa deliberatione & voluntate suscipi debet. Et si vsquā locum habet illud: *Voluntariè sacrificabo tibi*, hinc maximè locum habet. De S. Augustino memoriæ prodidit Possidonius, cum, *nunquam cuiquam uxorem poscere, aut in militia nomen suum dare volenti, commendationem dare solitum*, cuius hanc reddebat causam: *ne dum inter se coniugati casu iurgarent, inquit Possidonius, & eum malediceret, per quem coniuncti essent. Et ne militiae commendatus suam culpam malè agens suffragatori tribueret.* Si S. Augustinus tantam cautionem adhibuit in temporali matrimonio & militia concilianda, quanta adhibenda erit, in spiritali: quæ longè grauior, nec missionem sperare potest propter perpetuitatem; nec quietem propter sacramentum, quo quis sese ad labores adstrinxit, quoad vita durat. Nullus per vim tondeatur, inquit ius Canonicum, *nisi in legitima aetate, & spontanea voluntate*: quia, ut rectè ait Nicolaus Pontifex, de hoc ipso argumento tractans: *Quod quis non eligit, non diligit; quod autem non diligit, facile contemnit: nullum quippe bonum, nisi voluntarium.* Idcirco Dominus non ferendam in via virgam, per quam violentia vlli inferatur, precipit. Hæc & id genus alia non ignorant no-

Proverb. 12.

Sapient. 1.

Possid. in Vita
S. August.

C. Nullus. de
Regul. Side ca.
Criminus, co.
111.

20 quasi 3 ca.
Præsent. Cleri-
cui.

d 3

stri;

Concil. Tridēt.
Sess. 25. de Reg.
cap. 18.

stri: quare credibile est, te hinc esse eundem, qui es ubique: hoc est dolosum, calumniosum, & mendacem, præsertim cum nostros non latuerit, quid Concilium Tridentinum de hac re decreuerit: *Anathemati sancta Synodus subiicit omnes & singulas personas, cuiuscunque qualitatis vel conditionis fuerint, tam Clericos quam laicos, saculares, vel Regulares, atque etiam qualibet dignitate fungentes, si quomodo-cunque, coegerint aliquam virginem, aut viduam, aut aliam quamcunque mulierem inuitam, præterquam in casibus in iure expressis, ad ingrediendum monasterium, vel ad suscipiendum habitum cuiuscunque Religionis, vel ad emittendam professionem: quique consilium, auxilium, vel fauorem dederint: quiq. ferentes eam non sponte ingredi Monasterium, aut habitum suscipere, aut professionem emittere: quoquo modo eidem actui vel presentiam, vel consensum, vel auctoritatem interposuerint.* Hæc Concilium Tridentinum.

De scholis Societatis.

Ram. I.

Nunc ad scholas nostras conuiciis tuis infamandas progredieris: *Omnem, inquis, dant operam, ut ditiorum filij ad ipsos mittantur: eos mirifice apud parentes laudant, & singulari ingenio præditos esse decantant: E contra pauperiores, nisi corporis forma excellant, mox ingenio carere, & tempus inutiliter perdere decantant, meliusq. esse, ut arti alicui addiscenda tradantur. Sapientibus & insipientibus debitor sum, inquit Apostolus, noster item Ordo opulentis & egenis: à quo, debitum hoc fideliter exsolui, testantur ipse nostre scholæ: adeat, qui volet, & videat, num inopes excludantur; vel an illis minus amoris, diligentia & operæ impendatur, ac iis, quos sanguis opesque decorant. Non opus est mea defensione: non est necesse rem planam argumentando & conuicia amoliendo dubiam facere: Societas IESV, illud IESV usurpat tam in scholis, cum literas, quam extra scholas, cum Christianæ fidei rudimenta tradit: Si-*

mit

mitte paruulos, hoc est, despectos & ignobiles, venire ad me, talium est enim regnum caelorum. Nec magis prædicamus ingenia diuitum apud parentes, quam pauperum, si æqualem laudem mereantur: pari que industria ad literas & decus virtutis tendant: nec multum curamus, siue quis sit Nireus forma, siue Therfites: dummodo moribus & ingenio non sit Therfites: quandoquidem, ut sub agresti forma corporis aliquando summa ingenia latent; ita sub pulchella specie nonnunquam vel nihil vel parum cerebri reperitur; Apud te, tuique similes Terentianos Chæreas, *formosa facies muta commendatio est;* apud religiosum; commendatio est formosus, & ad disciplinas capeffendas facilis, & idoneus animus: sed conuicium, & quidem atrox Iesuitis facere debuisti, quasi essent *spectatores formarum.* Verum nihil præter consuetudinem tuam actitas, quia, *isthic est thesaurus stultis in lingua situs, ut quæstui habeant malè loqui melioribus.* Ex quo thesauro mox largiter rursus maledicta depromis, cum de collegiis Conuictorum, & de Seminariis loqueris.

Ais enim, nos contraria facere iis, quæ profitemur. *Profitentur, inquis, se nihil emolumenti inde accepturos.* Ita est, profitemur hoc, & nisi fallor, quod profitemur, præstamus: *Alunt, inquis, in iis Rectores, Ministros, Viceministros, Repetitores & Præfectos.* Quid tum? An propterea violamus id, quod promittimus? An propterea ad Societatem redit vllum ex huiusmodi domiciliis emolumentum? Nam quod illi, qui iuuentuti præsumt, ex eiusmodi sumptibus sustentantur, id tam æquum est, quam quod æquissimum. Cuius enim Collegij aut Rector aut Regens aut Præsides, in vlla Academia, non vinit ex collegij, quod administrat, prouentibus; siue illi sint fixi & stabiles, siue incerti, & pro numero incolarum, crescere aut

De Collegiis
Conuictorum.

re aut minui consueti; vt ferè fit in domibus Conuictorum in his vltimontanis regionibus? Quis non ex iisdem prouentibus, tot sibi adiutores adseiscit, quot sibi ad rectam gubernationem necessarios esse videt? Cur ergo crimini nobis das, quod in aliis laudas: vel potius non laudas, dum enim nos reprehendis, illos etiam, vel inscius, reprehendis, imitatus Celsum Epicureum, qui & ipse reprehendendo Christianos, eò, furore ebrius, procedebat, vt non animaduerneret, se suos etiam eadem reprehensione ferire: nam cum calumniator ille accusaret Christianos quod dicerent; *Omnia facta à Deo propter hominem.* Respondit Origenes: *Videtur mihi perinde loqui, atq; hi, qui odio inimicorum vituperant etiam, quæ in amicis ipsorum sunt laudatissima; nam sicut hos excæcat odium, ne videant interim à se accusari homines amicissimos, dum putant se inimicis malè loqui: Eodem modo Celsus, confusus ratione, non vidit se obtrectare Stoicis, rectè præponentibus hominem, & in totum rationalem naturam, brutis omnibus: quandoquidem propter hanc aiunt à prouidentia omnia condita.*

Dices fortè; *Alios non profiteri, se nihil emolumentum inde capere, at hoc nos profiteri;* Vtique profiteamur hoc, at professionem non violamus: quæ enim ad domos, quæ Societatis sunt, inde vtilitas redundat? imò potius magna incommoda hinc Societati existunt: cum alias ob causas, tum quia non rarò, eorum operâ, quos huic administrationi addicit, alibi, & quidem fructuosius, vti possent. Nam quod insinuas, nostros, qui Philosophiæ & Theologiæ student, in his Seminariis educari, ne Collegiis nostris sint oneri; id falsum est. Nullus enim vnquam ad ædes Conuictorum aut Seminaria habitandi causa ablegatur, nisi eius ope Rector aut Regens egeat, ita, vt quod Sapiens ait de forti illa muliere: hoc quiuis de se verè prædi-

Orig. lib. 4.
contra Cel-
sum.

prædicare queat: *Panem otiosus non comedi.* Accipiunt, in-
quis, aliquando mutuo ab his ædibus, nec in rationum libros re-
ferunt, & libenter obliuioni tradunt, quandoq; etiam largas eleemosynas inde exportant: At licet nostri in libros dati & accepti id nõ referrent, Deus certè referret, qui hoc obliuisci nec posset, si vellet, nec vellet, si posset: diceretq; tam ei, qui dedisset; quàm ei, qui accepisset; *Redde rationem villicationis tuæ, iam enim amplius non poteris villicare:* hancque rationem eò seuerius exigeret, quo certius est, nostris prohibitum esse, ne quid huiusmodi ex ædibus aut Seminariis interuertant, & suos in vsus conuertant. Nec pro Generali, nec pro Secretaria Romana, nec pro Nouitiis, (quæ tria tu per parenthesis in crimen vocas) quidquam ex his vestigalibus decerpere licet. At quod ais, *nostris facillè mutui restituendi obliuionem obrepere;* ea obliuio tam facilis non est, quàm tibi videtur; Non enim desunt monitores, qui moneant, cum externi, tum interni: Et debira, præsertim grandia, tam facillè in obliuionem non veniunt, nisi crassam, supinam aut affectatam, quæ nullo iure à solutione excusat. Oprabat Themistocles, nisi fallor, potius artem obliuiscendi, quàm reminiscendi; quasi illa sit longè difficilior, quàm ista. Quod si ex te sciscitarer, vtrum nominare possis locum, vbi nostri ex Conuictorum collegiis aut seminariis, tam grandem summam pecuniæ, aut mutui nunquam reddendi aut eleemosynæ nomine acceperint, satis scio, nullum locum signatè exprimere posses, nisi ea fronte, hoc est, perfricta, mendaci & impudenti, qua ipsum factum asseris: licet, si locum & personas denotares, nullius negotij esset, ad fraudis & sycophantiæ tuæ cubilia peruenire: propterea diligenter das operam, vt in thesi verferis, relicta hypothesis, tanquam tibi valde aduersa, & instituto mentiendi non ad-

Proverb. 31.

Luca 16.



L. lege Julia ff. ad leg. Jul. pecul.

L. pecul. ff. eod.

De iis, qui in Societatem adscribuntur.

modum accommodata. Quod si huius, quo nos teneri conuiciaris, delicti conuincere nos poteris, non deprecabimur pœnas peculatoribus decretas lege Iulia, qua cauetur, ne quis, *ex pecunia sacra, religiosa, publicaq; auferat, neue intercipiat, neue in rem suam vertat, neue faciat, quo quis auferat, intercipiat, uel in rem suam vertat*: nam & nobis pecunia seminariorum & domuum, quas cõuictores incolunt, sacra est & religiosa. Vis autem scire, quæ poena istos maneat? *Peculatus pœna, inquit lex, aqua & ignis interdictionem, in quam hodie successit deportatio, continet: Porro qui in eum statum deducitur, sicut omnia pristina iura, ita & bona amittit.*

Publicè prostentur, inquis, se neminem è Conuictoribus aut alumnis ad Societatem suam sine eorum, quorum interest, consensu admissuros. Quod ad alumnos attinet: si alicui Domino & Mecænati obligati sint, publicè fatemur, nos nullum in Societatem adscripturos, nisi cum patronorum consensu: & quod prostemur, id sanctè seruamus; neque tu vllum vnquam produces alumnus, quem patrono inuito & insciente, nostri in nostrum Ordinem cooptarint, si patrono peculiari aliqua obligatione obstrictus fuerit: tales enim in nostrum album referre, repugnat directè nostris Constitutionibus, quarum longè rigidiores custodes sumus, præsertim hoc casu, quàm tu arbitreris. Inter cætera enim, quæ proponuntur eis, qui Societatem petunt, etiam hoc vnum caput est, *num aliquas obligationes habeant.* Reliquos conuictores non facile admittimus, nisi impetrato eorũ consensu, quorum id interest. Cæterum non nego, eas loci, temporis, personarum circumstantias incidere & concurrere posse, vt etiam, insciis parentibus; aut aliis, sub quorum cura degunt, voti compotes fiant: & ex sæculi huius tempestati-

bus,

bus, ad quietũ Religionis portũ subducantur: At tu hoc in crimine ponis. Ita videlicet solent Heretici. Ita & illi, quibus mundus cum suis cõcupiscentiis potior & charior, quàm Deus. Aliter qui nõ carne, sed spiritu ducuntur; Nam filijs licitum esse, parèribus inuitis, religionẽ ingredi, res certa est, ex sacris literis, ex Canonibus, ex doctrina sanctorũ Patrum, & partim quoq; exẽplo, ac ex ratione: nam potest quis, inuitis parentibus, nõ modò validè, sed & nõ rarò licitè contrahere matrimonium: quod nec ore, nec mente inficiaberis, si Catholicam fidem sincero corde sequeris: si autem, vt es, pseudocatholicus es, saltem verbis non prodes, quod animo tegis. Cur igitur inuitis parentibus nequeat quis, mundo multa salute dicta, religiosum habitum induere? Potest alter coniugum matrimonio rato, non consummato, conditioni renunciare, & statum sæcularem in Religiosum commutare, quantumuis altera pars reclamet, & obluetetur: id quod sacrorum Canonum decretis firmatum est, & vsu fidelium comprobatum. Cur igitur alicui, si nullo adhuc vinculo irretitus est, non sit potestas amplectendi statum religionis, quantumuis parentes obsistant; si ad eum se transferre potest, quantumuis coniunx obsistat; cui vt adhæreat, non iniuria (quippe iure diuinitus concessio) *relinquere potest homo patrẽ suum & matrẽ suam*, etiãsi desertionem illam agrè ferant? Sed ne actum agam, superfedeo de hoc argumento plura dicere: quia copiosè à Bellarmino tractatum est, quem consulat, qui secus sentit, & fortassis in sententiam sanioem concedet.

Quod autem annectis, pauperes excludi à nostro Ordine, vel certè non habere tam facilem aditum, quàm opulentos, hoc nimirum solita fide dicis. Nam si inops, honestis tamen natalibus ortus, probitate, & ingenio, &

c z

cate-

Genes. x.

Bellarmin. lib. de monach.

cæteris dotibus ad institutum nostrum idoneis polleat; æquè promptè ac benignè suscipitur, ac diues opum, & claro stemmate conspicuus. Cui rei probandæ luculentius argumentum non suppetit, quàm ipse Societatis usus; Quotidie enim tales in militiam nostram adlegimus, ut norunt omnes, qui res nostras non intuentur calumniatorum oculis. Pergis. *Alumnos se ita educaturos profitentur, ut utiliter deinde Ecclesia inseruiant: Neque id præstant. Quid ita verò? Nam scientiis ad rem Ecclesiasticam parùm utilibus plus satis detinent, eosque erga Prælatos parùm reuerentes, & erga curam animarum parùm affectos reddere dicuntur. Quænam sunt istæ scientiæ ad rem Ecclesiasticam parùm vtilis? An literæ humaniores, Philosophia & Theologia? his enim nostri alumnos sibi creditos erudiunt: Ceterùm, ut tu ita iudices, aliter tamen iudicat*

Concil. Trident.
Sess. 23. cap. 18.

Concilium Tridentinum, quod rationem alumnos Episcopaliū seminariū instituendi præscribens, hæc tradit: *Grammatices, cantus, computi Ecclesiastici, aliarumq; bonarum artium disciplinã discant, sacram Scripturam, libros Ecclesiasticos, homilias Sanctorum, atque Sacramentorum tradendorum, maximè, quæ ad Confessiones audiendas videbuntur opportuna, & rituum ac ceremoniarum formas ediscant.* Hæc Concilium. In his omnibus alumni fidei nostræ commissi informantur. Nam omnes, postquam ex scholis politioris literaturæ emerferunt, aut morali Theologiæ, sedulam nauant operam, aut scholasticæ, post e mensum philosophiæ curriculum, adiuncta crebra sacre Scripturæ, & veterum Patrum lectione. Quibus quidem studiis, qui exercetur, si ad Ecclesiasticum ministerium idoneus non fiat, quibus tandem idoneus fiet? Verùm & hoc, & duo alia conuicia, in nos & alumnos coniecta, refellunt vita, virtute, moribus, eruditione, obseruantia
erga

erga Præsules; zelo animarum, & ardentissimo salutis proximorum promouendæ desiderio, tot præstâtes viri, qui ex seminariis Italicis, Germanicis, & aliarum nationum prodierunt, & indices adhuc prodeunt: qui omnes & pro se, & pro institutione & fide nostra, aduersus inuidiam tuam testimonium publicè reddunt: & in posterum quoque reddent.

Cùm sanctus Gregorius Nazianzenus ab æmulis variè exagitaretur, & quasi parum sedulus & industrius pastor esset, accusaretur; non alios diligentia testes citauit, quàm ipsum gregem, quem pascebat. *Iam ad vos, inquit, hoc est, gregem meum se conuertit oratio: Facite, ut quemadmodum ait Paulus, gloria mihi sitis, & gaudium, & gloriatio nis corona, & defensio ad eos, qui me interrogant & diiudicant: ut quemadmodum iis, qui fabricandi aut pingendi artem profitentur, cum artis rationem exposcuntur, fabrile aut pictorium opus ostendere sufficit, ut negotio omni ac molestia liberentur; sic ipse quoq; vobis in medium productis, obrectatorum meorum maledicta superem.* Idem & nos, si faciamus, nullo negotio omnes criminationes, quas isti odio & liuore excæcati, euomunt, depellemus, ut & Apostolus fecit, qui ipso suo opere se defendit: *Nonne opus meum vos estis in Domino? 1. Cor. 9. nam signaculum Apostolatus mei vos estis in Domino, mea defensio apud eos, qui interrogant hæc est.*

Nazian orat.
de Carhedra
Constantinop.

Fertur, inquis, Cardinalis Borromæus dicere solitus, alumnos se Iesuitis tradidisse, ut in rebus Ecclesiasticis instructos haberet, accipere verò ab illis post multos annos Rhetores, Dialecticos & Poetas. Iterum ades cum tuo fertur, sub quo tegis, ut soles, anguem. Non est credibile hoc sapientissimum Cardinalem vel semel dixisse, nedum sapius dicere consueuisse: vter enim aptior est ad ministeria Ecclesiastica illene qui præceptis & institutis Eloquentiæ, Poëseos &
Diale-

C. Quia ipsi,
d. 38.

Dialecticæ probè excultus est; an qui his omnibus præsi-
diis caret? nam qui priora callet, is nullo negotio, & tem-
pore exiguo non modò discet, sed & perdiscet, quæ Ca-
nones à sacerdote requirunt. Et quænam illa? Audi Ca-
nonem: *Quæ sacerdotibus necessaria sunt ad discendum, id est,
liber Sacramentorum, Læctionarius, Antiphonarius, Baptiste-
rium, Computus, Canon pœnitentialis, Psalterium, Homilie per
circulum anni dominicis diebus, & singulis festiuitatibus aptæ.*
Hæc Canon: Ut taceam, Cardinali Borromæo, ignotum
non fuisse nostra in disciplina alumnos non tantum in-
formari in Dialectica, verùm etiam in reliqua Philoso-
phia; siquidem ingenio valeant, item in Theologia scho-
lastica; aut in quæstionibus, quæ ad officium Christiani
hominis, & veri pastoris potissimùm pertinent: quibus,
qui probè excultus est, ille etiam sine Magistro, suopte
studio discet, quæ citatus Canon, aut Concilium quoque
Tridentinum à futuris sacerdotibus postulat. At fortè tu
tam rigidus Canonum custos es & obseruator, vt cupias
sacerdotes prorsus imperitos esse omnis humanioris &
elegantioris doctrinæ, ita vt eam nec discere, nec ex iis
libris, quibus traditur, lætitando haurire queant. *At tur-
bat acumen legentium (& discendum) inquit Canon, &
desicere cogit: qui eos (Clericos) à legendis (& discendis) se-
cularibus litteris omnimodo æstimat prohibendos, in quibus, si
quæ inuenta sunt vtilia, quasi sua sumere licet, alioquin nec
Moyse, nec Daniel sapientia vel litteris Ægyptiorum pate-
rentur erudiri, nec ipse Magister gentium aliquot versus poë-
tarum suis vel scriptis indidisset, vel dictis. Si quis artem Gram-
maticam nouerit vel Dialecticam, inquit alius Canon, vt
rationem rectè loquendi habeat, & inter falsa & vera diudi-
cet, non improbamus, Et paulò post: Grammaticorum doctri-
na etiam potest proficere ad vitam, dum fuerit in meliores usus*
assum-

C. Turbat, d.
37. Ex Bedæ in
lib. 2. Reg. c. 9.

C. Si quis, d. 37.
ex S. Hier. in
cap. 1. ad Titum.
Et Isidoro lib. 3.
de sum. bono.
cap. 3.

assumpta. Non scis, quanta vehementia & contentione Nazianzenus Iulianum exagitet, quod co-
natus esset, Christianis adimere facultatem legendi libros
oratorum, poëtarum & philosophorum? Arcuit ne Gre-
gorius Nazianzenus vllum Clericum à studio eloquen-
tiæ, Poëseos aut Dialecticæ? Quod autem Cardinalis
Borromæus, curam sui seminarij aliis tradidit, id nostris
libentibus, imo exoptantibus, & procurantibus factum
est, nō autem ob eam causam, quam tu fingis, quasi Car-
dinalis ille nostros nō habuerit pro idoneis alumnorum
suorum institutoribus: nam & postquam administratio-
ne illa abierunt nostri, non desierunt alumni scholas no-
stras adire; & variarum disciplinarum Professoribus ope-
ram dare. Hæc de calumniis huius capituli, quod cum in-
scripseris *de modo Iesuitarum agendi cum populo*, explican-
dum tibi fuit, quomodo agant cum scholasticis & alum-
nis; & hoc non obstante sequenti capite doces, quem
modum agendi teneamus cum iuuetute, quasi qui scho-
las nostras adeunt, quique in ædibus conuictorum vel se-
minariis degunt, sint extra Iuuentutis censum. Sed furor
& odium, quo vbique debaccharis, nil ordinatum ha-
bent: & si quis te in ordinem redigere tentet,
nihil plus agat, quàm si det ope-
ram: *vt cum ratione in-
sanias.*

Nazianzenus oratio
1. & 2. contra
Iulianum.



CAPVT III.

De rationibus Iesuitarum agendi
cum Iuuentute.

Nisi iuuentutem, inquis, ad seminaria, conuictum aut ad scholas admittunt: primò polliceri illos oportet, se ipsorum legibus ac correctioni subiaci velle: leges verò ubique ferè easdem habent. Quæ Respublica tam exigua est, & quæ Academia vnquam existit, quæ legibus careat, & quæ à ciuibus suis obseruantiam & obedientiam non exigat? imo ne vna quidem familia sine legum præsidio rectè administratur: Hinc Philosophi, nominatim Aristoteles, fusè explicant *leges mariti erga uxorem; leges Domini erga seruos; leges æconomi, leges probæ & pudicæ mulieris*, & id genus alias. At quod iidem ferè legibus vbiq; vtimur, id concordia & consensionis summæ argumentum est, ac proinde, non culpandum, sed laudibus potius prosequendum: *Alumni*, inquis, plus imponunt. Nos non imponimus; sed enitmur, vt id, quod fundatores Seminariorum imponunt, alumni ferant. Quocirca si leges alicuius seminarij obligent subditos ad sacros Ordines: operam damus, vt legibus satisfiat; & initio cuique denunciamus, quid promittendum, & quæ onera subeunda sint, si in album seminarij referri velit. *Obligant*, inquis, *Anglos, vt in Angliam abeant*. Nos non obligamus; sed Pontifex, qui Anglicanum Collegium crexit; qui isto, & non alio fine Anglos in id Collegium recipi voluit, quàm vt confecto studiorum curriculo, in patriam reuertantur, opem Ecclesiæ Britannorum afflictæ laturi; quemadmodum Germanos quoque simili consilio educat in Collegio Germanico; & Græcos in

*Arist. in lib.
O Econom.*

*De alumni
Collegij An-
glieani.*

in Græco; & Maronitas in Maronitico; vt singuli nimirum nationi suæ tandem emolumento esse queant.

At hoc tuo iudicio est ridiculum. Qua de causa verò? *Quia*, inquis, *ipsi Iesuitæ nō sunt obligati, nec obligari volunt, vt eant in Angliam*. Primùm, Iesuitæ nō sunt alumni Collegij Anglicani, nec omnes Iesuitæ sunt Angli; quare nō mirum, si ab illa obligatione sint immunes. Secundò, Iesuitæ Pontifici obstricti sunt, vt quocunque illos miserit eant; Itaq; si mittere velit in Angliam, nullus erit, etiam non Anglus, qui *in auditu auris non obediatur*, quique corde & ore nō sit dicturus: *Paratum cor meum Deus, paratum cor meum*. Et quenam dic, oro, maior est obligatio, illanc quæ totum terrarū orbem respicit, qualis nostra: an illa, quæ solam Britanniam; qualis illa alumnorum? Tertiò: iam suprà dixi, nouitq; totus mundus, nostros sæpius in Angliam traiecisse, & Catholicis solatio, & adiumento fuisse, non modò Sacramentorum administratione, piisque adhortationibus, sed etiam carcere carcerisque molestis subitis constanterq; toleratis, & tandem vita cum sanguine profusa. Nec in Angliam tantùm nostri, sed & in Scotiam crebrò penetrarunt, non sine summo discrimine, quod à Calvinisticis prædonibus imminerebat. Quocirca inane est, quod tu hîc comminisceris, ideo Iesuitas nolle obligari, vt in Angliam proficiscantur, q̄ *Simoniacū sit, cum obligatione & pacto, alicui operas spirituales locare seu addicere*: non est ista ratio, sed ea, quam dixi: quia nos non sumus Collegij Anglicani alumni, nec omnes Iesuitæ sunt Angli, vt ad solam Angliam adstringi debeant; & hoc ipso ad Angliam obligati sunt, quod vt dicebam, ad totum mundum obligati sunt; Est autem Anglia quoque pars mundi, nisi fallor. Cæterùm quis vnquam Theologorum,

gorum, aut Canonistarum asseruit *Simoniam esse*; si quis alumnum, eo fine educet, instituat & erudiat, vt sacerdotium tandem suscipiat; Hæreticis viriliter obsistat, & ad certam aliquam regionem, quæ talium adiutorum & defensorum opera præ cæteris eget, sese, cum missus fuerit, conferat, hocq; ipsum etiam alter promittat, & si ita necesse sit, maioris cautionis causa, iureiurando interposito: quæ hîc emptio, quæ venditio?

*De iuuentutis
gubernatione.*

Iuuentutem, inquis, quantum volunt, vexant, affligunt, castigant, flagellant. Non quantum volunt, mi homo, sed quantum decet & licet. In omni Republica præmia & pœnæ sunt propositæ: nil ergo nouum, si & in Republica litteraria. quæ tamē ad lenitatem semper pronior, quàm ad seueritatem: Bene ille: Pudore & liberalitate liberos retinere satius esse credo, quàm metu; quia malo coactus, qui suum officium facit, dum id rescitum iri credit, tantisper cauet: si sperat fore clam, rursus ad ingenium redit. Ille, quem beneficio adiungas, ex animo facit, studet par referre, præsens absensq; idem erit; Hoc patrium est potius assuescere filium, sua sponte rectè facere, quàm alieno metu. Hoc Pater & Dominus interest, hoc qui nequit, fateatur nescire imperare liberis. Hunc certè modum patres nostros in iuuentutis informatione & instructione tenere, non inficiabuntur tot clarissimi viri, qui vbique terrarum nostra ex disciplina exstiterunt. Hinc, qui liberali, & vt sic appellem, filiali erga magistros & Antistites suos est animo, is, si quando effectus socordior, scutica vapulauerit (vtar enim verbis sancti Gregorij Nysseni) non propter verbera audacior redditur & insolentior, neque fractis præceptoris tabulis recedit, sed cum parumper præ dolore amarâ effuderit lachrymam; disciplinarum studia insequitur, in iisque meditandis intentior redditur, non negligentior.

*S. Greg. Nyss.
erat. ad eos,
qui agere ferunt
reprehens.*

tior. Rursus cum aliquando, vt iuuenis, fuerit negligens; iubetur manere ieiunus, fameq; damnatur eius negligentia, manet autem solus in ludo litterario, cum alij pueri recesserint ad prandium, præceptum obseruans, summa cum reuerentia. Hæc sanctus Gregorius Nyssenus. Quibus similes ferè pœnæ & apud nos receptæ, quas qui spernit, is seruiliori est indole, quàm Musæ & liberales disciplinæ ferant. Potius igitur talem aliò ablegamus, quàm seruilem in modum castigemus, quia eiusmodi modus & à religiosa vita, & à sacerdotum mansuetudine, & à paterna Magistri in discipulum beneuolentia, planè est alienus.

Ais: Romæ Iesuitam quendam letale vulnus accepisse, inflicto cultello scriptorio seu graphio à puero grædiusculo, quem ad panam deposcebat & pertrahebat. Non video, quid culpæ pater hic admiserit, totum crimen, & quidem capitale, in adolescente hæere video. Quid ergo? An nullus vnquam præceptor, aut institutor, aut paterfamilias à procaci iuvene pœnas repetet ob commissa piacula; eò quod verendum sit, ne sicam sub veste tegat, qua homicidium perpetret: & si tale quid eueniat, quis iure accusabitur, occisor an occisus? Et si puer ira inflammatus, minetur alicui interitum, num propterea statim arma ponenda sunt, & noxa condonanda? An non pœnæ magis se reddit obnoxium, hoc ipso quod in tales minas erumpit? Si Arcadius filius Theodosij Imperatoris, punitus à sanctissimo viro Arsenio, ipsum, vt statuerat, interemisset; quis grauissimi sceleris reus fuisset, Arcadiusne an Arsenius? Non paruum aliquod delictum commiserat Arcadius, Imperatoris filius, inquit auctor, qui vitam Arsenij conscripsit, & quod non merebatur veniam, flagris eum ceci-

*Apud Str.
Tom. 4.*

dit, castigans diuinus Arsenius. Ille non tulit hoc leniter, iniuriam potius, quam castigationem arbitratus. Ipse certè indignabatur, iram apud se alens, & praeceptoris suo mortem moliens; Cum itaque haberet quendam Spatharium, qui ei ministrabat, qui ei videbatur benè velle, dignusq; esse, cui sua secreta communicaret; ei aperit, qua in animo habebat, incitatque, vt quibus mediis posset, de medio tollat Arsenium. Sed immane consilium diuinitus impeditum fuit: si tamen impeditum non fuisset, tu poenam in Arsenium, non in Arcadium contulisses: dixissesque, Arsenium debuisse cedere Arcadio, nec tam inclementer cum regio, imo cum feroci, iuvene agere.

Alij, inquis, constituuntur, qui cum iuuenibus blandè, moliter & familiarissimè agant. Si alij adeò sæui sunt in eos, si vexant, affligunt, castigant, flagellant sine more & modo, vt ais, nullis certè vnquam blandimentis adduci poterunt iuvenes, vt erga Iesuitas benè afficiantur: cui enim fidat, si tam inclementer accipiantur & habeantur, & quid ipsi etiam Iesuitæ efficerent? *Vnus adificans & vnus destruens; quid prodest illis, nisi labor?* Nimium verò blandè tu modum agendi cum iuuentute describis. Religiosus religiosè & grauius agit, memor personæ, quam sustinet; & status, quem proficitur. Blanditias Plautinis adolescentibus relinquit. Ipse Apostoli exemplo paruulis lac præbet, sed salua religiosa modestia, & si quæ diligentiae præmia tribuit, id non alio consilio fit, quam vt magis atq; magis ad virtutis & litterarum decus excitentur; & hæc sunt erustula, quæ dant doctores pueris, *elementa velint vt discere prima.* Iesuitæ, inquis, iuuenibus nihil magis inculcant, quam Ordinis sui admirationem, excellentiam, & existimationem. Verum scripsisses, si scripsisses Iesuitas iuuentuti nihil magis inculcare, quam litterarum & virtutis pulchritudinem, virtiorum.

Eccles. 34.

Horat.

tiorumque fæditatem & turpitudinem. Deinde nil reprehensione dignum facit, si quis religionem, etiam illam, in qua viuit, comendat, bonamque apud alios existimationem de ea conciliat: quandoquidem professio religiosa res planè sacra est, vt ait Imperator, & quæ suapte natura animas ad Deum adducat, neque iis tantum, qui eam colunt, commodet, sed etiam omnibus aliis puritate sua, & apud Deum interpellatione competentem de se utilitatem præbeat. Et alibi idem Imperator: *Conuersationis monastica vita sic honesta est, sic commendare nouit Deo ad hanc venientem hominem, vt omnem humanam eius maculam detergat; & purum ac rationali natura decentem, & plurima secundum mentem operantem, & humanis cogitationibus celsiorem reddat.* Quid ni igitur talis professio laudibus extollatur, vbicunque data fuerit occasio?

Cum olim patribus Ordinis S. Dominici & S. Francisci obiectum esset à maleuolis, quod Ordines suos commendaret, fusè refellit S. Thomas hanc obtrectatorum obiectionem, licitumque esse ostendit, aliquando, & se & statum, in quo quis versatur, prædicare & efferre: nam præter cætera, quæ doctè, vt solet, differit, adducit etiam exemplum S. Pauli, qui, vt ait S. Thomas, *statum, quem profitebatur, commendauit 2. Corinth. 3. qui & idoneos nos fecit ministros noui testamenti, non litera, sed spiritu, & ibi multa alia subiungit ad commendationem Apostolica dignitatis; & ita patet, quod Religioso licet religionem suam commendare, & per hoc alios ad suam Religionem adducere.* Item Apost. 1. Corinth. 7. *Virginitatis perfectionem commendans, & alios ad virginitatis statum, in quo erat ipse, hortabatur; dicens, volo omnes homines esse, sicut me ipsum; ergo & religiosi in statu perfectionis, possunt suam religionem commendare: & post alia in eandem sententiam subdit S. Thomas: Præcipue autem*

Potesť quis
suarū religionis
commendare.

Instin. Nouell.
113.

Nouell. 5.

S. Thom. opusc.
19. cap. 13.

licet perfectior viro perfectionis statum commendare, ut alij ad perfectionem insequendam instamentur, sicut Christiano, licet Christianam religionem commendare apud infideles, ut ad fidem convertantur, & quanto sunt magis perfecti, tanto hunc zelum convertendi alios ad statum perfectionis, magis habent. Unde Paulus dicebat Actor. 26. Opto apud Deum, & in modico & in magno, non tantum te, sed etiam omnes, qui audiunt, hodie tales fieri, qualis & ego sum. Hæc S. Thomas iam dudum ad tuas novantiquas calumnias. Ex quibus etiam una; quod ais; Alios Ordines à nobis vituperari, iuvenesq. odio aliorum Ordinum imbui. Contrarium enim manifestè docent scripta nostrorum pro Religiosorum Ordinum auctoritate & existimatione apud omnes tuenda & asserenda: Ex quorum numero in præfenti satis erit nominasse, tres illos pulcherrimos libros Hieronymi Plati, de bono status Religiosi, in quibus accuratè disputat, non de præstantia Ordinis nostri, sed de excellentia omnium in communi, nullo penitus excepto. Item, iuuenibus instillari à nobis amorem & debitam existimationem erga alios Ordines, testati sunt plurimi, & adhuc indies testantur, qui ex nostra disciplina progressi, varios Ordines, diuini seruitij causa, ingressi sunt. Quod autem Ordo interdum Ordini præfertur, & proprius Ordo alieno, id non est illicitum; Sicut Sancti non commendant seipsos, inquit S. Thomas, ut gloriam propriam habeant, sed propter utilitatem aliorum, ita & quandoque se aliis præferunt, sic enim quandoq. Sancti se præferunt malis, ut mali euentur à populo qui Sanctos imitatur: Sicut Apostolus 2. Corinth. 11. Ministri Christi sunt & ego, ut minus sapiens dico, plus ego. Quandoq. etiam bonis præferunt se, ut in auctoritate apud homines habeantur, à quibus si contemnuntur, proficere in eis non possunt, & sic Apostolus seipsum prætulit etiam veris Apostolis, quantum ad aliquid 1. Corinth. 15. Gra-

S. Thom. loc. citat.

tia

tia eius in me vacua non fuit, sed abundantius illis omnibus laboravi. Sed adhuc magis sine reprehensione, præferunt statum suum statui aliorum minus perfecto, in quantum talis comparatio minus sapit priuatam gloriam. Et hoc modo Apostolus 2. Corinth. 3. prætulit ministros noui testamenti, ministris veteris. Hoc etiam modo, 1. Timoth. 5. statum Doctorum, de quorum numero erat, aliis statibus Ecclesia præfert: dicens; Qui bene præsunt Presbyteri, duplici honore digni habeantur, maxime qui laborant verbo & doctrina. Hæc S. Thomas.

Tu sequentia: Creditur à multis excellentiori perspicacia præditis, iuuentutem non tam à Iesuitis ad virtutem & literas solidas educari, ac illi hoc ipsum vendicant, & de eodè munda fucum faciunt. Nimirum isti tui excellentiori perspicacia præditi, aut sunt Hæretici; aut pseudocatholici; aut maleuoli & inuidi, qui maleuolentiæ & liuoris affectus, tantum conducunt ad veritatem perspicacius scilicet introspiciendam, quantum conducit nox offusa oculis ad accuratam colorum inspectionem & contemplationem. *Vtinam ex hominũ vita sublata atque extincta esset hominum inuidia, inquit S. Gregorius Nazianzenus: tabes possessorũ, virus ac rubigo eorum, qui ea exagitantur, sola ex omnibus animi perturbationibus aquisissima simul & iniquissima: illud, quia bonis omnibus infesta est; hoc, quia Dominos suos exedit & cõficit.* Sed his, qui *ὄψιν* suam vel talpam in certamē vocare audeant, opponimus iudicia omnium eorum, qui filios suos in nostram disciplinam tradunt, qui neque pauci, neq. vulgares sunt, quod tibi ipsi longè quàm velis, liquidius liquet, quos sanè hætenus consilij sui non pœnituisse, illud est indicio: quia ab incepto non desistunt; desisterent autem, si liberos, quibus nihil habent charius; æs & otium frustra in nostris Gymnasiis conterere viderent.

Nulli,

Nulli, inquis, dissolutiores sunt, quam qui inter Conuictores apud Iesuitas degerunt: Hæc tu satis dissolutè, quia mendaciter; nam si dissolutorum iuuenum, qui in Academia, aut alio publico Gymnasio versantur, rationē subducere velimus, semper dabo tibi malè moratorum & perditorum semidecadē, cui tu vix vnum, moribus tam corruptum Conuictorem reponere queas: quia si quis ingenio sit tam deprauato, vt nullam culturam admittat; nullamque spem profectus præbeat, cum, nostris in Collegiis nō toleramus, sed exterminamus; ne exemplo suo aliis noceat. At quod, vbi ex nostra disciplina euaserunt, in vitia aliquando proni ruunt: id nostræ institutioni non potest esse fraudi. Primò, quia plurimi virtutis & doctrinæ semina apud nos concepta fouent, & conseruant, & eo vsque tuentur, quoad vberissimam & letissimam messem adferant. Secundò, quia hoc omnibus accidit, quibus iuuentutis erudiendæ cura; non tantum nostris. Nemo enim est, qui discipulum suum præceptis ita firmare & obfirmare possit, vt, si velit, nequeat à virtutis tramite decidere, & vitiorum abrupta persequi, Cuius homini, ait Comicus, vel optimo vel pessimo, quamuis desubito, facile est facere nequiter. Vbi que contingit, vt aliquando imberbis iuuenis tandem custode remoto, qui antea gaudebat virtutis & literarum exercitationibus, gaudeat postea equis, canibusq̄, & aprici gramine campi. Cereus in vitiū flecti, monitoribus asper, Vtilium tardus prouisor, prodigus aris, Sublimis cupidusq̄, & amata relinquere pernix. Multi de se dicere possunt, quod Plautinus ille adolescens, qui se cum nouo ædificio, & postea neglecto comparans; Ego, inquit, ad id frangi vsq̄, & probus fui, in fabricarum potestate dum fui: postea quam immigravi in ingenium meum, perdidit operam fabricarum illicò, oppidoq̄, venit ignauia, ea mihi tempestas fuit; ea mihi aduentu

Horat.

aduentu suo quam primùm grandinem imbremq̄, attulit. Hæc verecundiam & virtutis modum deturbauit, texit, detexitq̄, me illico, post illa obtegere negligens fui, nunc simul res, fides, fama, decusque ac virtus deseruerunt, ego sum in vsu factus nimio nequior. Hæc ille Comicus iuuenis; Ignorasne quid ex Clemente Alexandrino referat Eusebius, de iuvene, iussu Apostoli Ioannis, optimè educato & instructo, à quodam Episcopo, quem postea non solum liberior potestas viuendi, quam fuerat paulò ante tempus adeptus: verum etiam quidam adolescentes, eius æquales, otio languidi, inertia dissoluti, & omni malorum generi assuesacti corruerunt: ac primùm exquisitis conuiuiorum opiparorum deliciis illum alliciunt, inuitantq̄: noctu deinde educentes ad furti societatem cõuendam abstrahunt: tum maiora moliri flagitia hortantur; Isle pedescentim assuescit; & propter generosam animi magnitudinem, tanquam equus effrenatus, & nimium sibi suisque viribus præsudens, extra rectam viam impetu fertur, si enaq̄, acriter pramordens, procliuius in profundum vitiorum gurgitem se precipitat. Atque cum omnino iam in desperationem salutis in Deo sita veniret, deinceps non de exiguis noxis cogitauit: sed magnis quibusdam ac nefariis facinoribus admisissis, vbi semel omni improbitate & nequitia perditus euaserat, nullam non sceleris labem, ex aquo cum aliis contrahere secum statuit. Istis igitur in familiaritatem adscitis, & magna latronum turba collecta, animo prompto paratoq̄, se duces manu violentissimum, sanguinis effusione crudelissimum, seueritate deniq̄, acerbissimum præbuit; Hæc Eusebius ex Clemente, An tu hîc disciplinā Ioannis Apostoli & Episcopi, quem curatorem instituerat, culpabis, eò, quod ex illa tam dissolutus iuuenis exstiterit?

Ais: Discipulos nostros esse ineptos ad Reipublicæ gubernationem: nec vlla re magis pollere, quam arrogantia & fastu.

g

Cauē

Eusebium lib. 3.
Hist. Ecclæs.
cap. 17.

Caue ne iambos Hipponacteos, mordacesque satyras in te concites, iam enim tibi non cum Iesuitis, sed cum tot ornatissimis, lectissimis & nobilissimis adolescentibus, qui scholas nostras obeunt, certamen est; nec cum adolescentibus tantum, sed cum summis viris, iisque innumerabilibus, & cum Principibus Ecclesiastici & Politici Ordinis, qui Iesuitis Magistris vsi sunt, & nunc ad Reipublicæ clauum feliciter sedent. Nimis perfricti capitis calumniator es, cum tot millia, omnis conditionis, tantis conuiciis proscindere, & in te irritare audes. Sed Iesuitici discipuli videntur arrogantes, præsertim Philosophi & Theologi, quia clarius cognoscunt; quam illis, qui Hæreticis & pseudocatholicis dant operam, sit curta supellex; quam exiguus solidæ doctrinæ apparatus; quam sæpe sint crassi sine pectore trunci, ac proinde cum laruam vobis detrahant, & veris pretiis vos æstiment, fastu turgere videntur, vt taceam rudes & ignaros, quales plerique tui Ordinis; si non omnes; à natura ita constitutos esse, vt putent se à Iesuiticis auditoribus despiciatui haberi; verè Poëta: *Omnes, quibus res sunt minus secunde, magis sunt nescio quomodo suspiciosi, ad contumeliam omnia accipiunt, magis propter suam impotentiam, se semper credunt negligi.*

Addis: *Auditores nostros diu in humanioribus & Rhetoricis detineri, in Philosophia verò & Theologia, violenta quadam celeritate protrudi, ita vt in his studiis biennio, aut triennio expleto, facile Magistri aut Doctores creentur. Hinc omnia Magistris & Doctoreculis redundare. Plerisque in Academijs nostris, qui triennium in Philosophia posuit, is, si velit, & aptus sit, subito prius accurato examine, Philosophici Magisterij honore insignitur: Quod tempus doctissimorum hominum iudicio satis esse visum est, ad hoc, vt aliquis*

Quales Magistri & Doctores creentur in Academijs Catholicis.

quis gradus philosophicos consequatur: cum aliquot nominare liceat Academijs, vbi Iesuitæ Philosophiam non docent; quæ tempus hoc intra biennij spatium concluderunt; sed isti cum suo biennio non videntur tibi properare: soli Iesuitæ cum suo triennio properant. Et si olim aliquibus in locis biennio contenti erant, ipsi, non alij, tuo iudicio, citis quadrigis curriculum illud decurrebant; quia fortè Iesuiticum biennium breuius est, quàm biennium aliorum Professorum; fortè nostrum est *lunare*; illorum, *solare*. An vis, vt studiosi viginti integros annos scholas Philosophicas terant, vt imitentur Aristotelem, quem totidem annis in Platonis schola sessitasse ferunt? Theologiæ cursus quadriennio cõficitur; Quo absoluto, omnes Italiæ Academiæ Doctores creant eos, qui hunc honorem petunt; & quidem illæ Academiæ, in quibus docendi munus nostris non est commissum: ne fortè culpam huius rei in Iesuitas conferas. Et vt de nostra Ingolstadiensi Academia loquar, etiam expleto quadriennio, vix quisquam suprema in Theologia laurea ornatur, nisi prius aliquot annis proximo & Ecclesiæ, in aliqua functione Ecclesiastica, fidelè operam nauet: & que intra scholæ ambitum audierat, eo tempore recolat & repetat. Certè tot annis, quibus in hac Ingolstadiensi Academia viuo, non memini me videre vllum creati Doctorem, qui non vel quinque integros annos in studio Theologico consumpsisset, vel post confecta Theologici studij spatia, prius aliquot annos, alibi, in factis concionibus, & id genus aliis ministerijs non posuisset: tantum abest, vt immaturi, prudentiæque & ætate iuuenes, ad hanc tantam dignitatem euehantur: Cæterum nisi *scirem stipulam in alieno oculo facilius perspicere, quam in propria trabem*, valdè mirarer, te tam curiosè in res Iesuitarum

Terullian.

Quales Magi-
stri & Docto-
res Hæretici.

inquirere, & tuorum adeo obliuisci, ut neque vel alterum oculum eò vertere possis. Quæso enim te, qui & quales Doctores & Magistri in Academiis Lutheranis & Calvinianis creantur? Qui ubi compendium aliquod Logices aut Physices, psittacorum instar, edidicerunt, & memoriter deblaterant, iam Magisterio maturi habentur; si ulterius progrediantur, & aut examen Philippi, aut Corpus doctrinæ, aut Herbrandinum compendium teneant, & in Isaiâ aliquot radices Hebraicas; aut in S. Paulo græcè scripto aliquot vocabulorum themata inuestigare norint, iam Doctores salutari auent, imò tanquam Doctores Doctorum, mirifico, ne dicam Thraſonico, vultu sese circumspiciunt: Et illud Dauidicum intonant: *Labia nostra à nobis sunt, quis noster Dominus est?*

C A P V T I V.

De rationibus Iesuitarum agendi inter se.

NITIO huius capituli exponit calumniator officia & status seu gradus Societatis: at non sine admixtis calumniis & mēdaciis, quæ boni omnis causa præmittit, ut deinceps ori habenas ad conuiciandum non laxet: sed penitus tollat: quo sine fræno liberè, feratur quocunque rapit furoris impetus. Prætereo errores, quos committit, dum gradus Societatis distinguere & describere conatur: Lector Ribadeneiram consulat, qui hæc accuratius perspecta habuit, quàm iste impostor, ac proinde fidelius etiam literis mandare potuit: Quid autem criminis, si in Ordine sit Ordo officiorum & distinctio, cum quod anima præstat

Ribad. lib. 3.
cap. 22. & 23.

præstat corpori, id Ordo præster Religioni; nempe ornatum, pulchritudinem, aptamq; singularum partium inter se cum diuersitate consensionem? Ordo in Ecclesiis constituit, ut alij oues sint, inquit S. Gregorius Nazianzenus, alij pastores, alij præsent, alij subsint, atq; imperia accipiant, alius caput sit; alius pedes; alius manus; alius oculi; alius, aliud quoddam corporis membrum ad totius Ecclesiæ concinnitatem & ornatum, utilitatemq; vel subditorum vel præfectorum. Et quemadmodum in corporibus, licet membra inter se abrupta atq; distracta non sint, verum tota illa congeries vnum corpus sit, ex diuersis membris conflatum: non tamen est eadem omnium vis & facultas, tametsi alioqui ad benevolentia concordiaq; necessitatem, honorisq; parem in disparibus rationem, alia aliorum opera ex aequo indigeant. Neq; enim oculus incedit, sed viam cõmonstrat, nec pes prospicit, sed ingreditur, ac loca permutat; nec lingua voces accipit, id enim aurium munus est, nec rursus auris loquitur, quod lingua officium. Et naris quidem eorum, quæ olfactu sentiuntur, organum est, guttur autem, sicut Iob ait, cibos degustat, manus porrò dandi & accipiendi instrumentum est: mens deniq; omnibus præest atq; imperat, nimirum à qua vis sentiendi proficiscitur, & ad quam sensus omnes tendunt & referuntur. Ad hunc quoq; modum apud nos, hoc est, in communi Christi corpore, res se habent; omnes enim corpus vnum in Christo sumus, singuli autem Christi, atq; alij aliorum membra. Alij enim dominantur & præsent; alij parent ac reguntur. Et quamquam non eadem sit vtrorumq; actio, nisi quis idem esse contendat præesse, quod parere, sunt tamen vtrig; in vnum Christum ab eodem spiritu constructi atq; compacti. Ac rursus, quemadmodum inter eos, qui subsunt, permagnum discrimen reperitur, ut qui & doctrina, & usu, atque exercitatione, & aetate inter se distent: Eodem modo inter præfectos quoq; non parua differentia est. Hæc elegantissime Nazianzenus.

Nazian. orat.
de moder. in
diss. habenda.

De aedificiis
Societatis,

Arist. lib. 7.
Polit. cap. 5.

Nunc te audiamus. Ad habitationem, inquis, dicuntur loca commodissima querere: omnia volunt salubria, & quatum fieri potest, non modo elegantia, sed & magnifica. Commoditatem collegiorum non tantum nostra causa quarimus: sed & causa proximi, ut qui scholas nostras, aut Ecclesias adire volunt, id cum suo commodo facere possint, quod non liceret, si locis incommodis collegia nostra cōderentur. Quod Aristoteles spectandum docet, cum ciuitas ædificatur, id in exstructione domiciliorum nostrorum non negligimus: Posituram autem urbis, inquit Aristoteles, si oportet cōdere illam ex sententia, ad mare conuenit sitam esse, recte & ad agrum. Vnus quidem finis est, qui dictus est, oportet enim ad auxilia mittenda communem esse omnibus locis, reliquus autem ad exportationes fructuum, qui ibi nascuntur. Adhuc autem materia lignorum, & si quam aliam rem, opera hominum factam, regio possidet, ut sit facilis exportatu. Hæc Aristoteles, de vrbe, in qua temporalia peraguntur. Eadem ad ædes illas accommodari possunt, quæ sunt vel litterarum simul & pietatis quasi emporia, vel solius pietatis & virtutis; debent enim ita esse constitutæ, ut omnibus facilis sit ad eas accessus, facilisque commoratio & habitatio, & facilis aditus ad importandas & exportandas spirituales merces, quæ ad vitam benè beateque institutam & decorandam sunt necessariæ. Præterea Aristoteles docet, Aedibus sacris locum aptum attribuendum esse, Ea, quæ rebus diuinis, inquit, attributa & consecrata sunt domicilia, conuenit locum idoneum habere. Quid ergo à ratione alienum Iesuitæ faciunt, si & collegiis & templis non ineptos locos eligant? Nam de cura salubritatis, quod addis, mirum certè est, ni nos iubeas, cum antiquis quibusdam Philosophis, corporis magis affligendi & macerandi causa, habitare in locis insalubribus, & quæ breuem vitam,

Arist. lib. 7.
cap. 12.

tam, citamque necem adferant & nobis, & iis, qui nobis dant operam, siue in scholis, siue in templis. Si Eremitæ & Anachoretæ essemus, fortè non grauatè consilio tuo obsequeremur: nunc quoniam viuimus inter homines, hominum causa, & homines inter nos, magis auscultamus Aristoteli, qui ex quatuor conditionibus, quas cum vrbs ædificatur, considerandas esse monet: primo loco ponit, ut sit apta ad corporis sanitatem. Hinc iubet, ut sit ad Orientem, & ad Aquilonem, nam quæ ad Orientem vergunt, & ad ventos, qui stant ab ortu, salubriores sunt, inquit Aristoteles, deinde ad Aquilonem, hæc namq. hyeme commodiores sunt. Quod Aristoteles vniuersim tradit de ciuitatibus, id in OEconomicis speciatim accommodat ad ædes priuatas. Aedes ita paranda sunt, inquit, ut & rerum possessorum, & salubritatis, commoditatisq. rationem habeamus, ut æstate quidem ventorum afflatum, hyeme vero solem recipiant.

Arist. 7. Polit.
cap. 11.

Arist. lib. 3.
OEcon. cap. 6.

Ad alia quæ addis, de elegãtia, magnificentia, & amplitudine collegiorum nostrorum, respondebo tibi non meis sed S. Bonauenturæ verbis; cum enim calumniatores hanc quæstionem Ordini Minorum ponerent: Cum sancti Patres laudentur in casellis & vilibus habitaculis habitasse, quid est quod vos altas & magnas domos erigitis, & oratoria sumptuosa, & areas latas, magno pretio comparatis, cum sitis pauperes & mendici, & contemptores mundanorum esse debeat. Respondit S. Bonauentura: Cum inter homines nos manere oporteat, aut ergo extra muros ciuitatis aut intra; Et cum fusè ostendisset, cur in solitudine extra hominum Societatem nõ viuant Ordinis S. Francisci Patres, addit: Quod si intra muros habitamus, ubi propter frequentiam populi area cariiores sunt, oportet & nos areas carius emere, quantum sufficiant pro claustro, oratorio, & officinis congruis, pro conuentu, hospitibus, & infirmis, & horto herbarum, tam pro pulmen-

S. Bonauent.
q. 6. Reg. 5.
Francisci.

pulmentario, quàm pro aëris recreatione, ut infirmi refocillentur, & sani conseruentur, & laesi in spiritualibus recreentur. Sæculares enim, qui frequenter vagantur, domi non indigent recreatione aëris. Religiosi verò, qui in cellarum reclusi relictantur, nisi aliquam intus habeant aëris recreationem, citò languescunt, & ad studia spiritualia inhabiles efficiuntur, ita quod nec sibi, nec aliis proficiunt in deuotionis interna profectu, in sapientie intellectu, in virtutum exemplis, & in doctrina salutis. Et quamuis perfectis omnis locus aptus sit pro disciplina interna exercitiis, imperfectis tamen, & adhuc egentibus eruditione virtutis, opus est etiam exteriori distinctione officinarum claustralium, ut sciant, ubi tacere debeant, ubi loqui liceat, ubi orare, ubi laborare, ubi legere, scribere, vel comedere, ubi sit requies infirmantium, ubi repausatio de labore itineris venientium, & aliorum, quæ in collegiis sunt necessaria, ne si confusè indifferenter omnia fierent pro libitu, iam nec disciplina, nec quies, nec deuotio, nec ordo inter fratres sicut expedit, seruarietur, quod esset in magnum detrimentum Religionis, & in scandalum alienis, & in destructionem salutis, quia nec minores discerent, à quo proficerent, nec perfecti alios edificarent. Ita S. Bonauentura pro Ordine suo & nostro. Quod libro primo dicebam, id hinc iterò, tẽ, si Collegia nostra obire velis, mente tamen non liuida, sed candida, longè plura reperiturum, quæ sint magalia, quàm quæ palatia. Sed de hac re pluribus contra Auctorem historię Iesuiticæ, vt & de querelis ob ædes multis locis emptas & dirutas: nã si emptæ sunt, iusto igitur titulo acquisitæ sunt; nunquam enim emuntur, vel à nobis vel à nostris patronis, eo modo; quo Iezabel emit vineam Naboth: Et meritò etiam dirutæ sunt, cū Domino licitum sit ædes suas, arbitrato suo, vel demoliri, vt nouas substituatur; vel antiquas renouare & concinnare, vt functionibus publicis & priuatis accommodet. Ad-

In Refut. cap. 6.
pag. 27.

Adiungis: Quæquam collegia & adificia sua in bona communia referri velint, cauent tamen diligenter, ne Respublica, iisdem bonis communibus; imò ne & priuatis subditorum bonis utatur. Non scio, vbi vnquam Iesuitæ collegia, templa & gymnasia sua inter bona communia retulerint, ea notione, qua bona, quæ sunt totius Reipublicæ, vulgò communia bona appellamus. Etsi non negamus, collegia, scholas & templa nostra pertinere ad bona communia, quatenus ad commune bonum exstruuntur: scholæ præsertim, quibus vtendi & fruendi omnes potestatem habent: sunt enim vniuersitatis non minus ac theatra & stadia. Et quamuis Iureconsulti dicant, res sacras & religiosas & sanctas nullius in bonis esse, nos tamen Ecclesias nostras in omnium bonis esse cupimus, ita vt omnibus sint bono & saluti. Si de Principe, inquis, aut legato, aliisq; personis publicis in domos suas recipiendis agatur, manibus pedibusq; contendunt, ne id fiat, & priuilegia obiciunt. Omnibus à natura sua insitum est, vt priuilegia sua defendat. si ergo immunes sumus ab hoc onere, & legitimè excepti, vt certè sumus, quia Pontificis benignitate excepti sumus, mirandum non est, si ius nostrum tueamur. Iustè enim agit, qui à iure suo non discedit. Nec nouum est hoc priuilegium. Idem iam olim Clericis concesserat Constantinus Magnus, iuxta sanctionem, inquit, quam dudum meruisti, & vos & mancipia vestra, nullus nouis collationibus obligabit, sed vacatione gaudebitis, præterea neq; hospites suscipietis. Et ante Constantinum eadem immunitas Professoribus litterarum concessa est. Magistris, inquit Iureconsultus, qui ciuilium munerum vacationem habent, item Grammaticis & Oratoribus, & Medicis, & Philosophis, ne hospitem reciperent, à Principibus fuisse immunitatem indultam, & D. Vespasianus, & D. Hadrianus rescripserunt. Et hanc immunitatem Me-

Instit. de re-
rum diuis.

Delegatis ho-
spitio recipien-
di.

L. Iuxta. C. de
Episc. & Cler.

L. Munerum.
ff. de munerib.

Diolib. 51.

L. Medicor. C.
de Professorib.
L. Grammaticor.
C. Cod.

dicis primus concessit Augustus, liberatus graui periculoque morbo, vt scribit Dio. Eandem Medicis, & maximè Archiatis, Grammaticis, & aliis litterarum Professoribus, & Doctoribus legum contulit Constantinus Magnus: Confirmarunt eandem prædictis, & ad Oratores præterea, & Philosophiæ Præceptores extenderunt Honorius & Theodosius. Nihil ergo præter ius fecerunt illi, qui hoc priuilegio Iesuitas quoque ornarunt, cum & ipsi politioris litteraturæ, Philosophiæ & Theologiæ sint Professores.

De Ioāne Bonhamio, Episcopo Vercellensi.
3. Reg. 21.

Addis: *Lucerne in Heluetia noluerunt recipere Reuerendissimum, Vercellensem, Nuncium Apostolicum, qui proinde ad arma spiritualia confugere cogitabat.* Calumniatores illos, qui impulsu impiæ Iezabelis, innocentē Naboth de crimine impietatis & læsæ maiestatis postularunt, vocat sacra scriptura *filios Belial, filios Diaboli, & viros diabolicos*, eò quod nihil propemodum magis sit Diaboli proprium, quàm innocuos variis criminationibus & calumniis infamare, & in discrimen nō modò existimationis, verum etiam capitis adducere. Hos tam egregios viros cum toto tuo libro strenuè & impigrè imitatus fueris; eos, nequè iam deserendos esse ducis, quia impigrè mentiris. Et quamuis pauculis illis Nehemiæ verbis; *Non est factum secundum verba hæc, de corde enim tuo componis hæc.* rem totam transigere liceret, alium tamen mendacio tuo expugnando arietem admouebo, aliisque spiculis te conficiam. Anno Domini 1579. mense Iunio, missus est Ioānes Franciscus Bonhomius, Episcopus Vercellensis, à Gregorio XIII. Pontifice Maximo, Nuncij Apostolici titulo & nomine, ad Catholicos Heluetiæ Ordines, qui recta Badam contendit, vbi tum Ordines conuenerant; hinc Lucernam petiit:

petiit: Quem cum Lucernenses, pro eximia sua in Sedem Apostolicam reuerentia & obseruantia, debito cum honore salutare & excipere statuissent, iamq; Clerus & pars Senatoriū domi, quæ ad ingressum necessaria erant, præpararent; pars autem, sub vesperum, vt ferebatur, aduenturo, obniam longius ab vrbe processisset, derepentè fama vulgatur, Reuerendissimum in Monasterio Murenfi, proximam noctem acturum, & postridie demum Lucernam peruenturum. Quo rumore, à non falso, vt videbatur, auctore accepto, singuli domum sese receperunt, dilato salutationis officio in crastinum, cumque nihil minus, quàm de aduētū Nuncij Apostolici cogitaretur, ecce tibi sub crepusculum, tenebris se iam intendentibus, cum quieris tempus adesset, aduolauit Reuerendissimus cum suo comitatu, rectaq; ad Collegium Societatis Iesv perrexit; cumq; nostri precibus, vt sit, priusquam cubitum itur, intenti, nihil penitus de hac re compertū haberent, & Ianitor Rectori, pro more, clauis collegij tradidisset: paulò diutius extra portam Nuncio expectandum fuit, vt cuique contingit, quacunque sit dignitate, si introritti velit tunc, cum is, qui foribus præest, clauibus caret. Quam moram egrè ferens Reuerendissimus Rectori excommunicationem minitari cepit: qui cum causas tarditatis attulisset, & humi itidè positus genibus veniam petiisset; nec tamen Reuerendissimi animum inflectere posset, manuit res, vt euenire solet, ad aures ciuium & Senatorum; qui cum postridie ad collegium venissent, Nuncium salutaturi, aduentumque gratulaturi, simul etiam rogarunt, vt Rectori ignosceret, eumque ab excommunicationis timore liberaret; non enim contemptu factam illam moram, sed casu; nec tam

culpam, si qua sit, habere in Rectore, quàm in tempore: vix enim aliter contingere, si quis aditum postulet, absente Ianitore & clauibus Rectori redditis: Nec hoc tantùm illi, sed & adiecerunt, nisi à consilio desistat, se proprium tabellarium ad Pontificem missuros, qui Rectorem excuset, absoluatq; ab excommunicatione, si eam, vt minabatur, infligat. Motus Reuerendissimus tãtorum virorum intercessione, ipsiusq; rei æquitate, ad lenitatem sese dedit, & Rectorem in gratiam recepit. Ita res acta est, mi pseudocatholice, & ita actam esse, testem doctum, qui interfuit, nobilem & eximium virum Dominũ Renvvardum Cysat, Equitem auratum & Comitem Palatinum; inclytę Reipublicę Lucernensia Cancellis, qui testimonium, manu sua scriptum, & sigillo suo subsignatum, hoc ipso anno M. DC. de hac re, XIII. Februarij nostris tradidit, quod seruo, & cuique id inspicere volenti, libens volensq; monstrabo; cuius fides cuius prudenti potior erit, quàm tua inutilis mendacitas, præsertim, cum etiam sine hoc testimonio narratio tua vanitatem oleat; quis enim credat, vllum Rectorem tam esse inhumanũ, & erga Sedem Apostolicam tam parum reuerentem, qui Nuncium Apostolicũ, sub ipsam noctem, excludat; præcipuè talem, qualis erat Vercellensis. Fuit enim cum publicè de Ecclesia, tum priuatim de Societate nostra optimè meritis, non modò in Italia; sed & in variis Germaniæ locis, & eius ferè solius impulsu & hortatu Collegiũ Friburgensẽ in Heluetia conditum est, & fundatum: qui & ex singulari amore, quo nostros complectebatur, ad nostros plerunque diuertere solebat, missa famulorum turba ad hospitium, quem & ego, semel atque iterum, in hoc Ingolstadiensis Collegio hospitem vidi. Hactenus de Vercellensi.

Iam

Iam tu perge. *Ecclesias habere procurant, quantum fieri potest, contra pie antiquitatis morem, lucidissimas.* Reprehendis, vt video, hunc morem, quia pie antiquitati repugnat, si vlla te piæ antiquitatis cura tangeret, Calvinianus aut Calvinopapista non esses. Adeone depudisti, vt Iesuitis, *piam antiquitatem* obicias, de qua tu ne micam quidem habes? Deinde si lucida templa piæ antiquitati repugnãt, cur ergo Iustinianus Imperator, Sanctis Cosinę & Damiano templum valde lucidum condidit; *Veterem structuram permutans*, ait Procopius, *impolitam planè & indignam tantis calitibus, elegancia, magnitudine, & fulgore luminis templum illustravit.* Idem Imperator, auctore Procopio, *Michaelis Archangeli* templum, paruum admodum & tenebricosum, *in eam formã, qua nunc apparet, hoc est, in splendidam & lucidam transtulit.* Duo itidem templa, quorum alterum fuit Diuis Petro & Paulo Apostolis; alterum Diuis Sergio & Baccho Martyribus sacrum, non obscura esse oportuit, quia *utrumq;*, vt ait Procopius, *fulgore lapillorum solem vincit.* Et templum S. Acacii, *eiusmodi erat splendore, vt eam de se opinionem præberet, quasi totum niuibus perflueret.* De principe templo Constantino poli, quod Sophia appellatur, ita Procopius. *Lumine & splendoribus solis mirificè abundat. Dices locum illum, non externo sole illuminari, sed fulgorem in ipso templo enasci, tanta copia luminis templo affunditur.*

Cæteris minus, inquis, luce indigere videntur, cum diuina officia in illis Ecclesiis non celebrentur. Quid? non celebrantur diuina officia in nostris Ecclesiis? Quid ergo est sacrosanctum Missę sacrificium, si non est diuinũ officium, quod in templis nostris quotidie à non paucis sacerdotibus immolatur, vt suo loco dictum? Quasi verò templa propter solos cantores oporteat esse lucida; Multorum

h 3

inquis,

De Ecclesiis Societatis.

Procopius lib. 1. de aedif. Iustitiant.

inquis, peccatorum, ut fama est, occasionem præbent: At tu passim multorum mendaciorum & conuiciorum occasionem, etsi non præbiram, arripis. Secundò, quæ isthæc tua est ratiocinatio; *templa Iesuitica sunt lucidissima, ergo Iesuita multis flagitiis patrandis occasionem subministrant?* Dic mihi, quænam loca aptiora sunt flagitiis, obscura an lucida? Lucemne magis sectantur, qui malè agunt, quàm tenebras? Vereor ne ex Euangelio expungas illud pronunciatum: *Qui malè agit, odit lucem, & non venit ad lucem, ut non arguantur operacius. Pulcherrimas quasque fœminas, inquis, ad suas Ecclesias allicere dicuntur, illas una, in medio Ecclesie, parte omnino lucidissima, scamnis ad id dispositis, includunt, ita quidem, ut puellarum formâ iuuenum oculis depascendis, nullibi maior quàm in Ecclesiis Iesuitarum, præstetur commoditas.* Nos ad templa nostra neminem allicimus, patent omnibus, omnibus vel veniendi vel emanendi est aqua potestas; siue sint viri, siue fœminæ, siue senes, siue iuuenes, siue opulenti, siue egeni. Nec obstare possumus, quò minus tu aut tui similes, lasciuum oculum alicui adiciatis, quia oculi alieni non sunt in nostra potestate; Effode, tibi, si placet, oculos, ut habeamus nouum Democritum: fortè alij, quibus tam petulans visus, exemplum tuum imitabuntur. Neq; hæc est culpa lucidi templi, sed impuri animi. Quid sole lucidius, & aère à sole illustrato? num propter improbos, soli & cælo tenebras inducemus, ne oculus impudicus peccet? Et dum oculis paucorum libidine æstuantium, consulimus auferendo lucem; maiorem opportunitatem flagitia consciscendi suppeditabimus inducendo caliginem. Præterea si, ut fit in quibusdam prouinciis, locus proprius, & à virorum statione, septo segregatus, fœminis deputatur; jam ergo, quantum licet, malo huic remedium adhibetur; cum

mutui conspectus nulla sit facultas; & qui hoc modo fœminas à viris seiungunt, veteris Ecclesie ritum obseruât, cui in more positum, mares à fœminis muro seu tabulato intermedio distinguere, id quod ex historia Ecclesiastica liquet, & ex Philone de Ieffeis, & ex Procopio de ædificiis Iustiniani: quanquam huius consuetudinis nullus est in Germania, quod sciam, vsus, nec apud Catholicos, nec apud Hæreticos, quia nationis genius tantâ cautelam requirere non videtur: Nec templa scenæ sunt, aut theatra, ut eò homines, turpitudinis causa, confluât, sed sunt orationis & diuini cultus domicilia. Quocirca licet Satan aliquis stet inter filios Dei, hoc est, nebulo impudicus, inter pios; qui quæ ad salutem destinata sunt, sibi vertat ad exitium: is non magis est morâdus, quàm Christus morabatur illos, de quibus dicebat; *finite eos, cæci sunt*; nam nemo propter istos templa occludet, sicut etiâ in Bethleem, ad præsepe Domini, non est intermissus cultus diuinus, eò quod in sacratissimo illo loco, Diaconus quidam, sanctimonialē nutibus & nictibus ad illicitum congressum incitasset, ut supra ex S. Hieronymo retulimus. Nullus locus tam sanctus est, quem flagitiosi contaminare nequeant, & nulla persona tam casta, integra & innocens, quam Venereis oculis luxuriosus furcifer aspicere non possit.

Vienna, inquis, res eò deuenit, ut meretrices, quæ videri cupiūt, ad Ecclesias Iesuitarum libenter se conferant; abusu vero deprehenso, honestiores fœmina vel spōsa, maritorum iussu, abstineant. Libenter quærerem ex te, an nouisses & numerasses illa scorta: nam si nouisti; vnde tibi tanta meretricum notitia, nisi ex familiaritate? & vnde familiaritas, nisi ex consuetudine? At si tu non nouisti, sed ex aliorum relatione cognouisti, tum de illis itidē sciscitabor, vnde

vnde tam accuratè, tanta in turba, meretrices nouerint, nisi ex familiaritate; quæ familiaritas, vnde, nisi ex consuetudine? & iam vel hinc elucescit, quantæ fidei sit tota illa narratio. Nam meretriciis Porciis tanti est mentiri, quanti iussire; tanti calumniari, quanti scire; tanti puris & castis maledicere, quanti manum vertere: quod enim ipsi fieri, aut factum optâr, id quasi fieret, aut factum esset, commemorant, scorta profectò, vt spectent & spectentur, templa non eligunt. Fornicem & popinas, & similia tibi non ignota tecta, petunt, quasi ad hoc propositum longè accommodatiora. Qui cum consule Constantinopolitano quintum illum progressum seu processum agunt: quem, vt inquit Iustinianus, *pornas quasi Floralia* appellant, ij non adeunt templum *Sophie*, aut *Irenes*, aut *Anastaseos*, aut D. Virginis *Blachernium*, aut illud ad *Fontes*; sed ad theatra properant, *vbi Erbis*, qui in *secularisum* concitant, locus est, & *tragædis* pariter, & *Thymelicis saltationibus*, & id genus aliis, quibus pascuntur spectatores pulchrarum formarum. Præterea, licet, quæ scribis, veritas tibi dictasset, quæ, obsecro, nostrorû culpa est? Num ad fores publicæ Ecclesiæ adstare, & singulos ingressuros & egressuros examinare licet, eo modo, quo olim Absalon stabat ad portas Regiæ, & ex singulis, quid cuperent, percontabatur; vt intelligamus, qui genus, vnde domo, qua mente in templum concedant; quibus moribus vitam agant; Virgines ne sint, an matronæ, an adulteræ, an prostibula? vt taceam, non rarò euenire, vt quæ in templum venerat peccatrix, abeat iam non *Thais* aut *Lais*, aut *Phryne*; sed aut *Magdalena*, aut *Maria Ægyptiaca*; & (quod S. Augustinus ait de muliere illa, quæ erat in ciuitate peccatrix) *accedat ad templum immunda, vt redeat munda; accedat ægra, vt redeat sana; accedat confessa, vt redeat*

Novell. 105.

S. Aug. lib. 50.
Homil. Homil.
23.

deat professa. Si quis in templo Hierosolymitano, ipso festo exaltatæ S. Cræcis, Mariam Ægyptiacâ, aut Mariam Magdalenam in domo Simonis, impuris oculis aspexisset, quonam iure culpam adscriberes iis, quorum in cura templum illud, aut domus erat? Nonne etiam ille ipse impurus, deceptus fuisset, aspiciendo, vt impuras illas, quæ iam per pœnitentiæ lauacrum contractas maculas eluerant, & ex seruiture Diaboli ad iugum Christi transferant, sicut deceptus est ille Pharisæus, qui iniquis oculis publicanum intuens, eundem in prioris adhuc vitæ sordibus hæere existimabat? Nimis impotens & impudens fycophanta es, dum calumnias ex iis rebus texis, quæ num accidant, certò non scis; & si accidant, non tantum nostris in templis accidere possunt, sed in omnibus, imò vbi que locorum, & quidem longè facilius ac frequentius.

At nunc propius ad singulos gradus nostri Ordinis exagitandos accedis. *Alumni*, inquis, *sive in Nouitiatu, sive etiam illo exacto, maiore sollicitudine cæteris insituuntur*. *Ne scio vnde tibi alumni nomen, quod nostræ Constitutiones nulli ex nostris, quod sciam, tribuunt. Nam qui in probatione versantur, ij tyrones aut Nouitij audiunt: qui finito tyrocinio vota simplicia nuncupant; ij appellantur scholares aut scholastici, si aut iam docti sunt; aut litterarum studiis addicuntur, vt docti fiant. At qui domesticis ministeriis destinantur, & Marthæ sortem sectantur; ij Coadiutores temporales non *Formati* nominantur. *Alumni* nomen tu tibi retine, quod cum olim quidam non professis, & nondum in Coadiutorum *Formatum* catalogum adscriptis tribuerent, tolerandum erat; quia bona mente id faciebant. A te nomē hoc non accepto; quia mala mente id vsurpas, nobisq; attribuis.*

De gradibus
Societatis.

vt materiam calumniandi habeas. *Ex vniuersa*, inquis, *iuuentute alliciunt ad se pulcherrimos, ditissimos, nobilissimos, prastantissimos, ac donis excellentissimos.* Non modò Calu-
nianus es, vt video, sed & hyperbolicus Calvinianus, cui nihil nisi *superlatiuum* placet. Dixi iam suprà, quales con-
ditiones exigamus ab iis, qui in Societatem alleguntur: nec mirum, cautionem adhiberi; quanta enim cura o-
lim legebantur tyrones ad arma illa Martia; cur non & ad nostra spiritualia, vbi amissio victoriæ eò periculosi-
or, quò maior est salus animæ, quàm corporis? *Qui dele-*
ctum acturus est, inquit ille, *vehementer intendat, vt ex vul-*
tu, ex oculis, ex omni conformatione membrorum eos eligat, qui
implere valeant officium bellatoris. Et nos sine discrimine,
Tros Rutulusue suat, quosuis in Societatem nostram adsci-
scemus? *Vetuit olim Deus sibi immolari asinum*, ouem
loco eius postulauit. *Primogenitum*, inquit, *asini oue re-*
dimes, nec ferre voluit hostiam, quæ haberet maculam,
quæque clauda esset, vel cæca, aut aliqua parte de-
formis, aut debilis; *non immolabitur Domino DEO tuo*,
inquit. Cur igitur quiuis, Deo, in religione dedica-
rentur & consecrarentur? *Delectu itaque opusest, &*
vt rectè monet doctor ille militaris disciplinæ, à ma-
gnis viris magna diligentia eligi idoneos conuenit iuniores.
Nec Christus quosuis suum in Collegium adsciuit; no-
minatim exclusit quendam, quem à spiritu immundo li-
berarat; licet magnis precibus flagitantem, vt recipere-
tur. *Cumq; adscenderet nauim*, inquit S. Marcus, *capit illum*
deprecari, qui à Demonio vexatus fuerat, vt esset cum illo, &
non admisit eum; sed ait illi: Vade in domum tuam ad tuos.
pulcherrimi, inquis, *alliciuntur.* Corporis dotes non ne-
gligimus, quia nec Deus in postremis eas habuit, cum
quinam sacerdotio fungi deberēt, præscripsit his verbis:

Homo

Quales in So-
cietatem ad-
scribantur.

Veget. lib. 1.
cap. 6.

Exod. 13. & 34.

Veget. lib. 1.
cap. 7.

Marc. 5.

Homo de semine tuo per familias, qui habuerit maculam non
offeret panes Deo suo, nec accedet ad ministerium eius, si cæcus
fuerit, si claudus, si vel grandi, vel parno, vel torto naso, si fracto
pede, si manu, si gibbus, si lippus, si albuginem habens in oculo, si
tugem scabiem, si impetiginem in corpore, si herniosus, om-
nis qui habuerit maculam de semine Aaron sacerdotis, non ac-
cedet offerre hostias Domino, nec panes Deo suo. Non quæri-
mus tamen Aglaia filios, Parides, Narcissos, Adonides,
aut Absalones, quia *vana est gratia, & fallax pulchritudo:*
iunenis timens Dominum, ipse laudabitur: satis est corpo-
ris totius constitutio & conformatio talis, qualem olim
Deus desiderabat in iis, qui templo & altari ministratu-
ri erant. *ὅτι ἡ χρῆσις ἀσθεῖαι*, ait ille, *ἢ δὲν τῆς εὐμορφίας ὄφρα*
λος, ἔτασ πρὸς τὴν φρενὸς ἐχρῆ. *Asimus spectandus est, nihil pul-*
chritudo iuuat, cum quis mente caret. Longè arbitror pellen-
dos à castris; inquit Vegetius, *piscatores, ancupes, dulciarios,*
lunteones, omnesq; qui aliquid tractasse videbuntur, ad gynæ-
ceæ pertinens. A nostris item castris, tui illi *pulcherrimi*
meritò excluduntur, si pulchritudo ingenij externæ spe-
ciei non respondeat, quia imbelles sunt. Hinc & Home-
rus, cum dixisset Nireum, post Achillem, fuisse omnium
formosissimum eorum, qui ad Troiam venerāt; mox ad-
didit; *ἀλλ' ἀλαωαδὸς ἦν*, sed erat imbellis, & effaminatus
ad prælia.

Ditissimi, inquis, *alliciuntur & nobilissimi.* Nec diuiti-
as, nec nobilitatem cupimus, aut captamus, satis nobis
est si candidatus sit cæteris animi & corporis ornamenti-
bus exornatus, diues & nobilis probitate & moribus. Nobis
placet de nobilitate sententia S. Gregorij Nazianzeni,
quam his verbis explicat. *Magnis omnibus & excelsis vi-*
ri, vna patria est Hierusalem, in quam municipatum nostrum,
vt aq; suuclionem recondimus. Omnibus genus vnum, si inse-

i a

viora

Leuit. 21.

Eurip. Oedip.

Veget. lib. 1.
cap. 7.

Iliad. 2.

S. Gregor. Na-
zian. orat. ad
Arianos.

reriora hæc spectare velis, pulvis & limus: si superiora, spiraculum illud, cuius participes facti sumus, quodq; incorruptum seruare iubemur, & cū quo inibi ad tribunal sisti necesse est, vt diuinitus inditæ nobilitatis imaginisq; rationem reddamus. Quisquis igitur recta ratione viuēdi, animique ad exemplar suum inclinatione ac defixione spiraculum illud conseruauerit: huic demum nobilitatis ratio constabit. Contrā, qui vitiis illud sceleribusq; scēdauerit, formamq; alteram, hoc est, serpentis sibi induxerit, ille verē ignobilis & obscurus erit, existimandus. At terrena hæc patria, atque hæc generum discrimina, breuis huius & caduca vitæ nostræ & scēna sunt ludibria. Quam enim quisque terram, siue per tyrannidem, siue per calamitatem antē occupauerit, ea patria dicitur, cuius omnes æquē hospites & aduenæ sumus, quantumlibet vocum appellatione ludamus. Iam genus illud nobile censetur, quod vel olim opibus & copiis excelluit, vel quod nunc superbe intumescit; sordidum contrā & ignobile, quod à parētibus pauperibus ducitur, vel propter calamitatem, vel propter animi probitatem. Quis denique afferri queat, cur superba hæc nobilitas esse possit, quæ partim nunc incipit, partim extinguitur, aliis quidem negatur, aliis autem rescripto conceditur? Hæc mea de his rebus est sententia: eamq; ob causam tibi quidem per me licet, vt sepulchris & fabulis insolescas, magnificeq; de te sentias. Ipse verō me ipsum pro viribus ab errore & impostura repurgare nitor, vt vel incolumem nobilitatem tuear, vel amissam recuperem. Hæc sanctus Gregorius Nazianzenus.

Iam perge. Docentur ex instituto meditari & contemplari diuina, & vitia odisse, virtutes amare. Nihil dum video, quod reprehensione dignum; pergamus ergo; Capitibus illorum Magistri insarciunt captiuationem, præcipuè intellectus, in obsequium superiorum, tanquam Societatis propriam, & religionis fundamentum, quam & mortificationem
exce-

excellentissimam, & voluntatis resignationem Deo gratissimā vocant. Loqueris de his rebus sicut surdus de suauitate Musices & harmoniæ. Religiosæ vitæ fundamenta, sunt abrenūciatio seu renūciatio, seu abnegatio, seu abdicatio, seu resignatio, & abiectio omnium, quæ quis possidet, vt ad propriū finē liber ab omni impedimēto contendere queat. Et quia non modò externa bona possidemus, sed & interna, in quibus principem locum tenent voluntas & intellectus, ideo & his itidem renūciandum siue abrenūciandum est, vt velimus id, quod vult Deus; & bonum esse iudicemus, quod bonum esse iudicat Deus, & is, qui Dei loco nobis præst; vtque nolimus, quod Deus non vult, & expedire non iudicat, & is, qui nobis Dei loco præst, tanquam diuinæ voluntatis interpret, ita vt nostrū velle & nolle & iudicium, cum Dei & Antistitis velle & nolle & iudicio concordet: Vt quibus verissimè dicere possit Deo: Tuus sum ego, saluum me fac. Nihil mihi reseruauī, omnia
tibi transcripsi & resignauī. Et hæc omnium rerum abdicatio & abnegatio, omnis Religiosæ vitæ & familiæ fundamentum est, non tantum nostræ, vt tu nos docere fingis, Et si B.P.N. Ignatius speciatim nobis, tanquam obedientiæ filiis, præcepit, vt in abnegatione intellectus & proprii iudicij excellere studeamus. At nunquam dixit, hanc abrenūciationem non pertinere etiam, ad alios Religiosos. Vtinam omnes tam sedulo eam sequerentur & amplecterentur, quàm omnibus Religiosis, vel propter vnicum obedientiæ votum, necessaria est. Christi monitum est; Qui non renūciat omnibus, quæ possidet, non potest
meus esse discipulus. Inter hæc omnia etiam iudicium proprium, & quidem præcipuè, numeratur, non enim frustra appellatur proprium. Nec requirunt superiores hanc intellectus & voluntatis resignationem suā causā, vt tu
hic

Quomodo in-
struantur iero-
nes Societatis.

psalm. 118.

Lucia.

hic nugatis, sed causa Dei, cuius vices gerunt; & causa subditi, cuius salutem, & spiritualem profectum procurant. si subditus proprii iudicij & voluntatis adhuc tenax aliquid quando calcitret & refragetur, in promptu est Antistitibus cum Moysè & Aarone dicere: *Nos verò quid sumus, quia misistis contra nos? Nec contra nos est murmur vestrum, sed contra Dominum.*

Ais: *Nostros cum hac sua intellectus captiuatione, nihil aliud spectare, quàm quod quantum reuerentia erga suos superiores habent, tantum cõtemptus erga alios omnes ordines præferant.* Benè vetus vates; *ἄνθρωπος ἀνείκελος ἐπιεικής ἐστίν, ἡ δὲ βελτίονος ἀνείκελος ἐστὶν ἀνείκελος.* Nulla bestia est homine impudente audacior. Quæ enim audacia, tam falsa chartis illinere, & mundo obrudere? O

S. August. lib. 16. contra Faustum, cap. 26.

hominem, ait S. Augustinus ad Faustum, & ego ad te, *se cogitantem dictorem, & alium non cogitantem contradictorem.*

Vbi est acumen tuum? An in mala causa non posses aliter? Sed mala causa, te vana loqui coëgit, malam verò te habere causam nemo coëgit. Quid enim à Religiosa modestia, & submissione alienius, quàm se vel vni anteferre; nedum verbo, vel facto alios in eandem militiam, etsi non sub iisdem signis, adscriptos, arroganter aspernari; quasi tu doctior aut melior, Deoque sis acceptior? Profectò, qui ita comparatus esset, is ne fundamentum quidem religiosæ vitæ iecisset: tantum abest, vt omnibus renunciaffe ex Christi præscripto cenferi possit. Sed tu & tui similes impostores id vnũ studetis, vt apud alios Ordines in odium nos adducatis atque adeò efficiatis, vt non solum à vobis iniuria nobis inferatur, sed & ab aliis. Nam vt Herodotus ait: *In calumnia, quæ res est grauissima, duo semper sunt, qui iniuriam faciunt, is nimirum, qui calumniatur, & qui calumniati fidem habet, antequam verè rem cognoscat.* Alter autem

Herodot. lib. 7. Refert Strabonem form. 40.

iniuriam

iniuriam patitur tum à calumniatore, tum ab illo, qui ipsum, aures calumnianti prabens, pro malo reputat. Sed tam crasso filo contextis mendacia, vt sperandum sit paucos fore, præsertim ex Religiosis familiis, quibus oculos perstringere & fucum facere queant.

Nunc conuicia ex lupanaribus haurire incipis: *Fama est, inquis, per alienorũ pulchritudinem, aliorum verò iuuentutem, otium, & rerum abundantiam, obscena frequenter omnium ordinum inter ipsos interuenire.* Etsi de hoc argumento satis fusè suprà scripsi, hic tamen necessariò addenda sunt nonnulla; vt lector honestatis amans, clarè perspiciat, quàm intolerandi sint isti calumniatores, quibus nulla religio; tam infanda flagitia religiosis affingere. Ac primùm nec priuatim nec publicè profiteamur, vt iste mentitur, nullum ex nostris, peccato, quod castimonie aduersetur, inquinari posse, scimus enim, quos inter hostes degamus; scimus quàm cautè agendum & ambulandum sit, vt qui stat, ne cadat: sed hoc profiteamur publicè & priuatim; & quidem verissimè, nos non modò in Societate nullam impuritatem, sed nec vllum impuritatis indicium ferre: ac proinde, si quis quid in hoc genere committeret, etiam professus, etiam doctissimus, nobilissimus, multisque præclarè gestis celeberrimus, non toleraretur, sed eis, quas tam turpe Religioso nomini flagitium meretur, pœnis subiceretur, tandemque penitus ex Ordine exturbaretur: Nec mirum, existere posse, qui vocationis suæ immemores, retrò respiciant, & ad ollas Ægyptiacas suspirent. Nullus cæcus tam sanctus est, in quem se non insinuare queat aut Iudas aut Nicolaus Antiochenus, aut, si talis non veniat; in quo talis effici nequeat.

De castitate.

Hæc

Tertull. lib. de
Praescript.

S. Hier. lib. 3.
contra Rufin.

Mich. 7.

Hæc enim mortalis huius vitæ fors est & ratio. Hæc cuiuscunque status conditio. *Etiã de oliua nucleo, inquit Tertullianus, mitis & opima, & necessaria, asper oleaster exoritur. Etiã de papauere fici gratissima & suauissima, ventosa & vana caprificus exurgit. Lustrauit monasteria Nitria, inquit S. Hieronymus, & inter Sanctorum choros aspides latere perspexi. Neque in bona segete nullum est spicum nequam, ait Varro, neq. in mala, non aliquid bonum. Cuius dicti partem priorem probo, posteriorem non item, propter Hæreticos, quia, vt Propheta canit, Qui optimus in eis est, quasi Paliurus; & qui rectus, quasi spina de sepe.*

Sed isti, quod rarissime contingit, id frequenter contingere clamant; & quod vnus aut alter admisit, id ab omnibus aut admitti aut admissum esse vociferantur, fraude calumniatoribus Religiosorum iam dudum visitata, & à S. Thoma itidem notata, *Extendunt, inquit, crimina religiosorum quoad personas, vt scilicet, quod ab vno vel duobus geritur, toti Religioni imponere presumant, quæ etiam si ab aliquibus aliquando fiant, nullatenus sunt totali collegio imponenda; Non ergo propter hoc infamandum est Religiosorum collegium, si aliqui ex eorum numero, grauis etiam peccata, committunt; aliàs simili modo & Apostolorum collegium vituperabile fuit, propter hoc, quod dicitur Ioannis 6. Nonne duodecim elegi, & vnus ex vobis diabolus est? Vnde etiam Canticorum secundo dicitur; sicut liliu[m] inter spinas, sic amica mea inter filias. Hæc S. Thomas.*

Cæterum, si quis accuratius inuestigare velit causas, quibus Hæretici calumniatores adducti, nobis & aliis Religiosis flagitia Venerca tam libenter & cupidè obiectant, is neque paucas, neque improbables reperiet. Primum namque, cum ipsi sibi persuadeant, castitatem ob-

S. Thom. opusc.
19. cap. 20.

seruatum esse impossibilem; facile sit, vt alios suo pede metientes, alienosq. animos ex propriis aestimantes, Religiosos castè viuere negent, deque iis ea suspicentur, imò & euulgent crimina, quæ ipsi consciscunt; & si quos videant, quibus melior ætas dat meliores vires & sanguinem; à se impetrare nequeunt, vt tales vitam pudicam agere credant, probè enim sciunt, quam ipsimet impudicam vitam uiuant. Qua in re impurissimū illud humani generis monstrum imitatur, Neronem, inquam, qui putabat neminem posse esse pudicum, neminem castum, quia ipse flagitiosissimus & impurissimus erat. Idem de Magis & Philosophis Ethnicis scribit S. Athanasius. Idè S. Hieronymus, de Episcopis quibusdam Vigilantianis, qui non ordinabant Diaconos, nisi prius vxores duxissent, Nulli calibum credentes pudicitiam, inquit, imò, ostèdentes, quàm sanctè uiuant, qui malè de omnibus suspicantur, & nisi prægnantes vxores viderint Clericorum, infantesq. de vlnis matrum vagièntes, Christi Sacramenta non tribuunt.

Secundò, quia natura ita comparatum est, vt vitium oderit & accuset virtutem; libido, castitatem; impuritas, puritatem; impurus, purum; & libidinosus, castum. Quocirca nil insuetū, si illud, quod solent, consilium capiant: *Circumueniamus ergo iustum (& castum) quoniam inutilis est nobis, & contrarius est operibus nostris, factus est nobis in traductionem cogitationum nostrarum: grauis est etiam nobis ad videndum, quoniam dissimilis est aliis vita illius, & immutat e sunt via eius. Tanquam nugaces aestimati sumus ab illo, & abstinet se à viis nostris, tanquam ab immunditiis. Sit ergo foritudo nostra aduersus illum lex iniustitiæ, & calumniæ & mendacij. Sensit hoc olim, & claro experimento didicit sanctus Gregorius, qui ob magnitudinem miraculorum,*

Sueton. in Nerone.

S. Athanasio-
rat. de pass.
Domini.

S. Hieron. con-
tra Vigilant.

Nyss. in Vita
S. Gregorij.

quæ patrabat, *Thaumaturgi* cognomentum tulit; de quo ista sanctus *Gregorius Nyssenus*: Cum degeret in *AEgypto*, in magna *Alexandri* urbe, in quam ex omnibus partibus *Philosophia* & *Medicina* studiosa iuuentus confluxerat: molestum spectaculum æqualibus erat adolescens, super ætatem sobrietate temperantiaque ornatus. Eius enim vita puritatis & integritatis laus, impurorum probrum ac dedecus erat. Vt igitur aliquam excusationem intemperantes ac libidinosi haberent, si ipsi non soli tales esse viderentur, insidias comminiscuntur, & vafrum quoddam consilium excogitant, ut aliquam notam & maculam magni illius viri vita inuenerent. Ac producit ab eis, quæ illum calumniaretur muliercula meretrix, quæ corpore quæstum faceret, infamia irrogata, ex carcere dimissa. Cumque ille, pro consuetudine cum viris doctis atque delectis, in habitu graui & honesto, de quadam questione Philosophica dispiceret, vnâque, se cum illis exerceret, muliercula accedit, ineptis gestibus formam ostentans, & mollitiem, luxumque præferens, & per omnia, quæ & dicebat & faciebat, se se consuescere cum eo simulans: tãdem dicebat: se mercedibus fraudatam esse, adiiciens etiam causas, præ impudentia, pro quibus querebatur, se mercedibus esse fraudatam. At cum illi, qui eius vita puritatem & continentiam non ignorabant, indignarentur, & ira aduersus mulierculam commouerentur: neque vnâ perturbatus est cum illis, qui ipsius nomine stomachabantur: neque quidquam eiusmodi dixit, cum calumniis premeretur, quale pronunciarè par esset eum, qui grauius molesteque rem ferret; non testes vita aduocauit, non iureiurando probrum ab se reiecit; non malitiam eorum, qui hac aduersus eum machinati erant, conuicit; sed submissa atque sedata voce, conuersus ad quendam familiarum; *Heus tu*, inquit, *numera ei pecuniam, ne diutius importunitate sua propositæ questionis tractatum perturbet.* Cum au-

tem

tem is, cui hoc iniungebatur, à meretricula sciscitatus, quantam pecuniam ab illo posceret, sine mora omnem adnumerasset: atque ab lasciuis & proteruis aduersus sobrium & continentem insidia peracta essent: & iam in manibus illius infamis lucrum esset, tunc diuinitus & continentia adolescentis probatur, & calumnia æqualium patet. Simul enim atque manu pecuniam accepit, spiritu infelici atque maligno correpta, fremituque immani atque ferali, diuerso à voce humana sono, ingemiscens, collabitur prona, in medio catu congregatorum, spectaculum horrendum atque terribile præsentibus repente facta, cum & capillus, quem suis manibus vellebat, dilaceratus atque disiectus, & oculi inuersi essent, & os spumam emitteret. Ac non prius à dæmonio suffocari desit, quàm magnus ille Deum pro ea inuocasset atque placasset.

Tertiò, non latet Hæreticos, nullum propemodum vitium excogitari posse, quod Religiosis maiorem notam inurat, insignioremque apud plerosque contemptum pariat, quàm sit libido. Quocirca, cum Religiosorum existimationem, quibuscunque modis possunt, labefactare conentur, hanc potissimum machinam adhibent, fandaque & infanda comminiscuntur seu verè seu falsò, parum morantur; *Dolus an virtus, quis in hoste, & in calumniatore, requirat? Non sunt contenti*, inquit sanctus *Thomas*, *qualibet mala consingere, sed grauissima, quibus eos suspectos reddant & hominum Societate indignos, & omnibus odiosos, & ut eos sua detractione plenius opprimant, eis imponunt mala illa, quæ in Ecclesia, pessima inueniri possunt.*

S. Thom. opus 2.
19. cap. 22.

Quartò, cum vt in aliis, ita & in calumniis hodierni Hæretici & calumniatores sequantur vestigia veterum Ethnicorum, hæreticorum, & calumniatorum, nihil ab

k 2 inge-

Orig. lib. 6.
contra Celsum.
Tertull. Apo-
log. cap. 7. & 8.

ingenio suo alienum faciunt, si eosdem etiam impigrè imitandos sibi proponant, Venerea probra, & dedecora Orthodoxis, Religiosisque obiectando: quæ enim flagitia Ethnici olim Christianis obiecerint, testes locupletes habemus, Iustinum Martyrem, Athenagoram, Origenem, Minutium Felicem, Tertullianum & alios. Dicitur, inquit Tertullianus, sceleratissimi, de sacramento infanticidij, & pabulo inde: & post conuiuium incesto, quod euerfores luminum canes, lenones scilicet tenebrarum & libidinum impiarum, inuerecundia procurent; Quos refutans, præter cætera, ita scribit: Dicimur tamen semper, nec vos quod tam diu dicimur, eruere curatis: aut ergo eruite, si creditis, aut nolite credere, qui non eruitis: de vestra vobis dissimulatione præscribitur, non esse, quod nec ipsi audetis eruere. Paulò post: Discumbens dinumera loca, ubi mater, ubi soror, nota diligenter, ut cum tenebra ceciderint canina, non erres, piaculum enim admisit, nisi incestum feceris. Talia in initiatu & consignatu viuus in auum. Cupio respondeas, sit tanti aternitas, aut si non, ideòne credenda? etiam si credideris, nego te velle; etiam si volueris, nego te posse: Cur ergo alij possunt, si vos non potestis? Cur non possitis, si alij possunt? Alia nos, opinor, natura Cynophanes aut Sciapodes, alij ordines dentium, alij ad incestam libidinem nerui. Qui ista credis de homine, potes & facere, cum homo es & ipse, quod & Christianus: qui non potes facere, non debes credere, homo est enim & Christianus, & quod & tu. Hæc Tertullianus pro defensione Christianæ innocentie. Quantum autem hic de Christianorum impudicitia sparsus rumor, & ex eo in mentibus multorum prognerata sinistra existimatio, rei Christianæ obfuerit, his verbis docet Origenes: Hæc falsa & iniqua opinio dudum valde multos à religione nostra

nostra alienos tenuit, persuasos, quod tales sint Christiani: nec desunt hodie, impostores, qui hoc pacto deceptos à se non sinant vel simplex colloquium habere cum Christiano homine. Quid alius Ethnicus, & quidem dux exercitus, sub Maximino Tyranno, contra Christianos commentus sit, in hunc modum refert Eusebius: Alius dux exercituum apud Damascum Phœnicia, mulierculas quasdam infames, impurasq;, è medio foro arripit, illisque adeo grauias tormenta inflicturum interminatur, ut eas assueuerant dicere cogat, cum quod olim fuissent Christianæ, tum quod nefandi sceleris cum Christianis conscia existissent, tum quod in suis ipsorum templis, quæ Græci κρυπὰ vocant: res obscenas & libidinosas gestissent: & alia etiam, quæ eas in nostræ religionis reprehensionem & ignominiam falsò effutire voluit. Quarum voces in commentarios relatas, Imperatori etiam ostendendas curauit.

Eusebius lib. 6.
cap. 7.

Sed veniamus ad Hæreticos: Quid Ariani contra diuum Athanasium hoc in genere finxerint; quid contra Eustathium, Episcopum Antiochenum; quid contra Euphraten & Vincentium, Orthodoxos Episcopos, dixi a libi. Lector Theodoretum cõsulat, & S. Hieronymum. Quantas Gregorius Patriarcha Antiochenus, vir sanctus, perpeffus est ab Hæreticis criminationes? & inter cæteras etiam hanc, quod cum propria sorore alteri viro in matrimonium data, rem habuerit: quæ calumnia, ne euanesceret, libello consignata est, & oblata ab argëtario quodam, ipsi Orientis præfecto. Stephani, quem Græci Iuniorum vocant, existimationem & famam sanctitate celebrem, Iconomachi calumniatores, eadem arte euersum ierunt; namque libello; quem pessimi impostores contra sanctissimum virum scripserant, hoc itidem flagitium inferuerunt, quod mulierem quandam nobili loco nãtam (Annam nomine) fraude circumuentam, monasticis in-

In Refut. Hist.
Ord. Iesuitici.
Theod. lib. 2.
hist. cap. 9.
S. Hieron. lib.
3. contra Ruf.
Euseb. lib. 6.
cap. 7.

In Vita S. Ste-
phani inter o-
pera Dama-
sceni.



stitutis initiasset, atq; in inferiore monasterio teneret, cum qua ea noctu ad ipsum ascendente consuetudinem haberet. Adhuc, ipsius ancillam pecunia corrumpunt, inquit Auctor, eiq; tum libertatem, tum antici cuiusdam connubium pollicentes, persuadent, ut aduersus eam, simul ac sanctum virum, consentanea iis diceret: quæ illi in illo calumniis pleno libello contexuerant: Similibus calumniis exercuerunt iidem impuri Hæretici Methodium, Patriarcham Constantinopolitanum morum integritate, & animi constantia præcellentem: Nam mulierculam quædam, ut ait Zonaras, multo auro corruptam subornarunt, quæ se corruptam esse ab inclyto illo viro quereretur. Hæc de Hæreticis è plurimis pauca.

Zonaras in
Michaele &
Theodora.

In Vita S. Hieron.
Ex epist.
59. Eiusdem.

Ion. Abb. in a-
ctis Arnulphi
Ep. Met.

Nonnulla promamus de Catholicis seu potius pseudocatholicis, ad calumniandum nimio plus propensis, qui inuidiæ flammis succensi, ipsum S. Hieronymum, infamare ceperunt, quasi nobiles & diuites matronas, Paulam & Melaniam, lucri & amoris inhonesti causa, sanctioris vitæ prætextu, decepisset, & Hierosolymam, explendæ libidinis gratia, duxisset. Subornatus est, quò facilius res crederetur, nugigerulus, qui se nescio quid inhonesti de Hieronymo cum Paula vel vidisse, vel audiuisse assereret; eoque factum processit, ut calumniator ille captus, quæstionibus subiiceretur. Negauit ille, quod prius affirmarat: & insontem clamauit in tormentis, quem antea tanquam scelestum infamauerat. Inter Episcopos Galliæ sanctitate admodum claruit Arnulphus, Episcopus Metensis, quem tantum faciebat Rex Clotharius & Regina, ut eo incognito, nihil agerent: hinc calumniatores, viri sancti traducendi occasionem arripuerunt: Nam quidam scelestus homo, nomine Notto, inquit Ionas Abbas, ausus est irrogare cum complicitibus suis viro sancto iniuriam, asserens scilicet, eum non esse cultorem Dei, sed potius hominem dedi-

deditum voluptati, ad cuius lectum nocturnis horis non solum Rex, verum etiam Regina, tanquam consilium flagitantes, interdum properarent. Qualis autem iste calumniator vita & moribus fuerit, declarat paulò post ille idem Ionas: Nec multò post auctor huius detractionis, præfatus videlicet Notto, in huiusmodi criminibus diffamatur apud Regem, ut scelera eius unà cum vita regalis gladius amputaret, nec non & filius eius eidem sententia subiaceret. Hæc Ionas.

Cum igitur & Ethnici, & Hæretici, inuidique & æmulii, specioso Religionis nomine tecti, semper consueverint viros Religiosos, libidinis macula adspargere, insolens videri non debet, si idem scelus nostri Hæretici & sycophantæ audeant. Cum de S. Cornelio Pontifice & Martyre, fidei desertores sinistra quædam disseminassent; his verbis eum sanctus Cyprianus defendit: *Quod S. Cyprianus quædam de illo inhonesta & maligna iactantur, nolo mireris; Epist. 52. cum scias hoc esse opus semper Diaboli, ut seruos Dei mendacio laceret, & opinionibus falsis gloriosum nomen infamet; ut qui conscientia sua luce clarescunt; alienis rumoribus sordidentur: Qualia non finxerunt de Iesuitis in hoc genere? Qualia non fingit iste impurissimus calumniator? quæ, si tormentis subiiceretur, ut ille S. Hieronymi impostor, falsa esse tam asseueranter pronunciaret, quàm impudenter nunc eadem vera esse asseuerat.*

Artificiose, inquit, tegere & occultare satagunt, si quid existat. Primum, non opus magna occultatione, quia votalia, multò sæpius, quàm contingant, mentimini contingere, idque non sine gaudio, quo ipso satis ostenditis, cuius spiritus sitis: Verè enim S. Augustinus: *Qui de talibus gaudent, abundat in eis iniquitas Diaboli. Secundò, occultantur, ne si vos postea resciscatis aliquem Religiosum in libidine lapsam, vobis ruinæ exaggerandæ & amplifi-*

S. August.
epist. 137.

S. Augustinus
loc. cit.

plificandæ occasio datur, quodque vnus fecit, id solito multiplicandi studio, aut omnes, aut plerisque facere aut fecisse clamiteris. Proculdubio propter vnum Iudam, omnes itidem Apostolos proditiōnis accusaturi fuissetis, si eō tempore vita vobis obtigisset. Ad extremum, quando Religiosi hæc & similia celant, non faciūt deterius, quàm S. Augustinus, qui, cùm quidam ex sua familia turpitudinis admittæ insimularetur, tegere illud studuit, ne in vulgus manaret. *Nam hoc est, inquit, quod praeuere conatus sum, vt, si fieri posset, hoc malum nec vitandum negligetur, nec in vestram voluntatiā proferretur, vbi infructuosè cruciarentur firmi, & periculosè turbarentur infirmi: atque adeò edificarentur in ruinam, vt Tertullianus loquitur.* Sed satis de hoc argumento: præsertim, si adiungantur ea, quæ libro primo copiosè aduersus tuas calumnias disserui.

De Professione
Societatis.

*Alumni, inquis, diu à professione retardantur: Tam diu videlicet, quoad Societati se, suamque virtutem & eruditionem satis probent. Calumniare hanc moram, quantum voles, propter te nihil innouabitur, sed Societas potestate sibi à Pontificibus, & Concilio Tridentino concessa vtiperget, licet tu ad raiim vsque reclames. Abhorrent, inquis, alumni à statu Coadiutorum spiritualium. Alumni fortassis non benè aliti, non Societatis culpa, sed sua. Nam verus Societatis alumnus, totum huius rei arbitrium superioribus committit; nec professionem, nec vllum alium statum ambit, sed indifferens est; quocunque vocatur, eò se alacriter confert, vt proinde Antistites vsurpare queant illud Centurionis: *Habeo sub me milites, & dico huic vade, & vadit; & alij, veni, & venit; & seruo meo, fac hoc, & facit.* si refractarius sit, aut ambitiosus, idque temerè appetat, quod patienter expectandum, non*

Matth. 8.

non procurandum aut extorquendum est, audeo dicere, talem, eo, quem petit, gradu indignū esse. Vsurpabo hîc verba S. Bonauenturæ, quibus ille insigniter depingit Religiosos, qui sua sorte non contēti, altiora quæritant. *Qui se ad hæc officia impudenter ingerunt, indignantes, si ad ea tardius promouentur; quàm sint imprudentes perpendere nolunt aut nesciunt, & eo ipso se ad hoc ostendunt & reddunt indignos. Nam si digni fuerint & idonei, non debent se ad hoc ingerere, sed modeste expectare, quo vsq; per inspirationem Dei à Prælatiis suis & fratribus, ad hoc suo tempore assumantur. Si autem indigni vel nondum idonei, tum si se ingerunt, primo quidem temerarij sunt, quod antequam vocentur, ad tantum officium currere præsumunt. Vnde Hieremias: *Ipsi currebant, cùm ego non mittere eos, scilicet prædicare.* Et Paulus: *Quomodo prædicabunt, nisi mittantur? Idem alibi: Nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur à Deo, tanquam Aaron, &c.* Et Christus dicit in Ioanne: *Neque enim à me ipso veni, sed ille me misit, scilicet Pater.* Secundò, superbi, qui se ipsos reputant dignos & idoneos, ad quod fortè nec Deus, nec fratres, vel Prælati sui iudicant eos idoneos, sicut Chore, qui voluit sibi sacerdotium vendicare. Tertio, Stulti, quia cùm talia officia sint occasio tentationis per inanem gloriam, auaritiā, luxuriā, noxiā libertatem, & internā deuotionis extinctionē, & alia plura pericula, quod ipsimet se talibus incautè ingerunt, nimis stultè se tantis periculis sine necessitate exponunt, cùm fugere magis deberent à periculo, quàm illud appetere, nescientes, quo exitu bellum, quod sibi concitant, finiatur. Quarto, non carent rancore inuidiæ, vel contra eos, qui ad hæc officia eos promouere possunt, & non faciunt; vel qui fortè impediuerunt, imputantes illorum maleuolentiā magis, quàm suā insufficientiā, quod non promouentur, cùm ipsi sibi videantur ad hæc digniores, quàm illi, quos vident iam promotos esse, quibus in scientiā, & aliis se repu-*



reputant aptiores. Hæc præclarè sanctus Bonauentura.

At professio, inquis, est status perfectionis, licet ergo illam appetere. Non nego, sed ita appetenda est, vt acceptetur, si ab iis, qui potestatem habet, offeratur: non autem ita, vt quis eam siue per fas, siue per nefas, sibi procuret, contra Ordinis, in quo viuit, Ordinem, & consuetudinem, & contra sua ipsius promissa; nam cum quis in Societate vouet Deo paupertatem, castitatem & obedientiam, simul etiam addit: *Omnia intelligendo iuxta ipsius Societatis constitutiones*, quorum sensus iste est: vt quis respectu celsiorum graduum non suo, sed Superiorum ducatur & regatur iudicio, vtque eam stationem accipiat & tueatur, non quam sibi elegerit, sed quam Antistes assignarit, nec quando sibi videbitur, sed quando Superiori. Hæc sunt promissa & pacta, contra quæ qui agit, is initu cum Deo & Societate pactum violat. Deinde, si, quia status professi perfectior est, quàm sit status eius, qui simplicibus duntaxat votis Deo est obstrictus, licet eum statum procurare *importunè & opportunè*, ita enim tu intelligis, tum posset professus etiam appetere *Episcopatum*, aut *summum Pontificatum*, quia est perfectior status. Illi, qui erant ex septuaginta duobus Christi discipulis, potuissent ambire Apostolatam, tanquam statum perfectiorem, & ipsi vndecim Apostoli potuissent appetere similitudinem cum Petro, vt scilicet essent Pastores vniuersales à Petri Iurisdictione excepti, cù priuilegio transmittendi hanc suam potestatem ad successores: quia hoc est quiddam longè perfectius, Si istæ tuæ appetitiones licitæ sunt & honestæ, appetat miles gregarius esse Centurio: Centurio, Chiliarcha: hic, tribunus; tribunus, summus Imperator; cuius petat esse consul; consul, dictator; pes, oculus: manus, caput: sensus, intellectus: appetitus sensitivus, volun-

tas: *Quod chaos; quæ confusio ex his perfectionis maioris cupiditatibus existet?* Ordo Religiosus nihil minus, quàm Ordo erit; præsertim si talis sit Ordo, qui pluribus, iisque distinctis gradibus constet. Vbi ceteri erunt gradus, si omnes velint esse vel summus, vel in summo?

Agitur, inquis, fauore & gratia in his gradibus conferendis. At cuius iudicio? tuo videlicet & tui similibus, qui fauore & gratia agi credunt, quidquid in fauorem & gratiam suam non cernunt agi, qui semper credunt se negligi, & infimo loco reponi; quæ est natura ambitiosorum, sibi que quiduis deberi existimantium. Verus Religiosus, etiam infima, summa putat. Hoc animo qui non est, nescio qua ratione Religiosi nomen & existimationem tueri queat. *Professi, inquis, opprimunt alumnos, & varia à Pontifice impetrant, quæ alumnos sunt fraudi.* At te mentiri fatebuntur omnes alumni, (vocemus enim hoc nomine, quandoquidem ita vocas) qui verè sunt alumni, hoc est, qui nec turbati, nec turbatores. Quàm parum enim membra superiora opprimunt subdita, tam parum opprimunt professi alumnos, nec vlla priuilegia aduersus illos impetrant, quia quidnam professis debeatur, & quid scholasticis, iam definitum est, à P. N. Ignatio: vt proinde Pontificiis diplomatibus nihil sit opus. Imò multis in locis professi subsunt iis, quos tu alumnos vocas, hoc est, non professis, & libentissimè subsunt, Christumque in ipsis præcipientem & prohibentem agnoscunt. Ais: *Quosdam fuisse, qui conquesti sint apud Pontificè libello eidem oblato de Professionis dilatione, & quod videret se ita esse circumuentos, vt nullam sibi rem suam benè agendi viam permitti animaduertent*, addis tamen, *imprudenter id eos aggressos: in quo pleno tibi assensu assentior.* Talia enim non nisi *imprudenter* tentantur, præsertim cum tentantur

contra Ordinem à Sede Apostolica, & vniuersa Ecclesia approbatū. At quod huiuscemodi conatus nominatim duos accusas, Ioannem Maffeiū, & Benedictum Iustinianum, quorum alterum dicis *missum in Lusitaniam*, alterum, *in Siciliam, quasi exilij nomine*; id qua fide scribas, mihi incompertum est, vel potius compertum; postquā enim tot mendacia tam crassa & turpia effutiuiisti, nescio cur mihi persuadere debeam, te hoc loco nihil falsitatis narrationi admiscuisse: præsertim cūm sciam, vtrunque horum, quos tu traducis, adhuc superstitem esse, Deoq; in Societate seruire: & Iustinianum quidem ab eo tempore etiam aliis præfuisse, quem Carolus Tapia Iureconsultus tractatu de Religionis rebus, hoc elogio exornat: *Benedictus Iustinianus Ianuensis Theologicæ discipline peritissimus explanator, in Romano Collegio, vir suauissimus ac politissimus, verbiq; Dei prædicatione insignis*. Maffeiū autem, cūm ob alia elegātissima ingenij monumenta, tum ob vitam Parentis nostri Ignatij ab eo literis commendatam, vbique celebrari; qui cur in Lusitaniam profectus sit, ipsemet exponit in Epistola ad Regem Catholicum Philippum, quā historiis Indicis præfixit. At quod aliquando quidam sunt, qui res nouas moliuntur, terminosque à Patribus fixos transferre, & immota loco mouere nituntur; id non est mirum; accidit hoc in ipsa Ecclesia, quæ *tota pulchra, & omnis maculæ expers*: Accidit hoc populo Israëlitico, cūm aliās, rum temporibus Onie Pontificis. *Nam cūm sancta ciuitas habitaretur in omni pace, leges etiam adhuc optimè custodirentur propter Onie Pontificis pietatem, & animos odio habentes mala, Simon præpositus templi constitutus, contendebat iniquum aliquid in ciuitate moliri*: Et vt turbas, quas parturiebat, pareret; ad Apollonium sese contulit, *pecuniarum & patriæ delator*, neque

Oniam

2. Machab. 3.
34.

Oniam summum sacerdotem maledictis insectari destitit. Accidit hoc aliis Religiosis familiis. Quantæ enim disputationes exortæ sunt circa regulam & institutum S. Frãcisce, vt hunc Ordinem multorum loco nominem, excitatæ non modò ab his, qui foris erāt, sed etiam à domesticis fidei? Nec immeritò inter eos, à quibus multa perpeffus sit; numerat S. Paulus *falsos fratres*. Nec de nihilo clamat: *Corripite inquietos: Rogo vos fratres, vt obseruetis eos, qui dissensiones & offendicula præter doctrinam, quam vos didicistis, faciunt, & declinate ab illis*. Huiusmodi enim Christo Domino nostro non seruiunt, sed suo ventri: & per dulces sermones & benedictiones seducūt corda innocentium. Qui quidquid machinentur; nihil efficiunt, nisi apud inquietos. Nā quod Tertullianus ait de hæresi, id, mutatis pauculis vocibus, ad nostrū propositum accommodari potest. *Hæreses de quorundam infirmitatibus habent, quod valent; nihil valentes, si in benè valentem fidem incurrant*. Talis enim, quidquid alij statuunt, fidenter cum Iosue clamat: *Ego autem & domus mea seruiemus Domino*. Cūm Ionathas summus sacerdos & dux populi Israëlitici venisset Ptolomaidem ad Alexandrum Regem, conuenerunt aduersus eum viri pestilentes ex Israel, viri iniqui interpellantes aduersus eum: At quo profectu? *Et non intendit ad eos Rex. Et insit spoliari Ionathan vestibus suis, & indui eum purpura: & ita fecerunt. Et collocauit eum Rex sedere secum. Dixitque Principibus suis: exite cum eo in medium ciuitatis, & predicatè, vt nemo aduersus eum interpellat de villo negotio, nec quisquam ei molestus sit de vlla ratione. Et factum est vt viderunt qui interpellabant, gloriam eius qua predicabatur, & opertum purpura, fugerunt omnes. Ecce quid effecerint seditiosi isti cum suis criminationibus aduersus populi Ducem & Antistitem.*

1. Thessal. 5.
Rom. 16.

Tertull. de
Prescrip.

Iosue 24.
1. Machab. 10.



De potestate
dimittendi.

Ais: *Ex hoc ordine alumnorum, quos volunt, etiam post multorum annorum labores, dimittendi potestatem sibi reservant, atque etiam quandoque infirmitatis inter ipsos acquisitæ, aut aliorum quorumlibet nulla habitæ ratione, liberrimè non sine gravi scandalo dimittunt.* Primò, non tantùm scholastici & simplicibus votis obstricti, sed & Coadiutores formati & Professi dimittuntur, si causa dimissionis legitima suppetat, vt libro primo fusiùs dictum: & hanc missionis dandæ potestatem habet Societas ab iis, qui eam dare possunt, hoc est, à summis Pontificibus. Deinde hoc tibi sanctè affirmo, nullum præter fas & æquum dimitti, causa iustissima suppetat oportet. nam quod ais, *propter morbum* in Societate contractum aliquos inuitos & reluctantes expelli; id à vero tam remotum est, quàm quod maximè, nisi fortè loquaris de incurabili, morbo animi, aut morum: talem egrum, vt antea professus sum, non retinemus; si medicinæ sit impatiens. Non enim patimur, vt in schola Christianæ disciplinæ aliquis potius deficiat, quàm proficiat, potius regrediatur, quàm progrediatur.

Sed ais: *Istos transacta iam meliore ætatis parte, incidere postea in multas miseras sub extremam vitæ partem, quippe imparatos à rebus ad vitæ sustentationem necessariis.* At si incidunt, sua culpa incidunt. Cur enim vitam religiosè nõ instituunt? Cur mores suos ad eam normam, quã spontè sibi delegerunt, non componunt? Cur non ambulant dignè vocatione, qua sunt vocati? si officium faciant, nihil periculi imminet. *Non vidi iustum derelictum, ait Propheeta, nec semen eius querens panem.* Quod si Deum & vocationem deserant, & in religione parùm religiosè viuant, iusto Dei iudicio fit, vt aliquando in graues calamitates incurrant, vt quos benignitas Dei retinere intra honesti

termini-

términos non potuit, castiget iam, tãquam præuaricatores, seueritas. Benedictiones, quas olim Deus promisit *Dent. 28.* obseruatoribus legis; & maledictiones, quas minatus est transgressoribus legis; pertinent quoq; suo modo ad religiosos, qui promissa faciunt; & ad eos, qui fidei immemores, resiliunt & excedunt. Illis acclamatur: *Benedictus tu in ciuitate, & benedictus in agro: His, maledictus eris in ciuitate, & maledictus in agro.* Illis; *Benedicta horrea tua, & benedicta reliquia tua.* His, *Maledicta reliquia tua, & maledictum horreum tuum.* Illis: *Benedictus eris ingrediens & egrediens:* His, *Maledictus eris ingrediens, & maledictus egrediens.* *Mittet Dominus super te famem, & esuriam, & increpationem in omnia opera tua, quæ tu facies, donec conterat te, & perdat propter adinventiones tuas pessimas, in quibus reliquisti me.*

Est & aliud, inquis, ex hoc in Republica graue incommodum, vbi qui iuuenes Societatem ingrediuntur, ac aliquandiu ibi morantur, solent familia ita de bonis disponere, ac si mortui illi essent, vbi verò denuò extruduntur aut egrediuntur, facta noua rerum partitione omnia confunduntur, graui familiarum incommodo: Nam si ab initio aliter res partiti fuissent, quilibet, rerum proportionem habita, longè aliter sibi prouidissent. Respondeo, aut familiæ illæ diuidunt hæreditatem seu patrimonium conscio, volente & consentiente illo, qui Societatem amplectitur, aut inscio; aut si conscio; certè inuito & reclamante: si primùm; tunc si talis nõ perseueret in Ordine, immeritò postea conqueritur de partitione facta; quandoquidem facta est legitimè, iubente & consentiente illo: pono enim eius esse ætatis & conditionis, cuius consensus faciat partitionem illam legitimam. Si secundum; tunc dico, partitionem illam fuisse iniquam; nemo enim ius habet in bona alterius Domino nolente & inscio: at ille, qui Societatem amplectitur, adhuc Dominus est sui patrimonij, tum tempore tyrociniij,

tum

rum exacto iam tyrocinio, quādo votis simplicibus obligatus est. Nam ingressus in nostram religionem, non priuat aliquem Dominio suarum rerum, et si priuat professio, aut cooptatio in numerum Coadiutorum formarum; quo casu, si de bonis suis non disposuerit, poterunt ea cognati & hæredes, arbitrato suo diuidere, nec quisquam illis litem intendet; licet in aliis nonnullis Ordinibus, ipsum etiam patrimonium profitentis non ad cognatos, sed potius ad Monasterium deuoluatur. Ergo, si quis postea ex Ordine excedat, cuius bona inter cognatos, ipso non approbante, fuerint distributa; merito, quæ sua sunt, repetet, nec maior inde nascetur perturbatio, quàm oriri soleat, cum quod iniuste detinetur, legitimo Domino restituitur. Quo enim iure, isti, in non sua inuolarunt, nisi quod iam eò ventum est, vt quàm primum quis religionem ingreditur, pleriq; bona illius prædam Mysorum reputent; miluinisque & aquilinis vngulis diripiant; & hoc ipso etiam se obsequium Deo præstare putent; si diligenter caueat, ne qua portio ad Monasterium perueniat?

Pergis: Qui in alumnorum gradu viuunt, præ ceteris omnibus exagitantur, exercentur, vexantur, affliguntur, publica depressione castigantur, si tela aranea in fenestra, aut cubili cõspiciantur; si omnia non sint exactè curata; si in temporis puncto non sint in locis, ad qua signo campana vocantur; si lectum stato tempore non strauerint; si scutellas non rectè lauerint, si celerius comederint; aut inter comedendum circumspexerint; si celerius aut liberius incedant; si cum extraneis sine facultate loquantur; cibum quandoque vel potum in pœnam detrahunt, disciplinas, aliasque, quas volunt, pœnas imponunt. Eheu quales exagitationes, quales exercitationes, quales vexationes, quales afflictiones, quales depressiones, quales & quam atroces

troces castigationes, quales latorum. Mirum ni cum Tyndaro dicas: *Vidi ego multa sæpe picta, quæ Acheronte fierent cruciamenta, verumenimvero nullus adeque est Acheruns, atque vbi ego fui in lapidinis, illic demum est locus, vbi labore lassitudo omnis exigunda ex corpore. Etiam cibum, inquis, & potum subtrahunt.* O intolerandam carnificinam, præsertim si quis fameat aut sitiatur, aut patre bibulo sit progenitus. Sed tamen ne has pœnas in solis Iesuitarum collegiis vsitatas arbitraris, non te mittam ad variorum religiosorum Ordines, neque ad Basilium, Cassianum, & alios, qui de disciplina religiosa scripserunt; neq; ad quamlibet benè constitutam Rempublicam, quæ præmia rectè factis, & multas iis, quæ secus fiunt, decernit: neque ad priuatam quamque domum aut familiam, quæ sine animaduersione in delinquentes, rectè administrari & gubernari nequit: tãtum rogabo, vt ad externam illam militiam, qua pro perituris bonis certatur & disceptatur, oculos flectas: & postea, vbi omnia inspexeris, oculos ad hanc nostram spirituales militiam, & ad hæc castra Dei reflectas. Vix vllam pœnam reperies in militia spirituali, cuius similem: vel potius, qua longè grauiorem non sis reperiturus in illa Martia. Nam si quid milites deliquissent; aut hordeo pascebantur: testes Liuius, Suetonius, Plutarchus, Dio, Vegetius; aut stantes cibum capere iubeantur: Auctor Liuius: aut fossam fodere, testis Plutarchus in Lucullo; aut in itinere cum impedimentis iter facere, vt ex Ammiano liquet, aut tendendi locum mutare, testis Liuius libro vigesimo quinto, aut extra oppidum aut castra hybernare; testis idem Liuius, libro trigesimo quinto, & Valerius Maximus libro secundo, capite septimo, aut stare per totum diem ante prætorium, interdum tunicati discinctique;

Depanitiu.

Vide Refur.
hist. Iesuar.
fol. 83. & seq.

Liuii lib. 37.
Suet. August.
Plutarch.
Marcell.
Dio lib. 49.
Veget. lib. 1.
cap. 14.
Liuii lib. 34.

Sell. lib. 10.

nonnunquam cum decempedis, vel etiam cespitem portantes, ut Liuius tradit libro vigesimo septimo, aut à castris segregari, quod manifestum ex Vegetio libro tertio, capite quarto, aut militiam mutare, ut cum eques in peditum numerum redigebatur: Mittebatur præterea cum ignominia, ut notum omnibus. Fuit hæc quoque antiquitus militaris animaduersio, inquit Gellius, iubere ignominia causa militi venam solui, & sanguinem mitti. Loco huius, si placeat, accipere potes religiosam illam pœnam, quæ disciplina dicitur; licet huic aliæ, etiam militares, longè sint similiore, ut virgis cadi, vite aut fuste verberari. Si igitur hæc, & id genus aliæ pœnæ delinquentibus statuta sunt in militia illa temporali; cur in hac spirituali nullæ pœnæ essent, cum pœnis & premiis, ut ille ait, omnia optime regantur: aut si sunt, cur tanquam tyrannicæ, & quasi ex Phalaridis officina profectæ essent, traducuntur, cum sint mitissimæ & planè paternæ? Non enim apud Religiosos locum habet decimatio, non manuum amputatio, non ad bestias damnatio; non in crucem sublatio, non capitis pœna, non viuocomburium, non lapidatio, non cætera de genere eodem necis genera. sed omnes, apud Religiosos, præsertim in Societate, vsitatae correctiones, planè clementes sunt & paternæ; quarum, qui impatiens est, & negligens, is satis prodit, quo spiritu agatur, *Si extra disciplinam estis*, inquit Apostolus, *ergo adulteri, & non filij estis*. Nec soli alumni puniuntur, si quid errati admittant, ut tu fabularis, sed omnes simpliciter, sine vlla exceptione: omnes enim sese filios Societatis profitentur, & sibi dictum existimant illud: *Fili mi, noli negligere disciplinam Domini, neq; fatigeris, dum ab eo argueris*, per Superiores videlicet, quibus Christi loco pares. *Quem enim diligit Dominus, castigat, flagellat autem omnem filium, quem recipit: in disciplina perseuerate:*

Hebr. 12.

Tan-

Tanquam filius offert se Deus. Quis enim filius, quem non corripit pater?

Huius, inquis, pœnis adigunt quosdam, ut fugam meditentur, & data occasione arripiant: Nempe tui similes, de generatione mala & adultera, qui remissas manus, & soluta genua non erigunt, nec gressus rectos pedibus suis faciunt, ut non claudicantes errent: qui exosam habent disciplinam, & timorem Domini non suscipiunt; nec acquiescunt consilio Dei, & detrahunt vniuersa correctioni eius. Qui vocem illam spernunt; Disciplinam Domini, fili mi, ne abiicias; nec deficias cum ab eo corripieris, quem enim diligit Dominus, corripit, & quasi pater in filio complacet sibi. Quosdam, inquis, his pœnis ad insaniam redigunt. Nisi insanus esses, nunquam conuicium tam insanum effutiuiesses. Sed probas calumniam tuam exemplo eius, qui mente captus, Coloniae tres ex nostris peremit. Profecto satis mirari nequeo frontem tuam, qui ausis in medium proferre hanc tragœdiam: cum toti mundo constet, hominem illum redactum ad insaniam, non vexationibus & afflictionibus, quæ nullæ erant, sed nimia animi in studiorum laboribus contentione, & præterea insita quadam, ut contingit quibusdam ingeniis, ad maniam inclinatione. ut enim aliqui ad stultitiam quædam semina à natura habent inspersa: ita & ad insaniam; quibus facili negotio rationis vsus intercludi, & vel in amentiam, vel in furorem degenerare potest. Ex quorum numero & iste vnus erat. Quid mirum autem, si furiosus obuios trucidet? Non solus exstitit, qui furis actus tale facinus conscuerit: nec inauditum, licet familiarissimos furiosus perimat, non enim distinguit furor notos ab ignotis, nec necessarios à non necessariis. Obi quaeso historias, & circûspice, vtrû nulla exëpla occurrant, vbi parens furis impulsus, etiã proprios liberos trucidarit, & miseradû in

Prouerb. 3.

Historia Colonicensis de insano.

310

m 2

mo-

*Veg. lib. 3. de
arte Medendi,
cap. 15.*

modum discerpserit? Consule Medicos; an non interpretates furiosorum has etiam enumerant, quod sint temerarij & iniuriosi, ita ut familiaribus insidias parēt, & eos vulnerent, & quandoq. occidant? Qui & monent, non facile illis fidem adhibendam, licet sapere videantur, esse enim hūc maniacorum dolum, ut à vinculis & flagellis euadere possint. Quod Medicorum monitum si nostri obseruassent, melius fortè vitæ suæ consulissent, sed dum misericordia religiosa moti, potius furibundi illius, quàm sui rationem habent, in manus eius incurrerunt, quod tu sceleribus illorum adscribendum suspicaris. At ego eò sceleratiorem hanc tuam suspicionem duco, quò certius est, illos, qui perempti sunt, fuisse viros innocentissimos, & religiosissimos, & toti Coloniensi ciuitati ob virtutem venerandos. Mirum dictu, te tam atrocem calumniatorem esse, ut ne à mortuis quidem petulantem & maledicam linguam abstineas: quod illis accidit, id & tibi improbo, & cuius probo euenire potest: nam ab huiusmodi incertis casibus, & improuisis periculis nemo mortaliū exceptus est.

*Quis sit finis
penitentiarū.*

*De laboribus
Societatu.*

Addis: Tota hac affligendi ratio, eò maxime tendere videtur, ut alumni magis ad Professorum obsequia, quàm ad virtutem instituantur. Falsum: quia finis huiusmodi pœnarū alius non est, quàm ut disciplina religiosa conseruetur, & omnia ordine & decenter fiant, vitiiisque, etiam minutis, aditus studiosè intercludatur, ut quidquid virum religiosum deformat, corrigatur & amputetur. Plura, inquis, faciunt alumni, quàm Professi. Fortè id eò, quia sunt plures; Item, quia ætate & viribus plerunque validiores: Opera, ait ille, & hæc iuuenum sunt, consilia & preces senum. Nescis fuisse Rempublicam in qua triplex, certis temporibus, constituebatur chorus: primi canebant: se strenuos & in-

& inuidios viros fore: Alteri, se esse: Tertij, se fuisse. Et si nemo apud nos otiosus; nam & ipsis professis sua sunt & in scholis, & in templis munera, publica & priuata. In hac Domini vinea, non auditur illud: Nos portauimus pondus diei & æstus, quia hoc murmuratorum est; quibus non omnia communia, siue labor, siue quies.

Retrahuntur, inquis, alumni ab iis exercitiis, quibus rerum exactior acquiri posset experientia, ne scilicet plures ad gubernandum fiant idonei. Nihil minus, mi homo, imò Societati nihil esset gratius, quàm ut omnes, iis dotibus ornati essent, quæ ad gubernacula requiruntur: eò felicior Ordo esset; sicut eò instructior & fortior est exercitus, cuius etiam singuli gregarij milites, virtute & belli peritia, ita excellūt, ut Ducum & Capitaneorum officiis cum laude fungi queant.

Subiungis: Professorum quidam ingenuè fatentur, quàm paucissimos deinceps ad professionem admittendos, ne videlicet nimia multitudo vilescant. Tot admittentur, quot apti fuerint, iudicio Superiorum: si autem apti fuerint, periculum non est, ne vilescant, quia multitudo aptorū non parit contemptum, sed ineptorum. Neque multitudo idoneorum ea turba est, quam à professione remouet noster P. Ignatius, sed est castrorū acies ordinata, & gens electa.

Plurima, inquis, ex his Iesuita incommoda incurrunt. Quæ illa? percense: Postquam alumni aliquot annis cum ipsis vixerint, ac post discedunt, iam conscij eorum, quæ inter ipsos sunt; in vulgus, non sine graui scandalo ac Ordinis infamia, spargendi facultatem acquirunt. Quod si mox, absoluto Nouitiatu tempore, quo nihil sinistri aduertere solent, vel professi fierent, vel dimitterentur, nihil huiusmodi euenire posset. Prudentissima, ita me Deus amet, ratio: quam si in Concilio Tridentino proposuisses; persuasisses proculdubio Patribus,

De Apostatu.



tribus, vt Iesuitis statim à Tyrocinio professionem imperarent: Sed tamen quærere ex te lubet, an non etiam Professi ab Ordine deficere possint, ita vt vel ad alium Ordinem transeant; vel quod interdum contingit, ad ipsos Hereticos transfugiant? An non & isti infanda euulgandi copiam tunc haberent, si nefanda in Ordine perpetrarentur? Deinde, quantum fidei mereatur Apostata, cum Ordini, quem deseruit, maledicit; probatione non eget. Notus est transfugarum genius, quod ipsi agunt, aut agere cogitant, id per summam impudentiam Ordini affingunt, vt Apostasiam suam & flagitia excusent & velent. Cum de S. Cornelio Pontifice à desertoribus fidei sparsum esset; cum passim *communicare sacrificatis*, respondit S. Cyprianus: *Hoc de Apostatarum sceleris rumoribus nascitur. Neque enim possunt laudare nos, qui recedunt: aut expectare debemus vt placeamus illis, qui nobis displicentes, & contra Ecclesiam rebelles sollicitandis de Ecclesia fratribus violenter insistant?* Præterea quod Hæretici de Ordine suspicantur & comminiscuntur, id isti refugæ, graues scilicet testes, confirmant: in gratiam nimirum Hæreticorum, quibus falsos testes aduersus religiosas familias subornare, tanti est, quãti fuit Iezabeli, cum innocuum Naboth damnare meditaretur. Calumniabantur olim Ethnici, Christianos, suis in conuentibus, infantem trucidare, sanguinemq. eius excipere & potare, & post conuiuium promiscuè misceri sine vlllo consanguinitatis respectu. Hæc passim in triuiis iactabantur ab improbis, & hostibus Christiani nominis. Ergo si desertor ad Ethnicos transfugiens, hæc tam horribilia facinora à Christianis perpetrari dixisset; cuiusnam rei testis fuisset, sene impuderiæ, an Christianorum nequitia? Certè, quàm parum primi illi Christiani verè insimulari poterant ho-

S. Cyprian.
epist. 25.

rum criminum: & quàm parum etiam de huiusmodi Apostatarum criminationibus solliciti erant; tam parum itidem Ordo noster (quod diuinæ bonitati acceptum referimus) accusari potest nefariorum scelerum; Et æquè parum moramur; quid Apostata spargant, non enim viderunt apud nos *Eleusinia* aut *Samothracia sacra*. Multi, inquit, *crecente iudicij maturitate, iugum hoc pertasi, illud excutere conantur, & de facto etiam excutiunt*. Scribere debuisses, *crecente iudicij malitia & peruersitate*. Crescit nimirum in his iudicij maturitas, sicut creuerat in eo populo cui dicitur: *A seculo confregisti iugum meum, rupisti vincula mea, & dixisti; non seruiam*; scilicet, iudicij maturitas est: *derelinquere fontem aqua viua, & fodere sibi cisternas, cisternas dissipatas, quæ continere nõ valent aquas*. At, quod multi sunt, quid mirum? quàm multi deficiunt à fide Christiana? oraculum Christi est: *Multi vocati, pauci verò electi*. Auolent, inquit Tertullianus, quantum volent, palea leuis fidei, quocumque afflatu tentationum, eo purior massa frumenti reponetur in horrea Domini. Nonne ab ipso Domino quidam discedunt diuenterunt? nec tamen propterea ceteri quoque discedendum à vestigiis eius putauerunt: sed qui sciuerunt illum vita esse verbum, & à Deo venisse, perseverauerunt in comitatu eius, vsque ad finem, cum illis, si vellent & ipsi discedere, placidè obtulisset. Minus est, si & Apostolum eius, aliqui, Phygellus, & Hermogenes, & Philetus, & Hymeneus reliquerunt. Ipse traditor Christi de Apostolis fuit. Miramur de Ecclesiis eius, (& religiosis Ordinibus) si à quibusdam deseruntur; cum ea nos ostendunt Christianos, quæ patimur ad exemplum ipsius Christi. Ex nobis, inquit, prodierunt; sed non fuerunt ex nobis: si fuissent ex nobis, permansissent utique nobiscum.

Hierem. 2.

Tertullian. lib.
de proscript.

Persequuntur, inquit, eos qui discedunt tanquam Apostatas.



148. Meritò, si absque Superiorum permisso abeant, quia verissimi sunt Apostatæ: ex declaratione cum aliorum Pontificum; tum nominatim Pij V. cuius tu iudicio, quasi multum tribuas, videri cupis. Nosti autem, quæ pœnæ in iure Canonico Ordinum desertoribus sint constitutæ. *Graue crimen reputant, inquis, si quis ab ipsis discedat.* Meritò, quia Apostasia ab Ordine, non est leue crimen, nisi apud ipsos Apostatas: sicut furtum apud fures, & latrocinium, apud latrones. Pythagorici, Apostatas à Philosophia pro mortuis habebant; & ideo iisdem Cenotaphia seu columnas erigebant: ut testatur Origenes & Clemens Alexandrinus: qui addit: *Etiã in barbara Philosophia vocant mortuos, eos, qui exciderunt à dogmatibus, & mentem subiecerunt animæ perturbationibus.* Quanto meliore iure mortuis annuerantur, qui reflexo cursu à diuina & religiosa vita, ad vanã & mundanam desciscunt. Ais: *Non desunt, qui existiment alumnos ipsorum, ne simplicia quidem vota emittere, de illorum suscipienda religione, & professione, sed simpliciter tantum promissione sese adstringere, sicut in sponsalibus contingit: à qua promittendi ratione dubium non est, quin certis de causis possit se quis excutere, siue ob expectatæ partis moram, siue ob alia, quæ iudicio bonorum virorum ad id sufficientia interuenire contingit.* Egregium scilicet desertorum defensorem agis, cum super euidenter falsum fundamentum, totam commenti tui fabricam, struis. Quid enim inanius, quam nostros, ne simplicia quidem vota nuncupare? An non enim formula, qua sese obligant in hunc modum concipitur? *Voueo paupertatem; castitatem, & obedientiam perpetuam?* non dicitur, *vouebo*, sicut in sponsalibus illud vsurpatur; *Ducam; vel habebō te*: sed ut in matrimonio de presenti dicitur, *Duco te, accipio te*, ita & hic; *voueo*, cum animo sese obligandi, Deoque in perpetuum conse-

Orig. lib. 2. & 3. contra Celsum, Clemens lib. 5. Stromatum.

De votis simplicibus Societatis.

consecrandi. Quæro ex te, an non veri nominis votum simplex edat, si quis extra religionem voueat Deo perpetuam castitatem verbis de presenti: dicendo videlicet: *Voueo tibi Deus perpetuam castitatem?* si is verum votum simplex emittit, cur non & nostri, cum iisdem verbis vrantur; eundemque animum sese perpetuò obstringendi habeant? Licetne illi, qui tale votum simplex castitatis fecit, resilire, aut matrimonium contrahere, quamuis longissimo tempore viuat? si huic non licet, cur nostris liceret votum simplex retractare, pedemque referre? Et quod de voto castitatis assero, intellectum itidem volo de paupertate & obedientia, si quis hæc Deo voueret extra religionem.

Secundò, vota nostra non modò simplicia vota sunt de presenti, & non promissio de votis paupertatis, castitatis, & obedientiæ, aliquando nuncupandis; sed præterea hominem verè religiosum efficiunt, & in Religionis statu constituunt, cumque & Deo, & Societatis superioribus actu tradunt; ita ut iam non ipse: sed Superiores in ipsum potestatem habeant: & in hoc non modò differunt à voto, quo quis se obligat ad ingressum Religionis, sed differunt etiam à votis simplicibus castitatis, aut paupertatis, aut obedientiæ, quæ quis extra Religionis statum vouere possit; per hæc enim non fit aliquis religiosus, nec tradit Dominium sui alteri homini, licet reuera de presenti tradat, & consecret se Deo; at per nostra fit veri nominis Religiosus, & exiit se iure suo; illudque Superiori volens lubensque transcribit; cum in Religione à Sede Apostolica approbata emittantur. Etsi conueniunt etiam in hoc, quod non tantum sint promissoria, sed etiam de presenti, alicuius rei exhibitoria: nam qui in sæculo vouet castitatem, v. g. is de presenti abdicat se vsu sui corporis, & totum Deo dedicat; quod multò magis in nostra religione contingit, dum quis castitatem, pau-

pertatem & obedientiam vouet: quo ipso desinit iam esse saus, & alterius esse incipit, & alterius itidem est; quam primum vota vouit: Dei videlicet, & superiorum: nostra enim simplicia vota præter exhibitionem, quæ fit Deo: complectuntur etiam exhibitionem; qua quis se Superioribus, loco Dei, exhibet, & de præsentis tradit. Quamuis illud quartum votum, quod formulæ adiungitur his verbis, *Et promitto eandem (Societatem) me ingressurum, ut vitam in ea perpetuò degam*, tantum sit promissorium, & de futuro, cum sit obligatio ad futuram professionem, vel statum Coadiutorum formatorum, iudicio Superiorum; sed tamen etiam in præsentis obligare incipit, quatenus scilicet statim obstrictus sum, ut alterutrū gradum acceptem, tunc quando mihi à Superioribus offerretur; sicut qui in sæculo vouet se ingressurum Religionem post annum, aut continentiam post obitum uxoris; is statim obligatus est, ut elapso anno Religionem ingrediatur, & mortua coniuge, ab alio matrimonio absteineat. Verum in Societate nostra cum hoc voto simplici de futuro, & promissorio, tria coniunguntur de præsentis: etsi, ut dicebam, simplicia; quibus homo ita adstringitur, ut Deo & Societati iam totus sit consecratus, nec sine Apostasiæ nota resilire, nec etiam matrimonium licitè & validè contrahere queat: idque ex peculiari constitutione Gregorij XIII. & hanc conditionem, nempe ut vota simplicia irritum reddant matrimonium, posset etiam Ecclesia addere voto simplici castitatis à sæculari emissio, cum hæc ab Ecclesiæ auctoritate pendeant. Verum satis de his ad retundendas calumnias tuas, qui temerè simul & imperitè blateras, vota nostra, ne propriè quidè esse *vota simplicia*; adeo liuor cor tuū exedit, & aduersus nos facib⁹ suis exstimulat. Nūc reliqua videamus.

Ais: Hoc etiam nomine alumnis licitum esse discessum, quia apud

*apud Iesuitas nō inueniatur, quod à Religioso vel in primis quaerendum: Et cuius adipiscendi gratia, quibus religionis iugum subit: quod genus, studium perfectionis, amor virtutum, fuga vitiorum, cultus diuinus. Ita scilicet dicere solent Apostata, aut Apostasiam meditantes, ad excusandas excusationes in peccatis: qui rum putant se meliores fore, si defectiōne suam mendacis tueantur: & quod minimè quærebant aut desiderabant; id se non potuisse reperire fingant; eo planè modo, quo Lutherus & alij huius ætatis Apostata dicebant, se pietatem nullam suo in Ordine inuenisse. Quam autem pietatis cupidi fuerint, quis ignorat? Vita, quam viuunt, satis superque docet cum istis, tum aliis transfugis Venerem & ventrem magis fuisse curæ & cordi, quam virtutem. Deinde fieri non potest: ut in Ordine ab Apostolica Sede approbato, & quæ Conciliū Tridentinū pij instituti nomine cohonestat, nihil aliud reperiatur, quam officina improbitatis & vitiorum: aliàs Ecclesia approbaret Ordinē Ecclesiæ perniciosum: qtu, si es, qui videri cupis, Catholic⁹, nunquā affirmabis: ergo hæc desertorū defensio nulla est: & licet alicubi religiosa disciplina collabi queat, aliorū ramen improbitas & dissolutio non facit, ut tibi itidè liceat esse improbū & dissolutum; ita ut vota, quæ *distinxerunt labia tua*, non persoluas, & in Ægyptum, vnde veneras, denuò reuertaris.*

Quod t antoperè, inquis, cum pulchellis agere, eosque ad se, aliis reiectis, allicere sat agunt, non tam animarum religioso zelo curam illos exercere, quàm aliud aliquid captare indicium est. Cum toties pulchellos inculces, nescio quæ meum animum de candore tuo & integritate suspicio pulset. Quid tibi, Ballio, cum pulchellis? Nobis pulcher est, quisquis virtute & ingenio ornatus est, & qualem corporis constitutionem ab iis exigamus, quos in nostrum Ordinem adscribimus, iam alibi exposui. Ista, quæ paulò pōst laudem



laudem omnem amittent, inquit ille, desflorescente forma, minime curanda sunt vero Laconi, & multo adhuc minus vero Religioso; Alioquin eidem occineretur illud eiusdem: *Videris mihi neq. Laconicum (Religiosum) habere animum, neque animatus esse, ut decet virum modestum: neque veram & iustam laudem respicere.* Si de animabus ageretur, inquis, omnium animas habentium, eadem, Apostolorum more & exemplo, esset habenda ratio. Etiam ubi de animabus agitur, non omnium habetur eadem ratio, ex ipso prudentiae & charitatis praescripto, ut notum est: quin aliquibus iustissimas ob causas maius studium, quam aliis impendere licet, more & exemplo non modo Apostolorum, & omnium recte sentientium, sed etiam ipsius Dei, qui licet omnium salutem sedulo procuret, aliis tamen maiora, quam aliis adiumenta ad salutem subministrat: ita ut verissime cum Propheta canere possint; *Non fecit taliter omni nationi.* Ergo licet Iesuitae his, quam illis, excolendis, & instituendis diligentior operam, iustas ob causas, nauarent, nihil alienum a recta ratione facerent.

Religiosi, inquis, ut praecleara quadam in vestibus, ut byssum & purpuram Regum domibus relinquunt, ita etiam collectis misellis, qui facile solent a ceteris despici, contenti esse debent, pulchellosq. aulis & palatiis relinquere. Video te ita comparatum esse, ut feces tribui velis Deo, vinum mundo; paleas Deo; triticum mundo; putamina Deo, nucleum mundo: quia solos misellos ad Religionem destinas; misellos, inquam, non modo corpore & fortunis, sed & ingenij dotibus. Misellos, hoc est, stupidos, stipites & plumbeos. Horum nulla, quod sciam, religio se profitetur asylum & receptaculum, & omnium minime nostra, cuius functionibus obeundis nemo ineptus est idoneus: Etsi his etiam misellis Societas suam operam non neget, sed extra Ordinem, eo modo, quo quoscumq. alios, extra

extra religiosam professionem degentes, ope sua adiuuare studet: *Pulchellos illos tuos, si sub externa specie parum indolis ad litteras & virtutes gerant, nec tibi nec aliis inuidemus, nec ut Ordinis nostri candidati fiant, optamus; tantum abest, ut ambiamus.* *δύσμορφος εἶναι μᾶλλον ἢ καλός κακός.* ait nescio quis veterum Tragicorum. *Cincinnatiolos pueros, inquit S. Hieronymus, & calamistratos, & peregrini muris olentes pelliculas, quasi quasdam pestes & venena pudicitiae, virgo deuiter.* S. Hier. ad Demetriad.

Nunc iterum vicem Apostatarum doles: *Puniuntur, inquis, & exagitantur innumeris modis.* Tuam causam agis, cum transfugis vis parci, ita & olim Iulianus, teste S. Cyrillo, desertores verae religionis debitis suppliciis affici, concoquere nequibat, quia & ipse Apostata erat. *Fortassis absolum videtur Iuliano, inquit S. Cyrillus, quod Apostata supplicia luere debeant, bene enim in illorum numero seipsum esse nouit, eo quod non sit extra penam summam, abiectio scuto, & re ipsa habitus a virtute alienus & transfuga, & in via errorum, in impietatis barathrum deuolutus.* S. Cyrill. lib. 5. contra Iulian. *Conantur, inquis, eos omnibus exosos reddere.* Nemo Apostatam magis exosum facit, quam ipse seipsum, & cum Deus habeat illos exosos, non mirandum, si & homines. *Omnes nequitia eorum in Galgal, ait Dominus ore vatis, quia ibi exosos habui eos, propter malitiam adinventionum eorum, de domo mea eiciam eos, non addam, ut diligam eos, Radix eorum exsiccata est, fructum nequaquam facient, abiciet eos Deus meus, quia non audierunt eum, & erunt vagi in nationibus.* Osae 9. Quare quod ais, istos incertis sedibus vagari: id non est Iesuitarum culpa, sed Apostatarum natura; lam enim audisti, eos esse vagos in nationibus.

Coadiutores temporales, inquis, etiam post professionem dimitti possunt. Volebas, opinor, dicere, post vota simplicia publice edita. Non abnuo. Verum hoc non proprium Coadiutorum temporalium: sed & spiritualium (qui & ipsi

votis simplicibus, sed publicis, obligati sunt) in dō & professorum; vt libro primo ostendi. Nōsse tamen debes, quā iam alibi testatus sum, nullum sine iustissima causa dimitti: quæ si tibi, aliisq; non sit explorata, at illis explorata est, qui ius missionis dandæ habent: id quod tibi persuadeas velim, etiam de illo coadiutore temporali, qui post multos annos sub P. Generali Conrado, vt tu dicis, vel vt dicere fortè volebas; Eberhardo, dimissus est, cuius tu sortem flebilibus modis deploras, non vt illius miserearis, sed vt Iesuitas inhumanitatis & sæuitiæ infimules. Sed criminare, vt lubet, & quātum lubet, propter criminationes tuas nūquam adducemur, vt eos, qui moribus suis plus obsunt Ordini, quā profunt, feramus, vt que erga murmuratores querulosos (sic enim Iudas Apostolus nominat) & secundum desideria sua ambulantes, non vtatur Societas iure suo.

Mendacia
Pseudohistorica.
L. Semper ff. de iure immunitatis.

Cætera, quæ adiungis, mera sunt mendacia & conuicia; Ordine numerabo quædam, I. Senibus nullū honorem, nullamq; reuerentiam haberi. Licet enim & verè licet vsurpare illud Iuriscōsulti: *Semper in ciuitate nostra senectus venerabilis fuit, namq; maiores nostri pōnē eundem honorem senibus, quē magistratibus tribuebant.* II. Professos ubiq; regnare & gubernare, nam plurimis locis præsent Collegiis non professi: professique, reliquorum instar, subsunt. III. Professos otiosos esse, Si otiosi sunt, vt tu ais, quomodo ubique regnant & gubernāt? An regnare & gubernare, est otari? Deinde, plurimis locis professi docent in scholis & templis, vt notum est. IV. Professos obstare, ne alij rebus administrandis proficiantur: falsum: quia ipsi professi, hoc est, Generales & Prouinciales creant sæpe Rectores & Superiores non professos, & sæpe etiam tales, qui nunquam sunt futuri professi. V. Professos re ditibus collegiorum magis frui, quā ceteros, Professi, ne facultatem quidem habent degendi

gendi in Collegiis, nisi munus aliquod obeant: quo casu, aliter non habentur & tractantur, quā alij non professi, nisi valetudinis ratio aliud postulet: quæ indulgentia nemini negatur: nam & non professis, si afflictæ vires peculiare quid desiderent, Superiorum paterna sollicitudo debitum subsidium non subtrahit. VI. Juniores Rectores diligenter operam dare, vt qui antea suēre Rectores, aliō amendantur, propter importunitatem, nolle enim eos subesse. Cæterum si tales sunt, qui nolint subesse: tunc non fit illis iniuria, si aliō mittantur, vbi nihilominus ceruix iugo subdenda erit. Sed absit à viro Religioso, vt præesse tantum velit, subesse nolit. Qui non benè subest, nec benè præest, & qui illud alterum benè non didicit, is nec hoc benè didicit; inseparabili enim nexu coherent; & quomodo alios exemplo suo ad subiectionem incitaret, si subiici nō didicisset? *Quem inuenias, inquit ille, qui docere possit, quod ipse non didicit?* VII. Alumnos abhorreere à gradu Coadiutorū, spiritalium. Falsum; nam cū vota simplicia Deo nuncupant, ad hunc gradum, vel ad professionem indefinitè, voto sese obligant. An autē voto se quis adstringit ad id, à quo abhorret? nec magis sese ad professionē obligant, quā ad hunc statum, quia indifferentes sunt; tam ad illam q̄ ad hunc, iudicio Superiorum. VIII. Multos ad maxima quæq; gerenda aptissimos opprimi, ne emergant. Videlicet tuo, & fortè eorum iudicio, qui se aptissimos iudicāt: plerunque autem fit, adeo amor proprius facile fallit, vt non nisi inepti, se iudicēt esse aptos; & ineptissimi, aptissimos: id videlicet in omni propemodum statu, rerumq; genere vsuuenire solet. Quod autē optas hæc tua conuicia cedere ad nostrā utilitatē, tecum etiam id opto: & spero futurū, quia diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum; sæpe prodest hostis, si non ex proposito suo, certè ex proposito patientis. At q̄ eadem commenta tua redūdatura putas

putas ad Ecclesiæ ædificationē, maioremq; gloriam Dei, de eo ego vehementer dubito: Nā Ecclesiā non ædificatur calumniis & mendaciis, neq; his instrumentis gloria Dei crescit, nisi fortē & hoc plane per accidēs, & ad hāc, & ad illam aliquid conferas, cū videlicet æquus lector videns, quā perfricti sis oris, & profligati cordis, magis sibi à tam pernicioso impostore cauebit, & alios, vt caueant, monebit, Deumq; laudabit, qui malitiæ quidem tuę permittit, vt tot calumnias scriberes, non aut permittit, vt quod scribēdo spectaueras, obtineres. Bene q; malitia non *s. Hier. in Ruff. habet tantas vires, quantos conatus,* inquit S. Hieronymus, *perierat innocentia, si semper nequitia iuncta esset potentia, & totam, qdqd cupit, calumnia praualeret. Sic igitur diuina auxiliante gratia* (vtar enim Epilogo quo S. Thomas opusculum pro Religiosis, aduersus impugnatores Religionū, concludit) *malignorū detractionibus repressis, euidenter apparet, qd nihil damnationis est his, qui sunt in Christo Iesu: qui non secundū carnem ambulant: sed crucem Domini batulantes operibus spiritualibus insistant, carnalia desideria contemnentes. Pateret siquidē locus multa replicandi contra prædictos detractores: sed eos diuino iudicio reseruamus; cū eorū nequitia possit esse omnibus manifesta ex his, que corde suo nequissimè protulerunt, secundum sententiam Domini dicentis; Matth. 12. Quomodo potest is bona loqui, cū sitis mali? Ex abundantia enim cordis os loquitur. Si quis ergo emūdauerit se ab istis, vt habetur 2. Timoth. 2. eorum iniquitati nō consentiens, erit vas in honorem sanctificatum, & vtile Domino, ad omne opus bonum paratum. Qui verò eis consentiunt, cæci cæcos sequentes simul cum eis in foueam cadent. Aqua, vt liberemur, hæc dicta sufficiant; Domino adiuuante, cui sit honor, & gratiarum actio in secula seculorum, Amen.*

FINIS LIBRI SECYNDI.

VINDI-

VINDICATIO
LOCORVM
QVORVNDAM
TERTVLLIANI-
CORVM

A
FRANCISCI IVNII
CALVINISTÆ DE-
PRAVATIONIBVS.

INDEX



INDEX CAPITVM.

- CAP. I. De signo sanctæ Crucis.
 II. De imaginibus.
 III. De Sacrificio Missæ.
 IV. De precibus pro defunctis.
 V. De Eucharistia.
 VI. De oleo benedicto.
 VII. De Exorcismo.
 VIII. De Inferis.
 IX. De Ecclesia Romana & summo Pontifice.
 X. De traditionibus nonnullis.
 XI. De processionibus & stationibus.
 XII. Miscellanæ.



ANIMAD-



ANIMADVERSIONES
 IN FRANCISCI IUNII
 CALVINISTÆ NOTAS

TERTVLLIANEAS.

F DIDIT, amice lector, Franciscus Junius, secta Calvinianus, notas in Tertullianum, anno Domini 1597. quibus loca aliquot Tertulliani pro ritibus Catholicis, & Primatu Ecclesiæ Romanæ audacter depravat, & velinuito Tertulliano mentem & sententiam Calvinianam affingit. Id ut lector videat, primum omnium verba Tertulliani adscribam, tum Junij explicationem, vel potius depravationem: ad extremum, eiusdem refutationem.

CAPVT I.

De signo Crucis.

Tertullianus libro de corona Militis cap. 3.

A Omnem progressum atque promotum, ad omnem aditum & exitum, ad vestitum & calceatum, ad luacra, ad mensas, ad lumina, ad cubilia, ad sedilia, quacumq; nos conuersatio exercet, frontem Crucis signaculo terimus.

Id est, ubi nunq. exercemur Ethnicorum sine Gentilium conuersatione, adeo, ut sit omnino necessarium a nobis Christianum nomen ex impietate & impuritate gentium vindicari aperta aliqua significatione: quam ad rem expeditissimum fuit olim, quavis occasione, hoc Crucis signaculum.

REFVTATIO.

Agnosco explicationem ex schola Caluini & Bezæ petitam, quasi antiquissimi Christiani Crucis signum nō vsurpauerint, nisi cum agendum esset cum Ethnicis, nec alio consilio, quā ut ab infidelibus discriminarerentur, & Christianum nomen ab impuritate gentilium assererent. At reclamat Tertullianus: qui ait; *Frontem Crucis signaculo prænotari ad omnem progressum, atq; promotum, hoc est, quocunque quis procederet; quocunq; quis sese moueret, utique non omni progressu & promotu ad Ethnicos sese conferebant. Ad omnem aditum & exitum: Ad omnem, inquit, non ad illum tantum, quo quis adibat Ethnicos; nec ad illum duntaxat, quo domo exibat, Ethnici conueniendi gratia. Ad vestitum & calceatum: Quid clarius? An & Ethnicos adesse oportebat, cum Christiani vestes & calceos induerent? Et tamen induendis his signaculum Crucis adhibebant. Ad lauacra; An nisi cum Ethnicis non lauabant? Ad mensas. An nisi cum Ethnicis non comedebant? Ad cubilia. An cubitum non ibant, nisi cum Ethnicis? Ad lumina. An lumen non inferebatur, nisi Ethnico presente? Ad sedilia. An nunquam confidebant, nisi inter Ethnicos? Vno verbo: *quacung. nos conuersatio exercet*, hoc est, quidquid agimus, cruce frontem munimus. An nulla veterum Christianorum actio erat, nisi conuersatio cum Ethnicis? Valeat ergo Caluiniana hæc commentatio: multo que magis valeat finis, ob quem Crucis signaculum vsurpatum scribit: *Vt nomen Christianum ab impuritate gentium aperta aliqua significatione vindicaretur.**

Quid

Quid opus erat vindicare nomen Christianum ab impuritate gentilium tunc, cum quis vestes aut calceos, absq; arbitris Ethnicis, indueret; cum lauaret; cum inter Christianos manducaret; cum tenebris se intendentibus lumen inferretur; cum alia, quæ Tertullianus commemorat, fierent? Non nego, veteres Christianos vsos itidem signo crucis, quando cum Ethnicis conuersandum erat, id enim planum faciunt illa Tertulliani verba, *quacunque nos conuersatio exercet*: sed nego id tum tantum fieri solitum; ut aduersus clarissima Tertulliani verba Iunius contendit: aut eo tantum fine fieri solitum, ut ab impuritate gentilium Christianum nomen assereretur: nam & alios plurimos fines propositos habebant, & etiam nū habent Orthodoxi, cum crucem fronti, ori & pectori imprimunt, de quibus copiosè disserui libro 4. de S. Cruce. Quo lectorem remitto.

Cæterum si veteres illi Christiani vsi sunt cruce, & eo etiam fine vsi sunt, quem Iunius statuit, mirari subit, cur Calvinistæ non vtantur cruce, eo saltem cōsilio, quo veteres Christianos aiunt crucem vsurpassè. An iam opus non est nomen Christianum ab impuritate gentilium asserere? Atqui, ut Calvinistæ inter Ethnicos nō versentur, deberent tamē hac externa testificatione sese discriminare ab illis, quos pro Hæreticis habent, hoc est, ab omnibus illis, qui Caluinum detestantur. Deberēt præterea hoc signo vti, cum Constantinopolim proficiscerentur, & inter Turcas viuunt, aut eum nauigant in Americā, & cum Idololatriæ conuersantur. Vehementer autem dubito, num Caluianus Doufa, cum Constantinopoli vixit, vnquam, ab impuritate Turcarum nomen Christianū, hoc signo fronti publicè impresso vindicaret. Vehementius adhuc dubito, vtrum id fecerint Ministri Caluiani

niani, qui cum Villagagnone in Galliam Antarcticam, infelicibus ventis, peruenerunt. Dicent fortassis, se ideo cruce non uti, quod nos, quos pro Hæreticis & idololatris habent, crucis signo frequentissimè utamur: periculum enim esse, ne Papistæ videantur, si crucis signaculo, dum nobiscum conuersantur, frontem muniant. Sed esto, propter nos à salutaris rei usu abstineant: Cur abstinent tunc, cum degunt inter infideles, quibus nullus crucis usus? Nam hoc signo Caluinistas uti cum degunt inter Turcas, Ethnicos, Lutheranos, Anabaptistas, ne cum audiero quidem credam, sed cum videro. Cæterum si, ut Iunius fatetur, hoc signo olim Christiani fidem Christi professi sunt, eamque ab impuritate gentilium vindicauerunt, sequitur ergo signum S. Crucis esse cærimoniam religiosam, non supersticiosam, ut calumniantur hæretici. Deinde eam meritò à nobis hodieque frequentari, ut fidem Catholicam, ab eorum, qui crucem oderunt, perfidia, afferamus.

Sunt, inquit Iunius, hæ traditiones omnes in ritibus positæ, quarum pars desit apud ipsos traditionum defensores. Ita est: quædam ex traditionibus, quas eo loco commemorat Tertullianus, desierunt apud Orthodoxos, ut postea dicemus: at usus signi crucis non desit, sed ab Apostolorum temporibus usque ad hæc nostra tempora perseuerauit, ut ex quarto libro de S. Cruce manifestum euadit: nec desinet; quoad Antichristus id abolere tentabit: tentabit; sed non præualebit. Cur igitur vos hoc signum contra communem totius Ecclesiæ veteris & hodiernæ morem abolere & obliterare conamini? Cur? nisi quia prænunciij & prodromi eius estis, qui suos non signabit signaculo Christi, sed stigmatibus bestię inuret. At quia hoc argumentum tractamus, audire lubet, quid hæc de re scri-

re scribat Lauaterus Tigurinus, in libro de Spectris. *Vistatus, inquit, mos fuit, ad occursum spectrorum se cruce munire. Nemo iure inficias erit: & hoc ipsum multis exemplis demonstraui libro 4. de S. Cruce cap. 27. Perge. Idem hodie quoque multi solent facere.* Imò omnes Orthodoxi, Et ne sine teste loquatur Lauaterus, testimonia veterum adfert. *Tertullianus scribit in libro suo de corona militis, veteres Christianos frontem suam sæpè signasse cruce. D. Hieronymus Demetriadem adhortatur, ut crebro signaculo crucis frontem muniat. Origenes quoque, Epiphanius, Chrysostomus & Augustinus multa scribunt de virtute sanctæ Crucis. Lactantius scribit diuinarum Institutionum lib. 4. cap. 26. & per integrum caput 27. de hac re dicit, ad illos qui frontem cruce signant, Diabolum non habere accessum, nec ledere eos posse. Addit, Christianos hac cærimoniam antiquitus in expellendis demonibus & sanandis morbis usos esse.* Hactenus Lauaterus, & rectè: quia ex Patribus. Audiamus iam, quæ ipse de suo pectore promit. *Non quod, inquit, externo crucis signo tantam vim & efficaciam tribuerint (superstitiosum enim hoc esset) sed Cruci, hoc est, merito Christi: Cuius dignitatem simul in mentem reuocarunt.* At quocumque te veritas, Hæretice, externo crucis signo, ut est imago crucis, in qua Christus passus, & ut est instrumentum Crucifixi, hanc tantam vim Patres & omnes veteres Christiani tribuerunt. Non profero eorum testimonia: Protuli libro 4. de S. Cruce plurima, grauissima, testatissima, antiquissima. *Sed hoc est superstitiosum, inquit. At cuius iudicio? Hæretici Zvingliani. De sanctis, inquit, Apostolis, & Apostolicis Ecclesiis non legitur, quod cærimoniam Crucis in expellendis demonibus, vel morbis curandis, aut aliàs quoque usi sint. Non legitur, inquit, sed à quo? A Lauatero & similibus Ministris Hæreticis, qui versatiores sunt in Zvinglio, Caluino & Beza, quàm*
in



in Ecclesiastica historia. At Apostolicas Ecclesias & Apostolos signo crucis usos esse, tum alias ob causas, tum demonum expellendorum, & morborum curandorum gratia, abundè iam demonstratum est libro 4. de S. Cruce, cap. 6. & sequent. Videat lector, & de inscitia huius sectarij iudicet. Quam verò lepida illa interpretatio. *Vim illam adscripserunt cruci, hoc est merito Christi.* Ergò cum Tertullianus ait, Christianos ad omnem actionem crucis signaculo frontem terere: sensus est; Christianos ad omnem actionem meritum Christi fronti inscribere. Et S. Hieronymus, cum monet Demetriadem, vt crebro crucis signaculo frontem muniat, iubet, eam meritum Christi fronti inscribere, ita vt *crux seu signaculum crucis & meritum Christi* sint synonyma. Quo vanitatis non prolubentur hostes crucis, vt vim crucis elidant? Quis nescit, crucem efficacitatem suam & vim à Christo & meritis Christi accepisse, tanquam instrumentum à causa primaria? Interim licet vim à Christo acceperit, ipsa tamen, iam vt organum Christi agit, & semper egit, non modò tum, quando est à fidelibus vsurpata, sed & tum, cum ab infidelibus est adhibita, vt planum feci aliquot exemplis libro 4. de S. Cruce, cap. 43. Itaque vis hæc & energia, verè adscribitur etiã ipsi externo signo, quod exterius manu in fronte, aut alibi formatur, eandemque vim eidem externo signo, etiam illi Auctores, quos Lauaterus citavit, & plurimi alij, quos ego lib. 4. de S. Cruce adduxi, adscripserunt. *Sancti Patres, inquit, illa caeremonia, quod cruce se signarunt, suam fiduciam in cruce, hoc est, in morte Christi testari voluerunt.* Etiam nos, dum cruce frontem terimus, nostram spem, & fiduciã, & fidem erga mortem Christi testamur: At cum hac contestatione, profitemur simul vnã cum patribus Christianis spem, & fiduciam,

etiam, & fidem nostram in crucem Christi, tanquam in imaginem crucifixi, & in instrumentum sanctissimæ illius mortis, & hac ratione crucem miranda olim patrasse, & etiamnum patrare scimus. *Diabolus, inquit, neque crucem, qua nos signamus, neq. frustra illa crucis Christi, qua pro reliquis ostenduntur, timet:* At crucem, crucem inquam, externum hoc signum, metui à Dæmonibus: testantur veteres Orthodoxi omnes, vno ore, vt copiosissimè lib. 4. de cruce demonstraui, maximè cap. 36. & sequentibus & cap. 64. Sed iam ad Tertullianum reuertamur.

Tertullianus lib. 2. ad vxorem, cap. 5.

Latebisne tu, cum lectulum, cum corpusculum tuum signas, cum aliquid immundum flatu expuis, cum etiam per noctem exsurgis oratum, & non magis aliquid videberis operari?

I V N I V S.

Corpusculum tuum signas, id est, crucis signaculo, vt idem loquitur libro de corona militis, cap. 3. quo se Christo crucifixo pro nobis sanctificatos esse per Martyres ostendebant, & fideles abhorre se à Gentilium signis. Χρῆστις γὰρ τῆς αἰσῆς τῶν ἔθνων, vt est in Theodoti ἐπιτομῆς, nam alioquin Christiani visi fuissent, cum apud Gentiles agerent, signis eorum adquiescere, nisi aperuissent aliquo signo diuerso, aut significatione mentem suam; non quidem imagine (nam imagines Christianis non erant) sed actum significante.

R E F V T A T I O.

I. Non tantum Martyres utebantur hoc signaculo, sed omnes Christiani. Neque hoc libro scribit Tertullianus ad Martyres, sed ad vxorem. II. Martyres isto fine crucem vsurpabant, vt docui lib. 4. de Cruce, sed non tantum isto fine; vt ex eodem libro liquet. III. Tertullianus planè hic nihil agit, & ait de signaculo crucis in eum finem adhibendo, vt separet Christianos ab Ethnicis: p. 297 dissua-



diffuadens enim fœminæ fideli, ne nubat Ethnico: præter cætera incommoda etiam hoc adfert: quia cum cubitum concedens lectulum & corpusculum tuum signo sanctæ Crucis signaueris, inquit, haud clam id facere licebit; sed deprehenderis. Et infra cap. 9. sub finem, inter comoda matrimonij, quo fidelis cum fideli iungitur, ponit *non furtiuam signationem*; hoc est, liberum crucis usum; Ergo alio fine lectulum & corpusculum dormituri signabant; & tantum abest, vt mulier fidelis à marito infideli aperta aliqua significatione, tunc se secerne- re, aut mentem suam Christianam, testari publicè voluerit; vt etiam furtiuè duntaxat lectum & corpus munire debuerit, nec tam clanculum id potuerit facere, quin periculum esset, ne à coniuge Ethnico deprehenderetur, & aliquid magicum exercere crederetur; illud enim: & *non magis aliquid videberis operari*: non tantum referendum est ad illa verba: *cum etiam per noctem exurgis oratû*: sed etiam ad illa: *cum lectulum, vel corpusculum tuum signas*; quia Ethnici usum crucis & miracula patrata magiæ adscribebant, vt nunc faciunt Hæretici. IV. Theodotus vnum crucis usum indicauit, non omnes. Deinde non tam loquitur de cruce Christi Theodotus, vel is, qui ex Theodoto Epitomas confecit, quàm de cruce Valentinianorum, quam & *Lytroten*, & *Carpisten* nominabant. Verba illius hæc sunt: *ὁ σταυρὸς τῶ ἐν πληρώματι ὄρα σημεῖον ἐστίν: χωρίζει γὰρ τὰς ἀπίστας τῶν ἀπίστων, ὡς ἐκείνος τὸν κόσμον τῶ πληρώματος. Crux, termini, qui in pleromate, signum est, separatur enim fideles ab infidelibus, sicut ille mundum à pleromate.* V. Falsum est, quod ait, Christianos tempore Tertulliani non habuisse imagines. Nā habuisse imagines crucifixi, ostendimus lib. 2. de S. Cruce, cap. 2. & 3. ex ipso Tertulliano, & infra tam de imaginibus crucifixis, quàm de aliis copiosius ostendemus. Ter-

Tertullianus lib. 2. ad vxorem, cap 9.

Vnde sufficiam ad enarrandum felicitatem eius matrimonij, quod Ecclesia conciliat, & confirmat oblatio, & obligatum Angeli renunciant, pater ratò habet?

I V N I V S.

Quatuor hic ponuntur coniugij inter fideles elogia. Primum est, quod non à natura, sed ab Ecclesia conciliatur Sanctorum coniugium, id est, vera fidei & doctrina, qua in Ecclesia personat, conscientia, consensu & consensione mutua secundum Deum auctorem. Secundum est, quod confirmat eam conciliationem oblatio, qua se noui coniuges offerunt & sistunt in Ecclesia, consensum suum testantes, & communibus Ecclesia precibus benedici postulantes. Tertium, quod ob signatum illud precibus Ecclesie & benedictione diuina renunciant Angeli, id est, Dei & Ecclesie ministri, & gratia diuina interueniunt. Quartum, quod pater, qui in cœlu est, ratò habet eam in terris hoc modo procuratam. De aliis interpretationibus, nihil dico. Neam adfero, quam pius quisque spero, videbit esse simplicissimam.

REFVTATIO.

Ego certè, licet non sim pius, hoc est, Calvinianus; (hunc enim pij nomine intelligit) libentissimè fateor hanc interpretationem esse simplicissimam, hoc est, inanissimã, & non tam quatuor elogia coniugij, quàm quatuor signa Iunij complectentem. Nam primum Tertullianus non dicit Matrimonium Christianorum non esse à natura: Est enim contractus æque naturalis ac aliorum gentilium, licet simul sit etiam sacramentum, qua præstantia superat matrimonia infidelium baptismatis expertium; sed laudat hoc matrimonium, quod publicè, & vt loquuntur, in facie Ecclesie, celebretur, estque locus insignis contra matrimonia clandestina, vt rectè notauit Pamelius, quæ iam olim sacris Canonibus vetita fuere, & nouissime à Concilio Tridentino denuò inter-

*Apud Grat. 304
quæst. 5.
Concil. Tridēt.
Sess. 24. cap. 1.
de Reform.*

dicta. Itaque Ecclesia conciliat hoc matrimonium; quia Ecclesia matrimonij huius spectatrix est & testis, & approbatrix. Item Ecclesia hoc matrimoniū conciliat, quia noui coniuges, suo tempore, sacerdotaliter, ut mos est, cum precibus, & oblationibus à sacerdotibus benedicuntur, ut loquitur vetustissimus & sanctissimus Pontifex Euaristus, ad cuius epistolam, ad Africæ Episcopos datam, hoc loco alludere Tertullianum, non immeritò censet Pamelius. Et quæ est ista interpretandi ratio, Ecclesia, id est, vera fidei & doctrina, quæ in Ecclesia personat, conscientia. Quis vnquam audiuit cognitionem doctrinæ, quæ in Ecclesia personat, vocari Ecclesiam? Secundum elogium Matrimonij Christiani est, non illud, quod fingit Iunius; sed quod confirmetur oblatione. At qua oblatione? Quæ se noui coniuges offerunt & sistunt in Ecclesia, inquit Iunius. Nihil vanius; oblationem enim apud Tertullianum significare & esse sacrificiū corporis & sanguinis Christi seu sacrificium Missæ, infra ostendemus, & liquet ex libro de corona militis, vbi oblationes pro defunctis commemorantur; Et si Iunius hunc locum eodem modo deprauat, sed de hoc infra. Nunc quod ad rem, de qua agimus, attinet; Tertullianus non aliter vsurpat vocabulum oblationis, ac Euaristus Pontifex, verbis paulò antè adductis, cum iubet, ut matrimonium cum precibus & oblationibus à sacerdote benedicatur. Valeat ergo Iunius cum simplicissima sua interpretatione; quid enim simplicius, vel potius stultius, quàm confirmationē matrimonij per oblationem nihil esse aliud, præter representationem: qua noui coniuges sese in Ecclesia sistunt. Nihil profectò diuersum à primo elogio tribuisset Tertullianus Matrimonio Christiano, si hoc duntaxat tribuisset: Hoc ipso enim quod Ecclesia Matrimonium Christianum conciliat, ut habet primum

elogium,

elogium, oportet, ut coniuges se Ecclesiæ offerant, hoc est, sistant, & consensum suum testentur: nisi enim consensum testarentur, Ecclesia matrimonium illud nunquam approbaret. Vanum est & illud, cum ait, eos dum ita se in Ecclesia offerunt, postulare, ut Communibus Ecclesiæ precibus benedicantur: licet enim dubium non sit, quin coniuges, communes Ecclesiæ, hoc est, omnium fidelium, preces expetant: at in his precibus non consistit propriè benedictio coniugum; sed in aliis, quæ à sacerdotibus super nouos coniuges fundebantur, ut ex epistola Euaristi Pontificis, & ex aliis vetustissimis scriptoribus, & ex hodierno etiam Orthodoxæ Ecclesiæ vsu liquet.

Tertium elogium est, quod Matrimonium obsignatum Angeli renunciant. Appellat Tertullianus matrimonium obsignatum, quod in benedictione coniugum & coniunctione signaculum sanctæ Crucis adhiberetur; omnia enim Sacramenta conficiebantur & administrabantur olim interuentu sanctæ Crucis, ut fusè probauimus libro quarto de sancta Cruce, capite vndecimo & sequentibus. Deinde signare apud Tertullianum est signaculo Crucis uti. Hinc illud supra: *Latebisne cum lectulum, cum corpusculum tuum signas?* Et paulò post: *Non furtiua signatio.* Ut alia testimonia præteream: At signare & obsignare idem significant, nec aliter probo, nisi ipsius Iunij confessione, qui in indice Tertulliano verbo, *signum*, hæc habet: *Signare corpusculum, lectulum 176. 24. quod & obsignare. N. 266. 2.* quibus verbis citat notas suas in cap. 1. Scorpiaci, vbi tamē Tertullianus non utitur verbo *obsignandi*, sed *signandi*. Sed eadem est vtriusque notio. Nam, ut inquit Iunius, *signare accipitur pro eo quod est, sub sigillo includere & tenere clausum.* Si igitur signare & obsignare est signaculo sanctæ Crucis uti, ut ait Iunius, sequitur Matrimonium signatum

aut *obsignatum* dici illud, quod signaculo sanctæ Crucis est munitum, & quasi clausum. Accedit quod credibile non est, Christianos in re tanti momenti Crucis signaculum prætermisisse: si, ut ait Tertullianus, ad omnem *progressum, & promotum, & quacunq;* eos *conuersatio exercebat*, Crucis signaculo frontem tererent. Per Angelos, intelligit Iunius *Ministros Ecclesie*, non repugno: dummodo excludat Ministros Caluinianos, nisi forrè hi sunt Angeli, quibus; ut ait alicubi Tertullianus, *in lauacro renunciamus*: sed nomine patris deinceps patrem quoque sponsi aut sponsæ intelligat oportet. Verùm melius & Tertulliano conuenientius de Angelis propriè, & de cœlesti Patre locus capitur. Nam matrimonium publicè & coram Ecclesia inritum, & celebratum, & sacrosanctæ Missæ sacrificio cõfirmatum, & sanctæ Crucis signaculo obsignatum; Angeli ad cœlestem Patrem, tanquam inter-nunciij deferunt, eo modo quo Angelus Raphael preces Tobie Deo offerebat, & Pater tale coniugium gratum & ratum habet.

Tertullianus cap. i. Scorpiaci.

Magnum de modico malum scorpionum terra suppurat: tot venena, quot ingenia; tot pernicies, quot species; tot dolores, quot & colores. Et postq̃ Tertullianus descripsisset, quàm venenatus sit ictus scorpionij, quidque remedij adhibere soleant ij, qui icti sunt, subiungit: Nobis fides præsidium, si non & ipsa percutitur dissidentia signandi statim, & adiurandi, & vngendi bestie calcem. Hoc denique modo etiam Ethnicis sepe subuenimus, donati à Deo ea potestate, quam Apostolus dedicauit, cū viperæ morsum spreuit. Vbi Tertullianus tria remedia aduersus morsum scorpionis cõmemorat, signaculum seu signationem, adiurationem & vnctionem. Non enim

enim loquitur hoc loco de baptismo aut cæremoniis baptismi, ut Pamelio visum; sed de medicamētis aduersus ictum scorpionij, non spiritalis, de hoc enim postea agit, Gnosticos cum scorpiis comparans, sed veri scorpionij, & qui propriè hoc nomē sortitur. Videamus, quid hic Calvinista de signando: nam quid de adiurando & vngendo adferat, suo loco audiemus.

I V N I V S.

Signare, pro eo, quod est, sub sigillo includere & tenere clausum, latinis notum est; quemadmodum absentis debitoris domum signare dicit Modestinus L. si iniuria 20. ff. de iniuriis: & pudica Virgines olim signata dicebantur, ut Græcis παρθένος, Lucilius lib. 20. primum Chrysi negat signatam reddere, apud Nonium.

R E F U T A T I O.

Rectè explicat Iunius notionem vocabuli signandi: sed quare taces, quale hoc signaculum fuerit, qua bestie ictum signandū esse Tertullianus monet? An nescis, quo signo Tertullianus signet? Annon ipsemet illud: *Cum signas lectum, cum corpusculum*, de signaculo S. Crucis exponis? Ergo cū à scorpione vulneramur, inquit Tertullianus: partem læsam, signo Crucis, medicamento vice, signamus. Et hac ratione non modò nobis, sed & Ethnicis sæpe opem ferimus. Alij, inquit, naturalia remedia adhibent, aliquid & Magia circumligat, medicina cum ferro & poculo occurrit. Nobis fides præsidium; fides nõ diffidens, non titubans, sed statim ad signaculum Crucis, ad Exorcismum & Oleum benedictum confugiens.

Tertullianus lib. de spectaculis, cap. 24.

Nihil non diaboli est, quidquid Dei non est, vel Deo displicet, hoc erit pompa Diaboli, aduersus quam in signaculo fidei eieramus. Quod autem eieramus, neque factò, neque dictò, neque visis

visu, neque prospectu participare debemus. Ceterum nonne eie-
ramus & rescindimus signaculum, rescindendo testationem eius?
Hic nihil Iunius, non sine astu: Nam causa reddenda e-
rat non ex Caluini, sed ex Tertulliani mente, cur baptis-
mus appelletur signaculum; videlicet ob Crucis signacu-
lum adhiberi solitum. Vide librū quartū, de sancta Cru-
ce, capite decimo quarto. Eandem ob causam obmute-
scit Iunius ad illud libri primi, contra Marcionem, ca-
pite 28. *Signat hominem, nunquam apud se resignatum.* Et li-
bro de baptismo, capite sexto & decimo tertio, idem lo-
quendi modus occurrit: Sed non facit ad Calvinianum
stomachum, propter Crucis signaculum, quod sub illo
latet. Ceterum illud Tertulliani, capite vigesimo primo
Apolog. *Neg. de ipso signaculo corporis;* Rhenanus; Zephy-
rus & Pamelius rectè referunt ad circumcisionem; non
rectè Iunius in Indice, Verbo *signum*, ad baptismum: Et si
in notis id videatur referre ad circumcisiōnē; ait enim:
Christianos non modò festis & solennitatibus à Iudæis differre,
sed etiam signaculo corporis, quod Iudæi suo in corpore ferunt,
Christiani autem non ferūt: sed loco circumcisionis in car-
ne gerunt sanctam Crucem, vt docet S. Augustinus.

Tertullianus Apolog. aduersus gentes,
cap. 16.

*Sed & qui crucis nos religiosos putat, consecrans erit no-
ster, cum lignum aliquod propitiatur. Viderit habitus dum ma-
terie qualitas eadem sit: viderit forma, dum id ipsum Dei corpus
sit: Et tamen quanto distinguitur à crucis stipite Pallas Attica,
& Ceres farrea, quæ sine effigie rudi palo & informi ligno pro-
stant? pars Crucis est omne robur, quod erecta statione desigitur;*
nos si fortè integrum & totum Deum colimus.

*Nos si fortè religiosi putamur Crucis, non partem, non Crucem, sed ip-
sum integrum & totum Deum colimus. Exponit Minutius dicens. Cru-
ces etiam nec colimus, nec optamus: vos plane, qui ligneos Deos conse-
cratis, Cruces ligneas, vt Deorum nostrorum partes forsitan, adoratis.*

REFUTATIO.

Primum Tertullianus non dicit, *nos si fortè religiosi
Crucis:* Verum; *Sed & qui Crucis nos religiosos putat:* quo si-
gnificat, cōmunem fuisse apud Ethnicos persuasionem,
Crucem à Christianis coli. Nec negat hoc Tertullianus;
sed potius ostendit variis exemplis, ipsos etiam Ethni-
cos, Cruces colere, ac proinde minimè par esse, vt cultū
illum Christianis vitio vertant. Secūdo, vbi, quæso, apud
Tertullianum sunt illa verba; *Non partem, non Crucem co-
limus.* Hæc non sapiunt Tertullianum, sed Calvinum. At
exponit mentem Tertulliani Minutius, qui negat Christianos
colere cruces. Ceterum, qua mente verba illa scripserit Mi-
nutius, explicatum est cum ab aliis, tum à nobis lib. 1. de
S. Cruce, cap. 60.

Occasione huius loci dicendum est aliquid de Laba-
ris & Cantabris, vndenam vocabula hæc originem suam
trahant, Scripsi hæc de re quædam libro secūdo, de sancta
Cruce, cap. 39. quibus nunc aliorum sententias adiciam.
Iunius ex Persia horum nominum stirpem petit. *Est enim
Cantabrum,* inquit, *Persica origine ad verbum, conto descen-
dens: nam contum appellant Kanath; quod descendit, deponitur-
que, Baron siue Boron. Quare prudenter tria hæc ad hoc argu-
mentum pertinentia distingui debent apud auctores: Candys si-
ue Candyes, Labarum siue Laborum, & Cantabrum. Candys si-
ue Candyes sustis est, hasta, vel contus, cui appenditur militare
signum. Persæ Kanath, Hebræi Kenâes, Græci νότιον. Labarum
fuit regium vel imperiale Siparum, & stolæ candyis, vel signum
pensile:*

*Turneb. lib. 15.
Aduerſe. 16.*

penſile: Cantabrum eſt inſtrumentū illud totum, ex Candye ſeu Conto Labaroque conſtans. Hæc Iunius: Ex cuius ſententia appellatur Cantabrum quaſi Contobarū, ſeu Cantabarum; ex Conto, ſeu Perſico *Kanath*, ſeu *Candye*; & *Boron*, ſeu *Baron*; quæ opinio parum differt à ſententia Turnebi, qui & ipſe Contabrum à Conto dictum purat; Eſt non ex Perſia originem repetit, ſed à Græco & Latino *Contus*. Sed quod contra Turnebi ſententiam adfert illuſtriſſimus Baroniſ. id & in iſtam valet; omnia enim vexilla, ex hac notione nominari poſſent Cōtabra; quia omnia habent Sipara, hoc eſt, vela pendentia; atq; ad eò *Boron* ſeu *Baron*; hoc eſt, aliquid dependens; omnia item habēt *Kanath*, ſeu *Contum*: omnia ergo dicentur Contabra ſeu Cātabra, ſi minus Labara; quamuis cur non & Labara; nomine partis ad totum ſignificandū translata; ſicut & iam vocantur Labara, niſi quod Iunius effugium reperit; ait enim; Labarum non eſſe quoduis ſiparum ſeu velum; ſed Regium & Imperatorium. Quod ſi ita eſſet, tum non omne vexillum poſſet dici Labarum; ſed illud duntaxat, quod velo Regio ſeu Imperatorio inſigniretur. At cūm *Baron* ſeu *Borō*, ſit, vt Iunius ait, lingua Perſica, generatim, quod *deſcendit*, *deponiturque*; non video, cur labarum tantummodo ſiparum regium ſeu imperatorium debeat ſignificare: niſi fortè *La* lingua Perſica Regem aut Imperatorem ſignificat, aut certè Regium ſeu Imperatorium. Fortè erit aliquando, qui ſiparum, contabrum, labarum ex Germanica lingua deducat, maiore veriſimilitudinis ſpecie, quàm iſte ex Perſica. Cur enim ſiparum, non ſit *ſichtbar* / contabrum, *fontbar* / labarum, *lautbar* / quæ vocabula Germanis non magis ignota ſunt, ac illud *offenbar* / cuius alteram partem deriuant à *parere*, quod eſt liquere ſeu lucere; ablata media & vltima ſyllaba, ſuperſite

ſite prima. Nimirum, ſingendi nullus ſinis eſt: poſtq̄ quis ſingendi prurigini habenas laxat. Quia verò editiones quædam Tertulliani hoc loco, nec *labarorum* nec *cantabrorum*, ſed vitio typographico, *candelaborum* repræſentabant; ideo ſtatim exſtitit, qui emendaret *ſipara illa vexillorum*, & *Candyes ſeu Candes labarorum*; quod ex antena labarorum penderet Candys; quod, vt docet Heſychius, eſt militaris & honorata haſtatorum veſtis, & genus quoddam paludamenti barbarici: Quæ coniectura, inquit Pamelius, plauſibilior eſſet; ſi aut excuſi veteres, aut manuſcripti legerent, *Candelaborum*: Sed cūm in omnibus, aut *cantabrorum* aut *labarorum*, appareat, improbabiliſ proſus eſſicitur coniectura, quæ ſolo illo candelaborum firmamento nititur, vt ipſemet tandem Scalliger agnoſcit. Plura lib. 2. de S. Cruce: vbi etiam diximus, quænam originatio cantabri & labari nobis maximè arideat. Probauimus etiam in eodem opere lib. 2. cap. 2. ex hoc ipſo Tertulliani loco, tempore Tertulliani imagines Crucifixi vſitatas. Vtrum autem imago Crucifixi fuerit tum cruci ſuperaddita, quaſitum eſt ibidem cap. 3.

CAPVT II.

De Imaginibus.

Tertullianus lib. de Pudicitia, cap. 7.



PARABOLIS licebit incipias, vbi eſt ouis perditā, à Domino requiſita; & humeris eius reuectā. Proce-
cedant ipſæ pictura calicum veſtrorum, ſi vel in illis perlucebit interpretatio pecudis illius, vtrumne
Chriſtiano an Ethnico peccatori conlineet.

Idem eodem libro cap. 10.

Cederem tibi, si scriptura Pastoris, quæ sola Mæchos amat, diuino instrumento meruisset incidi; si non ab omni Concilio Ecclesiarum, etiam nostrarum, inter Apocrypha & falsa iudicaretur: adultera & ipsa, & inde patrona sociorum. Aqua & aliis iniuriis: cui ille, si fortè patrocinetur pastor, quem in calice depingis (prostituto rem & ipsum) Christiani Sacramenti, merito & ebrietatis idolum, & mæchia asylum post calicem subsecutura; de quo nihil libentius bibas, quam ouem pœnitentiæ secunde.

Locus clarissimus pro vsu imaginum asserendo. Cùm enim Tertullianus, cum, qui fornicationis aut adulterij flagitio sese inquinasset, negaret ad pœnitentiã recipiendum: Orthodoxi autem, quos ipse contumelioso nomine *psychicos*, hoc est, *animales*, appellat: contenderent, neminem ab Ecclesia excludendum esse, si dignos pœnitentiæ fructus agat, quantumuis magnis sceleribus sese obstrinxisset: idque præter cætera confirmarent exemplo pastoris nonaginta nouem oues in deserto relinquētis, & centesimam, à grege aberrantem, quærentis, reperitamque propriis humeris ad ouile referentis: occurrit Tertullianus, hanc parabolam non esse intelligendam, de quauis oue, hoc est, fornicatore aut adultero Christiano; sed de Ethnico; & vt hoc euincat, prouocat ad ipsos Ecclesiæ Orthodoxæ calices, in quibus imago boni pastoris ouem perditam humeris suis reportantis, depicta uisebatur. Et infra ait; se libenter concessurum scortatoribus & adulteris locum pœnitentiæ, si liber ille, qui Pastor inscribitur, in numero diuinorum librorum, atque ad eò Canonicus esset. Quia uerò extra

cærum

cærum sacrorum voluminum liber ille vagatur; ideo ait, se nihil eorum, quæ inde pro sententiã Orthodoxorum afferuntur, admittere uelle; moxque Hæreticorum more, dentes in Catholicos exserens: Fortè, inquit, pastor ille, quem in calicibus pingitis, patrocinetur pastoris illi, hoc est, libro, qui Pastor inscribitur: & scortatoribus mœchisque aditum pœnitentiæ aperiet: & sic fiet, Pastor ille, in calicibus depictus, prostitutor Christiani Sacramenti, simulque idolum ebrietatis & asylum mœchiæ, eò quod homines picturam illam intuiti, sibi veniam promitterent, acta pœnitentiã, post admissum libidinis flagitium. Hæc Tertulliani miserè iam in hæreseos voraginem præcipitati mens: hæc sententiã. Ex cuius mala, imò pessima doctrina; bonum, imò optimum & saluberrimum imaginum usum colligimus. Nunc Iulianum audiamus.

I V N I V S.

Quod dicit, procedant ipse pictura calicum uestrorum, auctoris obiectio est, exprobrantis; quod nonnulli pictos calices habere audeant: in quibus figura pastoris peccatoris ad se recipientis, haberetur. Quæ uerò, cum ab Ethnicis, non à Christianis sit, ex eo ipso confirmari statuit; parabolas de Ethnicis, non de Christianis à Domino enunciatas esse, uel confessione ipsorum.

R E F U T A T I O.

Admiranda huius Calvinistæ improbitas est, & proiecta ad quiduis comminiscendum audacia. Vbi enim reprehendit Tertullianus illos, quòd calices pastoris pictura insignitos habeant? Nusquam ullum reprehensionis uestigium apparet: Nusquã exprobrationis uilla species: Sed aduersus Orthodoxos disputans, ad eorum calices pastoris imagine cõspicuos prouocat; ut inde euincat picturam illam non de Christiano, aut si de Christiano,



no, certè non de adultero intelligendam esse: An hoc est exprobrare, quod nonnulli picturam habere audeant? Nec de nonnullis, sed de omnibus omnino Orthodoxis (quos *Psychicos* vocat) loquitur. An nescit Iunius, contra quos liber de pudicitia, vt & liber de ieiuniis, sit scriptus? An contra nonnullos tantùm? an non contra omnes *Psychicos*, hoc est, Orthodoxos, vniuersim? Cur ergo iste nugatur Tertullianum exprobrare quibusdam; quod apud omnes, communi vsu & more, receptum erat? Et cur dicit exprobrare, quod minimè exprobrat; sed potius tanquam legitimè factū assumit, vt inde propositum suum conficiat? Deinde; vbi, oro, Tertullianus dicit, picturam illam ab Ethnicis esse? An Ethnici Seruatorem nostrum pingebant habitu pastoris, ouem errabundam ad gregem reuoluentis; ita vt postea, Ethnicorum exemplo, Orthodoxi eandem picturam suis in calicibus expresserint? An non pictura illa ex parabola Domini, à S. Luca cap. 15. scriptis consignata manauit? Legat, obsecro, lector ipsa Tertulliani verba, & de fronte huius Calvinistæ iudicet. Tertullianus aliud probare non instituit, quàm per ouem perditam non esse intelligendum Christianum, sed Ethnicum; vt & per drachmam amissam, quæ parabola priori subiungitur; aut si & Christianum; at non scortatorem & mœchum; ne minimo quidem verbo indicat, morem picturarum aut imaginum ab Ethnicis profectum esse; multoque minus morem illum pingendi in calicibus Seruatorem, pastoris specie. Quo igitur ore comminiscitur iste veritatis hostis, Tertullianum affirmare, hanc picturam ab Ethnicis esse, cum ex Euangelio à Christianis, & quidem Orthodoxis, contra quos Tertullianus disputabat, deprompta fuerit? Magna vis veritatis est, quæ aduersarios

in tam absurdas, ineptas, & commentitias assertiones adigit: nisi enim huc confugiat imaginum hostis & osor, manus dandas esse videt: sed mauult anima, quàm de sententia cedere.

Ceterùm, quia de imaginibus sermo est, operæpretium erit paucis annotare errores, qui continètur in præfatione in Miscellam, quæ crudio & de literis optimè merito vito adscribitur, verène an falsò, nescio. Basileæ certè scripta est; quare mirum non esset, si Basileus ille veneni aliquid Catholico alioquin, vt opinor, animo afflasset. *Non adeo*, inquit, *obuium est volumen illud Synodi Constantinopolitane; in cuius præfatione memini Anastasium seridè & grauiter conqueri, necdum suo tempore imaginum cultum à Francis siue Gallis fuisse receptum.* At huic Anastasij querelæ opponimus primò sanctum Gregorium Magnum, plurimis annis Anastasio antiquiorem, qui suo tempore in Gallia imagines vsitatas fuisse testatur, seuere enim reprehendit Serenum Episcopum Massiliensem, quod imperito zelo ductus, imagines in Gallia confregisset. At frangere non potuisset, nisi in Gallicanis Ecclesiis imagines fuissent vsitatae. Deinde Claudius Taurinensis sub Ludouico Pio, Caroli Magni filio, imagines in Gallia, Iconomachorum more, comminuit. Et Ionas Aurelianensis, sub eodem Principe, imagines publicis scriptis, aduersus Claudij vesaniam defendit: Oportet igitur tum in Gallia fuisse imagines, & quod hinc est consequens; longè ante tempora Anastasij, qui vt hæc ipsa præfatio ostendit, sub Basilio Imperatore floruit, tempore octauæ Generalis Synodi in causa Photij. Falsum est ergo quod præfatio subiungit. *Et sanè si verum seridè volumus: nuper admodum nostri homines imaginosi esse ceperunt. Quomodo nuper, si tempore Gregorij Magni imagines*

*S. Gregor. lib.
7. epist. iii. &
lib. 9. epist. 9.*

S. Gregor. l. 10.
9. epist. 9.

Ecclesiæ Gallicanæ habebant? Quomodo nuper; si de imaginibus in Ecclesiis Gallicis depingi solitis; loquitur S. Gregorius; tanquam de re planè vetusta? *Et quia in locis venerabilibus Sanctorum*, inquit S. Gregorius, *depingi historias non sine ratione vetustas admisit, si Zelum discretionè condidisset, sine dubio & ea, quæ intendebas, salubriter obtinere, & collectum gregem non dispergere, sed potius dispersum poterat congregare.* Quomodo nuper, si Massilienses hoc factum sui Episcopi, tam indignè tulerunt, ut maxima eorum pars ab eius se communiōne suspenderet? Quomodo nuper, si sub Ludouico Pio, Claudio laborandum erat, ut imagines confringeret, Ionæ Aurelianensi, ut defenderet? Ergo cùm Anastasius dixit, iūo tempore, à Gallis imagines non fuisse receptas, non locutus est de omnibus Gallis, aut de Gallis antiquioribus; sed de illis, qui Claudij Taurinensis, & aliorum Iconomachorum fermento infecti erant, perinde ac si quis iam conquereretur, imagines nec dum à Germanis esse receptas: id certè intelligi non posset, nisi de Hæreticis Germanis, non autem de Orthodoxis hodiernis aut antiquioribus. *Testatur id, inquit, satis superq., ut vetera illa omittam, de Claudio Taurinensi, aliisq. provincialibus Episcopis; ipsius Imperatoris Caroli contra Synodum Constantinopolitanam liber; cuius fides vel vnius Hincmari Rhemensis testimonio, extra omnem suspicionis aleam esse potest.* Sed iam ostendimus, factum Claudij testari antiquitatem imaginum in Gallia, nisi enim in Gallia fuissent imagines, Claudius cum suis satellitibus, non potuisset aduersus eas bellum suscipere. Libros illos Carolinos, esse supposititios perspicuis argumentis demonstrat Bellarminus libro de imaginibus, cap. 15. & lib. 2. de Concil. cap. 8. Hincmarum deceptum esse, cùm hos libros Carolo adseripsit, quid mirum? Ad-

dit

dit præfatio ex vetustis annalibus, *in Synodo Francofordiensi damnatam hæresin Felicianam. Item pseudosynodum Græcorum pro adorandis imaginibus habitã, & falsò septimã vocatam.* Cæterum & hunc nodum expedit Bellarminus libro de imag. cap. 14. & libro 2. de Concil. cap. 8. Summa est, in Concilio Francofordiensi damnatam fuisse Synodum Nicænam secundam, per errorem & materialiter. Auctorem enim librorum Carolinorum imposuisse Synodo, & duo mendacia obtrusisse; alterum in Synodo Nicæna definitum fuisse, ut imagines adorarentur cultu latriæ: alterum, decretum illud factum sine auctoritate Papæ. Quibus mendaciis pro veritate habitis, dānata est sine culpa Synodus; quæ sine culpa dānata non fuisset, si, ut auctor ille fingebat, duo illa in Nicæna Synodo accidissent: nā si imagines decreto illius Cōcilij fuissent reiectæ, cur Claudius Taurinensis, sub Carolo Magno: nihil aduersus imagines moliri fuisset ausus, ut testatur Ionas? Cur vbi postea in apertum scelus erupit, ab omnibus Orthodoxis est explosus, vñā cū suis gregalibus, ut ex Ionæ libris aduersus Claudium liquet? Taceo, non deesse auctores, qui negent in Concilio Francofordiensi aliquid aut pro imaginibus, aut contra imagines decretum esse; sed totum hoc illi Synodo falsò imponi. At de his satis, ne agamus actum, cùm necdum acta supersint.

Soarez 3. p. d.
54. sect. 3.

Pergit præfatio. *Auctor, qui annales Francorum persecutus est, quorum plerag. ad Aimoinum adiecta, testatur in octaua Synodo Generali, in qua Photius depositus, & Ignatius restitutus est, de imaginibus adorandis aliter, quàm Orthodoxi Doctores antea desinierant statutum esse; & quadam etiam pro favore Romani Pontificis, qui eorum votis de adorandis imaginibus annuerat, decreta.* Verum claritatis causa, quæramus ex hoc Auctore, quidnam sibi velit. Aut enim vult, in illa

r

Synodo

Synodo damnatas imagines contra veterum consensio-
nem: & hoc nullo vel in speciem probabili argumento
ostendi potest; Nam eo tempore, hoc est, Adriani secun-
di, & Basilij Imperatoris, nulla de imaginibus controuer-
sia erat, & Græci tum imagines religiosè colebant, op-
pressis iam Iconomachis. Aut vult auctor ille, de imagi-
nibus, in eo Concilio, aliter fuisse statutum, quàm docu-
erat Claudius Taurinensis olim in Gallia, & alij Icono-
clasta in Oriente; & tum parum conducit hic Auctor ad
institutum eius, qui hanc præfationem fecit, probandū;
Instituit enim demonstrare, in Gallia; non fuisse veterem
imaginum vsū: at hoc inde non euincitur, quo enim
antiquiores sunt Iconomachi, eò vetustiorē fuisse ima-
ginum vsū oportet; cū Iconomachi esse non potue-
rint, nisi essent imagines; priores ergo & antiquiores ex-
stiterunt imagines, quam imaginum eueriores. *In quan-
tum falsum corruptio est veri*, inquit Tertullianus, *in tantum
precedat necesse est veritas falsum; prior erit res passione; &
materia, emulatione. Ita ex ipso Ordine*, ait alibi Tertullia-
nus, *manifestatur; id esse Dominicū & verum; quod sit prius
traditum: id autem extraneum & falsum; quod sit posterius
immissum. Sed illud*, inquit, *fortasse non omnibus vsquequaq;
probabitur, ne sub Friderico quidem Primo, à Germanis εἰκότων
καποκύνῃσι receptam fuisse. Quis verò hoc pbaret, cū cō-
trarium manifestè constet, cū aliunde, tum ex plurimis
Germaniæ templis variarum imaginum ornatu insigni-
tis, longè antiquioribus, quàm sit Fridericus Primus Im-
perator; nec erant memoriæ duntaxat causa in templis,
sed cultus etiam & venerationis. At probat suum com-
mentum ex Niceta. Nicetas auctor est, cūm Fridericus, elu-
sis Græcorum insidiis, Philippopolim occupasset, Alemannos, ab
Armeniis, qui soli in vrbe remanserant, non vt hostes, sed vt*

*Tertull. lib. 4.
contra Mar-
cion. cap. 4.*

*Tertullian. de
prescript. c. 31.*

*Nicet. lib. 2. de
Imp. Isaaci
Angeli.*

amicos

*amicos exceptos, ob religionis inter ipsos conuenientiam, quod
vtrique & imaginum venerationem detestarentur, & azymo
in sacris vterentur. Ita quidem Nicetas. Sed quis credat
hosti Germanici nominis, & rituum nationis Germani-
cæ penitus ignaro? Quid enim illo tempore à Græcis non
ferebatur de Germanorum religione? Quia verò Nice-
tas Præses tunc Philippopoleos, Armenos & Germanos
æquè odisset, detestatione imaginum eos pares facit, vt
eos suis Græcis magis execrabiles & inuisos redderet.
Hactenus de istis.*

C A P V T III.

De sacrificio Missæ.

Tertullianus lib. de corona militis, cap. 3-



*BLATIONES pro defunctis, pro natalitiis, an-
nua die facimus.*

I V N I V S.

*Oblationes pro defunctis, id est, fundationes anniuersarias, vt vocat;
quas defuncti prestari anniuersariè Ecclesia aut pauperibus erogari inbe-
bant pro se, id est, loco suo, tanquam si ipsi presentes presentibus largiren-
tur. Hac igitur legata sunt testamentaria: quemadmodum & oblatio-
nes pro natalitiis, dicuntur institutiones à viuentibus facta in diem nata-
lem ipsorum, vt pauperibus egentibusq; daretur aliquid refrigerij, pro eo,
quod Ethnici celebrabāt Natales suos, profuso luxu, & dabant natalitia,
χαρίσματα, vt de Antonio dicebat Tullius Philipp. 2.*

R E F V T A T I O.

Ecce lector, quàm multa Diaboli negotia, vt cum Ter-
tulliano loquar, spiritus Calvinianus, simul agat. Aliquot
dogmata & ritus Ecclesiæ Catholicæ ex hoc loco Tertul-
liani

liani stabiliuntur; I. Sacrificium Missæ, & quidem pro defunctis. II. Anniversaria defunctorum memoria. III. Preces & pia opera in subsidium defunctorum fieri solita, si quis fortè *oblationis* nomen generatim accipere velit, prout significat etiam Eleemosynas pro salute defunctorum erogatas. IV. Purgatorium. V. Annua commemoratio sanctorum Martyrum, & in ea oblationes, hoc est, *sacrificium Missæ*. Hæc omnia iste obscurare, imò & abolere nititur. *Oblationes*, inquit, *pro defunctis, id est, fundationes anniversarie, quas quotannis pro se, id est, suo loco, erogari iuebant.* Quid à mente Tertulliani alienius? Nam Tertullianus eo loco recenset traditiones Apostolicas non paucas, *ut die Dominico non ieiunare, de geniculis non adorare, ter in Baptismo mergi, lactis & mellis cœcordiam prægustare, Crucis signaculo frontem terere*, quibus addit *annuas oblationes pro defunctis, & natalitiis.* Addit, inquam; tanquam traditiones Apostolicas, *quarum si legem exposcules scripturarum, nullam inuenies, sed traditio tibi prætendetur auctrix; consuetudo confirmatrix, & fides obseruatrix;* Fides videlicet Christiana. At annuæ oblationes pro defunctis, hoc est, *legata testamentaria*, ut vel omnibus, vel alicui hominum generi, *pro defunctis, id est, loco defunctorum, quasi ipsi præsentés adessent*, aliquid vel pecuniæ, vel alterius subsidij quotannis distribuatur: Item ut fideles natales suos celebrent erogatione stipis in egenos, non sunt traditiones Apostolicæ; quandoquidem & gentes hoc fecerunt, & faciunt adhuc, semperque liberum fuit cuiuis, ut testamento suis ex rebus, quidquid, & quandoque, & cuiunque luberet, destinaret. At Tertullianus loquitur de consuetudine quadam ab ipsis Apostolis, non scripto, sed verbo tradita, apud solos fideles vigente; qualis est, nō illa ficticia Iunij, *oblatio pro defunctis*, sed

sed oblatio Catholicorum, hoc est, *sacrificium Missæ*, & preces pro defunctis. Nam *oblatio & offerre* apud Tertullianum idem sunt, quod *sacrificium & sacrificare*: item *preces & precari*: quod primò patet ex hoc ipso loco, si non legatur oculis Hæreticis. Secundò, ex libro secundo ad uxorem, ubi ait: *matrimonium confirmari oblatione*: nam commētitiam oblationem, quam ibidem adfert Iunius, iam suprà prosligauimus. Tertiò: Ex libro de Monogamia; Vbi hæc Tertullianus: *Pro anima eius (nempe mariti) oret, & refrigerium interim adpostulet ei, & in prima resurrectione consortium, & offerat annuis diebus dormitionis eius.* Ita legunt aliqui. Alij aliter; sed eodem sensu. Offerat: Quid? preces videlicet & sacrificium corporis & sanguinis, sed hoc non per se: sed per sacerdotem, nō enim hoc est munus Laici. Idem Tertullianus libro de exhortatione ad castitatem: *Etiam repete apud Deum, pro cuius spiritu postules: pro qua oblationes annuas reddas: stabis ergo ad Deum cum tot vxoribus, quot illa oratione commemoras, & offeres pro duabus, & commemorabis illas duas per sacerdotem de monogamia, & ascendet sacrificium tuum libera fronte.* Quod prior loco monet, ut faciat vxor pro marito, idem hoc posteriore scribit fieri solitum pro vxore, & quidem ministerio sacerdotis, & ut eò commodius fiat, instat Tertullianus, ut maritus à secundis nuptiis abstineat, sitq; monogamus, (iam enim transierat Tertullianus ad castra Montani) & oblationē illam disertè vocat sacrificium. Et ex his duobus testimoniis refelles quoque Iunij expositionem, cum oblationes pro defunctis exponit *legata testamentaria loco defunctorum*: nam Tertullianus ait per has oblationes defuncto refrigerium postulari & conciliari: ergo aliud quiddam, quàm Calvinista velit, significat. II. Ait, has oblationes per sacerdotē offerri. At quid

opus est, vt legata testamentaria distribuantur à sacerdote, cum quiuis, etiam non sacerdos, loco defuncti, expēdere possit in pauperes id, quod testamento est relictum. Aliam ergo oblationē; cuius minister solus sit sacerdos, Tertullianus intelligit. III. Huiusmodi legata testamento egenis relinquere, non est omnium; sed diuitum duntaxat: At Tertullianus loquitur de annua oblatione, quæ ab omnibus præstari & exhiberi possit; per sacerdotem scilicet: cum recenscat quid quiuis maritus, mortua vxore; & quid quæuis vxor, mortuo marito, soleat facere. Non ergo intelligit illam testamentariam oblationem; sed illam, quæ fit ad altare Domini pro salute defunctorum. Scio, quibus nebulis inuoluat hæc loca Tertulliani Iunius; sed paulò post euoluemus.

Accedit, quod vt tota antiquitas Græca Sacrificium Missæ præter cætera nominauit *προσφορὰν* & *προσκομιδὴν* ita tota antiquitas latina vocauit idem sacrificium præter cæteras appellationes; *oblationem*, vt plurimis exemplis ostendit Pamelius in caput vndecimum, libri de cultu sceminarum, annot. 65. Nobis sufficit vnus Cypriani locus, cui *offerre*, est sacrificare: & oblatio, sacrificium, epistola sexagesima sexta: *Censuerunt, ne quis frater excedens ad tutelam vel curam Clericum nominaret, ac si quis hoc fecisset, non offerretur pro eo, nec sacrificiū pro dormitione eius celebraretur. Neq. enim apud altare Dei meretur nominari in sacerdotū prece, q. ab altari sacerdotes & ministros voluerit auocare. Et ideo Victor cum nuper contra formam in Concilio à sacerdotibus datam, Geminium Faustinum presbyterum ausus sit tutorem constituere, non est, quod pro dormitione eius apud vos fiat oblatio, aut deprecatio aliqua nomine eius in Ecclesia frequētur. Quis meliorem interpretem desideret, quid sit oblatio & offerre pro defunctis apud Tertullianum Afrum*
vetus.

vetustissimum, quàm sanctum Cyprianum itidem Afrū & vetustissimum, & Tertulliani lectioni tam addictum, vt eum magistri honorifico cognomento afficeret? An & apud Cyprianum *oblatio pro dormitione alicuius*, est *oblatio testamentaria*, qua quis iubet, vt suo loco, quasi se presente, egenis aliquid subsidij erogetur? An non sacrificium pro dormitione, & oblatio pro dormitione vnum & idem est?

Æquè vana est altera Iunij interpretatio, pro *Natalitiis*, id est, *institutiones à viuentibus factæ in diem natalem ipsorum, vt pauperibus detur aliquid refrigerij*. Vbi vel vnum exemplum ex tota antiquitate huius institutionis? vbi vnum exemplum, Christianos veteres tanti fecisse natales suos dies? Intelligit ergo Tertullianus per *Natalitia*, dies, quibus sancti mūdo denati, nascebantur cælo, quos dies veteres Christiani sacros & solennes habebant, & natales seu natalitios vocabant, & cum alio diuino cultu, tum sacrosancto Missæ sacrificio obibant. Testes cum alij plurimi, tum ille idem sanctissimus Martyr Cyprianus, epistola trigesima quarta, his verbis: *Sacrificia pro eis semper, vt meministis, offerimus, quoties Martyrum passiones & dies, anniuersaria commemoratione celebramus*. Et epistola trigesima septima, loquens de iis, qui in carcere excesserant, ita scribit: *Deniq. & dies eorum, quibus excedunt annotate: vt commemorationes eorum inter memorias Martyrum celebrare possimus*. Et infra: *Celebrentur hæc à nobis oblationes & sacrificia ob commemorationes eorum, que citò vobiscum, Domino protegente, celebrabimus*. Ergo quod Tertulliano est, pro natalitiis annua die facere; hoc Cypriano est, oblationes & sacrificia celebrare ob commemorationes Martyrū iis diebus, quibus ad immortalitatem gloriosa mortis exitu transeunt. Quod autem Tertullianus ait, pro *natalitiis* (Martyrum) fieri oblationes, id perinde est ac si diceret, in *Natalitiis* seu

seu pro honore natalitiorū huiusmodi oblationes fieri: Nō enim pro Martyribus sacrificabatur, quasi huius subsidij adhuc indigentibus. Hinc S. Augustinus tract. 84. in Ioannem loquens de Martyribus: *Ad ipsam mensam, inquit, non sic eos commemoramus, quemadmodum alios, qui in pace requiescunt, ut etiam pro eis oremus, sed magis ut orent ipsi pro nobis, ut eorum vestigijs adhareamus.* Addit Iunius: *Alucinatur Pamelius, qui natalitia pro natalibus accipit. Quae interpretatio exemplo & auctoritate caret.* Quomodo exemplo & auctoritate caret ut adiectum nomen ponatur solum, substantiuo subintellecto? ut pro natalitijs sit idem quod pro natalitijs diebus seu festis? Ad extremum quid vtilitatis inter Ecclesiasticas loquendi formulas, quam Natalitia Martyrum pro Natalibus?

Tertullianus libro de cultu foeminarum, cap. II.

Vobis nulla procedendi causa non tetrica. Aut imbecillis aliquis ex fratribus visitandus: aut sacrificium offertur, aut Dei verbum administratur.

Idem lib. 2. ad Vxorem, cap. 9.

Inter commoda Christiani matrimonij numerat, sacrificia sine scrupulo.

I V N I V S.

Sacrificium; orationes sacra, quibus pijs se sistunt Deo, ut copiose exponit Clemens Alexand. Stromat. lib. 7. & Auctor noster Apolog. 30. & sequent. & ad Scapulam cap. 2. Alibi. Sacrificia precum, ut interpretatur Auctor Apolog. cap. 30. & ad Scapulam, cap. 2. quae sacrificia sunt cordis puri, conscientia bona, & fidei à vobis cupitur.

R E F U T A T I O.

Sacrificium apud Tertullianum accipi proprie, non generatim pro quibuscunq; sacris precibus, ex supra dictis

etis satis liquet: Et praeterea ex libro de oratione, ubi ait: *Quale sacrificium est, à quo sine pace receditur?* Vbi agit de illis, qui eo tempore, quo sacrificium peragebatur, fratribus pacis osculum non dabant, idque consilio celandi ieiunij. Paulò post: *Similiter de stationum diebus non putant plerique sacrificiorum orationibus interueniendum, quod statio soluenda sit, accepto corpore Domini: Ergo deuotum Deo obsequium Eucharistia resoluit, an magis Deo obligat? Nonne solennior erit statio tua, si & ad arā Dei steteris? Accepto corpore Domini & reseruato, utrumq; saluum est, & participatio sacrificij, & executio officij.* Quibus verbis reprehendit Tertullianus illos, qui diebus stationum nō intererant sacrificio corporis & sanguinis Domini. Vbi I. notandum, non dici *sacrificij orationum*, ut Hæreticorū corruptela elidatur; sed sacrificiorum orationibus, quia sacrificium Missæ non peragitur sine certis precationibus. II. Sacrificium illud postea vocari Eucharistiam, ergo non est tantum sacrificium in solis precibus positum. III. Sacrificium illud peragi in altari, ad quod fideles, sacerdote sacrificante, adstant. At preces ubique, non in solo altari perficiuntur. IV. De sacrificio illo etiam alios participare posse, accepto corpore Domini, & reseruato, (nam tempore Tertulliani Eucharistiam domum ferebant Christiani, ut eam pro occasione & pietate sua sumerent) ergo non loquitur Tertullianus tantum de precibus: sed de sacrificio Eucharistiae, ex quo etiam fideles communicabant. Locus certè euentissimus est, cōtra Iunij peruersa glossata: cui addo illum ad Scapulam cap. 2. *Sacrificamus pro salute Imperatoris, sed Deo nostro, & ipsius: sed quomodo praecepit Deus, pura prece.* His vltimis verbis existimant Iunius & alij sectarij, tantum significari preces seu sacrificium precum. At iam ostendimus Tertullianum agnoscere

scere & celebrare etiam oblationem & sacrificium Eucharistiæ: quod dum offertur, pura, munda, & immaculata oratio adhibetur. Itaque sacrificando orabant pro Imperatore, hoc ipso, quod sacrificio Christiano & olim, vt & hodie, variæ preces interferuntur. Nec rectè facit Iunius, cum, vt hunc & alios Tertulliani locos eludat, adfert cap. 30. & sequentia Apologetici. In illis enim capitibus tantummodo precum seu orationum pro Imperatoribus & Republica meminit: at hîc insuper & sacrificia pro iisdem cõmemorat. Præterea quid altare apud Tertullianum, si non & sacrificium in altari? *Ne prius*, inquit lib. de oratione, *ascendamus ad Dei altare, q̄ si quid discordia vel offense cum fratribus contraxerimus, resoluamus.* Clemēs Alexādrinus lata notione loquitur de sacrificio, vt comprehendit oēs virtutum actiones; Nec abnuît aliud esse apud Christianos sacrificium, cum enim eos sacrificiis Deum colere negat, loquitur de sacrificiis cruentis, qualia Ethnicis & Iudæis vsitata erant. Neque etiam Tertullianus cum in libro contra Iudæos cap. 5. differit de sacrificiis spiritualibus & laudis, Christianæ Ecclesiæ; excludit sacrificium Eucharistiæ: quia & hoc spirituale est, cõparatione veterum sacrificiorũ, & est vel maximè sacrificium laudis, sed non tantũ & præcisè, quasi nullam aliam rationem sacrificij complectatur, vt ineptiunt Sædarij.

Tertull. lib. de Monogamia, cap. 10.

Enimuerd̄ & pro anima eius (mariti) orat & refrigerium interim adpostulat ei, & in prima resurrectione consortium, & offert annuis diebus dormitionis eius.

IUNIVS.

Prima editio, Enimvero anima eius orat, agit enim de cõiuge vidua, que sibi, non mortuo opem diuinam implorat, oprato coniuge destituta: sic postea,

postea, & refrigerium interim adpostulat etiam, id est, consolationem & lenamentum sibi, ex eadem editione, quam iniquè mutatam video.

REFUTATIO.

Vt Calvinista errores suos stabiliat, & Catholica dogmata de suffragiis & sacrificiis pro defunctis euertat, corrumpit in primis textum; & ne ipse fraudis huius videatur auctor, laudat primam editionem Rhenani: Et tamen ipse Rhenanus, editionis eius auctor, lectionem illam improbauit, vt liquet ex eius scholiis, quæ Calvinianus iste suis notis artexuit. *Coniicio sic castigandum*, inquit Rhenanus, *quando nihil est ab exemplaribus præsidij, & pro anima eius orat, & refrigerium interim adpostulet ei, & in prima resurrectione consortium;* cum igitur ipse Rhenanus, sensu, si non verbis, cum Pameliana editione conueniat: cur Iunius ad primam Rhenani editionem prouocat? cū Rhenanus disertis verbis explicet, quam lectionem hoc loco genuinam arbitretur: & expressè profiteatur ex codicibus, quorum copiam ipse nactus fuerat, nihil certi posse constitui. Deinde lectionem, quam Rhenanus habet ex coniectura; hanc habuit Pamelius ex antiquis codicibus, quibus, quis non plus credat quàm Iunio, aut primæ editioni Rhenani, quam ne ipse quidem Rhenanus, postea bavit. Nec discrepat Rhenanus à Pamelio: nisi quod Rhenanus legit, *orat, adpostulet*, vt sit vox mandantis: Pamelius, enunciatinè; *orat, adpostulat*; vt sit vox id quod fieri solet, explicantis. Sed Iunius ait, *eam editionè iniquè mutatam.* At negat hoc Rhenanus, auctor & primæ & secundæ editionis. Negat hoc Pamelius, frater veterũ librorum auctoritate. Tantũ affirmat Iunius, quia purgatorium ferre nequit. Quomodo feret infernum, haud paulò leuius & breuius tormentũ? Adhæc an nõ aduersa fronte

fronte Iunius Tertulliano reluctatur? Vult enim Tertullianus, iam Montani spiritu instinctus, vt mulier, mortuo marito, ad secundas nuptias non transeat. Et vt hoc persuadeat, percenset, quibus officiis defunctum prosequatur. *Enimuerò*, inquit, *& pro anima eius orat*. Et ad hoc eam arctissimis legibus adstringi ait. Nam hæc nisi fecerit (nimirum nisi pro anima defuncti mariti orauerit) nisi refrigerium ei adpostularit, & in resurrectione consortium, *verè repudiauit* (hoc est, marito defuncto libellum repudij misit) quãtum in ipsa est, & quidem *hoc iniquius, quanto quomodo potuit, quia non potuit: & hoc indignius, quanto iam indignius, si quia non meruit*. In eandem sententiam multa Tertullianus subiungit. Quid verò Iunius? Non modò insulsè aduersus Tertulliani mentem, sed & Calvinisticè, hoc est, impiè. *Enimuerò anima eius orat*, id est, *anima vxoris*. Mirum, ni corpus oret. Sed quid orat vel pro quo? *Et refrigerium interim adpostulat etiam; ex ei videlicet, faciendum fuit, etiam, ne Tertullianus in solæcium incidisse videatur: si ei dixisset pro sibi*. At Rhenani prima editio præfert *enim, non etiam*, nullo prorsus sensu. Vnde meritò de correctione cogitauit Rhenanus. *Et offert annuis diebus dormitionis eius: Cuius? secundum Iunium, eius, quæ orat, nempe animæ vxoris*. Dormit ergo illa anima, & dum adhuc est in corpore, annuus dies dormitionis eius celebratur. Ridiculè. An non vides, Calvinista, vxorem orare pro eo, pro quo offert, eamque offerre, quæ orat? Et pro eo, pro quo orat? Offertne anima, an vxor? Offert ne anima vxoris pro se, an pro anima mariti defuncti? Rogo, vt lector ipsum Tertullianum hoc loco adeat, perpendat, & quid sibi velit, consideret, & nisi vel ex hac vna deprauatione summã huius Calvinistæ impudentiam deprehendet, nõ recusò, quo minus ego, eius

eius loco impudens censere & habere. Nimis effrænata est hæc improbitas, loca tam clara Tertulliani peruertere. Tolerãdum erat, si Tertullianum errasse vociferaretur: at quæ verba & sententiã eius totam peruertit, quis ferat? Colligat etiã hinc lector, quã verum sit, quod supra aiebat Iunius, oblationes pro defunctis fuisse *legata testamentaria*: nam Tertull. dicit hinc, vxorem annuis diebus dormitionis mariti offerre, etiã si testamentum nullum fecerit, etiam si in eum finem nihil legarit, hoc enim supponit Tertullianus, eo ipso quod oblationem illam annuam, ab vxoribus, tanquam debitum quoddam, ex ipso coniugij vinculo natum recenset. Infra itidem dissuadens digamiam seu polygamiam ex doctrina Montani, absurda quædam inde secutura adducit: Præter cætera etiam hoc: *& orabis pro maritis tuis, nouo & vetere*: Vbi Tertullianus absurdum ducit, vt quæ iam secundum maritum duxit, pro altero oret; quasi ei iam fidem fregisset, per secundum coniugium. Quod licet non ita sit ex Orthodoxa disciplina, probum tamen morem pro defunctis orandi, ex hoc loco colligimus, id quod nobis satis est, ad confutationem improbitatis Calvinisticæ. *Orabis*, inquit Tertullianus, *pro maritis*. Ex quo refellitur quoque superior eius calumnia, cum fingit, & *anima eius*, nempe vxoris, *orat*: imò pro anima eius, nempe mariti defuncti, orat: quia Tertullianus vult, vt vxor vniuersa, pro vno oret: Hinc inferius obiicit, summæ absurditatis loco; quod si vna vxor duos maritos ducat, postea pro duobus orare debeat, quod ipse putat fieri non posse sine prioris iniuria, idque, vt dictum est, ex Montani placitis. Quod autem Tertullianus dicit de vxoribus superstitibus, marito mortuo, id etiam intelligi vult de marito superstite, mortua vxore; *Vtrique, inquit, sexui loquimur; Esi ad alterum sermo est, quia vna disciplina præst.*

Tertullianus lib. de exhortatione ad castitatem, cap. II.

Et iam repete apud Deum, pro cuius spiritu postules, pro qua oblationes annuas reddas. Stabis ergo ad Deum cum tot uxoribus, quot illas oratione commemoras, & offeres pro duabus, & commemorabis illas duas per sacerdotem, &c. & ascendet sacrificium tuum libera fronte?

I V N I V S.

Repete apud Deum, pro cuius spiritu (sic enim distingo) id est, nomina uxorum tuarum ede apud Deum, viuentis & mortua, nam pro viuentis spiritu postulas, pro mortua reddis oblationes annuas: de quibus vide in lib. de corona militis, cap. 3.

REFUTATIO.

Nugæ meræ; nam Tertullianus monogamiæ propugnator & polygamiæ successiuæ oppugnator, vt à fecundo coniugio absterreat maritum, iubet, vt sibi ob oculos ponat Deum, cogitetque, si duas vxores habeat, pro cuius spiritu oret apud Deum, & pro qua annuas oblationes reddat. Et postea subdit interrogando; *cum totne uxoribus stabis ante Deum, & offeres, seu sacrificabis pro duabus: & commemorabis illas per sacerdotem de monogamia, id est, vnius vxoris virum, circumdatum virginibus ac vniuiris; & his non obstantibus, sacrificium tuum per sacerdotem oblatum, liberè ad Deum ascendet? Arbitratur enim Tertullianus admodum absurdum, vt qui iam alteram vxorem duxit, defunctæ iusta persoluat, hoc est, preces & sacrificia annua: peragenda per sacerdotem vnius vxoris virum. Sed quid noster Calvinista? Ne pro sua mortua precari cogatur aut sacrificare; pro spiritu, inquit, viuentis postulas, pro mortua reddis oblationes; & quasi iam non satis perspectum sit, quàm frivole has obla-*

oblationes explicarit in libro de corona militis, rursus nos ad illum librum remittit. Sed Tertullianus non ait; Postulas pro viuentis, & pro mortua offers annuas oblationes Iunianas & Calvinisticas: sed supponens communem Christianorum pro defunctis orandi & sacrificandi morem, ait, aliquem, qui duas vxores habeat, non posse hoc præstare: quare monet, vt Deo indicet pro cuius spiritu & anima postulet. Firma igitur & inconcussa manent, testificatione Tertulliani, Catholica dogmata de sacrificio & precibus pro defunctis; & quod hinc sequitur, de purgatorio. Etsi autem hæc pro precibus in defunctorum subsidium sufficere potuissent, proprium tamen caput hæc de re subiungere libuit, propter insigne Tertulliani de hoc dogmate testimonium.

C A P V T I V.

De precibus pro defunctis.

Tertullianus lib. de anima, cap. 51.

S*C*io feminam quandam, vernaculam Ecclesiæ, forma & ætate integra sanctam: post unicum & breue matrimonium, cum in pace dormisset, & morante adhuc sepultura, interim oratione presbyteri componeretur: ad primum habitum orationis manus à lateribus dimotas, in habitum supplicem conformasse; rursusq; condita pace situi suo reddidisse.

I V N I V S.

Componeretur ad pacem, nam eam dormisse nesciebat presbyter. Ad primum habitum orationis, id est, cum primis oratio à presbytero haberi cepta est, quasi iam animam moribunda femina actura esset, prout morientibus adhibentur consolationes & subsidia precum.

REFV-

REFUTATIO.

Fœminam istam fuisse vere mortuam, Tertullianus disertè testatur, & liquet ex ipsius ratiocinatione pro sententia, quæ vult, post mortem aliquid animæ aliquando in corpore remanere: ad hanc enim opinionem confirmandam, adducit exemplum de illa fœmina, quæ cum orante sacerdote, manus simul in orantis speciem extendit: Adducit & aliud exemplum in eundem finem: *Est & alia relatio*, inquit, *apud nostros, in cœmeterio, corpus corpori collocando spatium recessu communicasse.* Hanc tamen opinionem de reliquiis animæ in corpore residentibus, improbat Tertullianus; *Si & apud Ethnicos tale quid traditur*, inquit, *utique Deus potestatis suæ signa proponit, suis in solatium, extraneis in testimonium. Magis enim credam in testimonium ex Deo factum, quàm ex ullis animæ reliquiis, quæ si inessent, alia quoque membra mouissent: & si manus tantum, sed non in causam orationis,* Subdit. *Mors, si non semel tota est, non est, si quid anima remanserit, vita est: non magis vita miscbitur mors, quàm diei nox.* Ergo ex sententia Tertulliani, verè mortua fuerat illa mulier, & tanquam pro mortua preces fudit sacerdos, iudicio & approbatione Tertulliani; neque enim reprehendit presbyterum illum, quippe gnarus, preces ex communi Ecclesiæ consuetudine pro defunctis fieri. Sed ne tam illustri loco Calvinianus spiritus nimis perstringatur, fingit Iunius, presbyterum istum nescisse, fœminam illam fuisse mortuam: *non oraturum pro illa, si mortuam scisset.* At quomodo ignoravit presbyter, quod tota illa domus sciebat, quodque sciuit Tertullianus, qui fortè adfuit? Quomodo non sciuit mortuam, cum iam ad sepulturam efferenda esset, cum ideo sepultura differretur, ut sacerdos preces pro defuncta perficeret; cum vitæ nullum signum appareret, cum

cum nullus motus, nullus habitus: *Nam cum iam in pace dormisset*, inquit Tertullianus, tunc preces in subsidium defunctæ presbyter est exorsus. Quas preces? non illas, quæ funduntur pro animâ agentibus; sed illas, quæ funduntur pro iis, qui iam animam exhalarunt.

Errat item Iunius, cum illud, *ad primum habitum orationis*; ita explicat; *cum primum oratio haberi cepta est.* Nam habitum orationis vocat speciem, formam & cõformationem orantis, perinde ac si dixisset; quam primum sese presbyter conformavit precantis in modum: Quis autem sit iste modus & habitus, docet Tertullianus lib. de orat. cap. 11. *Nos verò non tantum attollimus (manus) sed etiam expandimus.* Et in Apol. cap. 30. *Christiani manibus expansis, &c. precantes sumus semper, &c.* Post: *Paratus est ad omne supplicium ipse habitus orantis Christiani*, hoc est, ipsa conformatio, & constitutio, & species. Eadem notione hîc Tertullianus: *Ad habitum supplicem se conformavit*, hoc est, manus sustulit & expandit. Sic & Apuleius libro de mundo: *Habitus orantium hic est, ut manibus extensis ad cælum precemur.* Ergo ad orantis presbyteri habitum seu speciem, & formam conformavit se quoque ipsa mortua fœmina: grandi miraculo, non autem quod aliquid animæ in corpore remanserit. Illud: *Rursum condita pace*, mutat Iunius in *condicta*: *nam condicere forensi verbo est συντίσσειν μετὰ παραγγελίας*, ut in Glossario legitur; *pacem enim fratribus sororibusq; decedentibus precari & denunciare verbis Domini solent Presbyteri, à se & Ecclesia in Domino.* Mirum, ni iste ex Tertulliano aut presbytero illo, de quo Tertullianus scribit, efficiat Ministrum Calvinianum, aut Prædicantem Lutheranum: adeo Calvinianè & Lutheranè Tertulliani verba interpretatur. Sed non placent Critici, qui loca sana sanare volunt, & emendant

non mēda, vt iste hīc; nam *condita pace*, nihil aliud est; quā *absolutis finitūq. precibus*, quas sacerdos, vt mulieri mortuæ pacem à Deo impetraret, fuderat. Abi igitur Iuni, cum tua pacis precatione & denunciatione Calviniana; à Ministris & Ecclesia Calviniana decedentibus denunciari consueta: Nihil simile hoc loco. Quia Calvinismus nondum exstiterat.

C A P V T V.

De Eucharistia.



ARTIS locis meminit Tertullianus Eucharistię; de quibus Iunius in Indice v. Eucharistia; panis, inquit, corpus Christi, citatq; pag. 103. 8. & 121. 43. & 124. 7. & seq. & 151. 36. & 356. 49. & 541. 9. Quæ omnes citationes Calvinianæ sunt & fraudem continent; quasi Eucharistia, nihil sit aliud, quā panis, ex sententia Tertulliani. Primus locus est ex lib. aduersus Iudæos, cap. 10. vbi quo sensu Tertullianus corpus Christi panem vocet, explicat Bellarminus lib. 2. de Eucharist. cap. 7. Alter locus est ex cap. 6. libro de oratione; vbi exponens illam petitionem: panē nostrum quotidianum da nobis hodie; ait. *Et corpus eius in pane censetur: Hoc est corpus meum*: siue per illam petitionem peti etiam à fidelibus Eucharistiam; quæ panis dicitur; quia panis speciem & accidentia habet: non quod panis sit secundum substantiam: vel vt panis nomen ad ipsum corpus Christi accommodemus, corpus Christi vocat panem: quia est sub accidentibus panis; quia successit pani sub iisdem speciebus: & quia successit sub vna communi ratione, eaque generali substantiæ. Tertius locus est ex cap. 14. lib. de oratione: vbi panis vocabulū nusquam

nusquam apparet: sed *Eucharistia; corpus Domini; Sacrificium; ara Dei*. Quartus locus est ex libro de Idololatria cap. 7. At panem ibi nec video, nec audio; sed corpus Christi; idque ea orationis vi; vt nisi Tertullianus credidisset Christum realiter & substantialiter sub speciebus Eucharisticis præsentem esse; nunquam scripturus fuisset, manus illas esse præcidendas; quas quis post idoli effectiōnem & fabricationem, corpori Dominico admo- uisset. Quid enim adeo nefarij piaculi admitteret; qui iisdem manibus; quibus idolum fabricasset; panem Calvinianum tangeret & acciperet? Cur quæso, Iudæorum instar, manus Christo intulisse, & corpus eius lacessuisse censeretur? quod tamen Tertullianus sibi persuadet; non itidem Calviniani; quia statuariis & pictoribus Calvinianis, qui nobis imagines; hoc est, vt Calviniani putant; idola sculpunt, & pingunt; non putant amputandas esse manus; licet panem Calvinianū tangerent iisdem videlicet manibus; quibus imaginem; hoc est, Calvinistarum iudicio, idolum fabricarunt. Quintus locus est ex lib. 5. carminum contra Marcionem cap. 8. vbi Tertull. *Acceptum panem pariter, vitūq. liquorē, corpus, ait sanguisq. meus, qui funditur, hic est, pro vobis*: Sed corpus & sanguinē Christi vocat panem & vinum; quia sub panis corpus, & sub vini speciebus sanguis Christi continetur. Pergit in Indice Iunius. Eucharistia representat corpus Christi. 356. 49. Est figura corporis. 396. 27. & 449. 11. & sequēt. Prior locus est ex lib. 1. contra Marcionem, cap. 14. vbi de Marcione: Nec panē (reprobauit) quo ipsum corpus suum (Christus) representat. Hæretici volunt Christum in Eucharistia corpus suum & sanguinem non aliter representare, quā in nudo signo vel imagine, eo modo, quo in imagine Cæsaris, representatur Cæsar. Sed hæreticē

ticè. nam repræſentare, eſt itidem aliquid rei ipſa præſens ſiſtere: etiam apud benè latinòs Auctores. Hinc certa die repræſentare pecuniam. Et hac ſecunda notione uſurpat Tertullianus repræſentandi uocem; ut fuſius docet Bellarminus lib. 2. de Euchar. cap. 7. Poſterior locus eſt ex lib. 4. contra Marcionem cap. 40. *Acceptum panem, inquit, & diſtributum diſcipulis, corpus ſuum illum fecit, hoc eſt corpus meum dicendo, id eſt, figura corporis mei.* De quo copioſè Bellarm. loco cit.

Tertullianus lib. 2. ad uxorem, cap. 4.

Quis in carcerem ad oſculanda uincula Martyris reptare patietur? Tam uerò alicui fratrum ad oſculum cōuenire? aquam Sanctorum pedibus offerre? de cibo, de poculo inuadere, deſiderare, in mente habere?

I V N I V S.

Lego; deſideras in mente habere? id eſt, quis Ethnicus ferat uxorem Chriſtianam, quaſi abiecta cogitatione & cura humanarum rerum, totam in eo eſſe animo & cogitatione ſua, ut obeat ac præſtet deſideras, id eſt, pia omnia illa Sanctorum miniſteria atq; officia, quæ olim à deſidendo aſiduè deſidera uocabantur. Gloſſarium; Deſidera, λειψυρία, πλεον. Atq; hinc illud eſt paulò poſt cap. 6. de cuius manu deſiderabis?

R E F U T A T I O.

Quomodo prior ille Tertulliani locus ſit accipiendus; ſatis clarè indicat hic poſterior, De cuius manu deſiderabit? Deſiderare uidelicet non eſt in animo *deſideras* uoluerè; ſed eſt Euchariftiã appetere: De cuius manu, inquit, deſiderabit? Euchariftiam, nimirum, non fictitiã illam *deſideram*, quis enim unquam audiuit, ab ullo veterum Patrum Euchariftiam uocari *deſideram*? Ut autem non niſi de manu præſidentium, hoc eſt, Episcoporum & presby-

& Presbyterorum Euchariftiam ſumebant, quod ipſemet teſtatur libro de corona Militis: ita non deſiderabant, niſi de manu eorundem. Vana igitur eſt Iunij correctio. vana & illa explicatio. Deſiderabit, id eſt, deſideram obſeruabit; ſacrum panem Chriſti perceptura. Non hæc mens Tertulliani; ſed iſta; de cuius manu deſiderabit Euchariftiam: de cuius poculo participabit? Nam quod hîc deſiderare, non ſit pia Sanctorum officia atque miniſteria in mente habere; inde liquet; non enim agit Tertullianus de fœmina quaſi alteri aliquid exhibitura & præſtitura; cuiuſmodi ſunt deſidera ſecundum Iunium: ſed de fœmina aliquid ab alio acceptura; & ne & hîc Iunius deſideras comminiſcatur; ſatis ſequentibus uerbis indicat ſe de Euchariftia loqui; cùm & cœnã Dei nominet. Omitto dicere; quod ut Iunius ait, deſidera ſit à deſidendo aſiduè. Ergo deſiderare, non eſt per deſideras exponendū. Et ſicut cap. 6. illud deſiderabit non mutari poteſt in deſideras; ita nec cap. 4. deſiderate in deſideras transformandum eſt.

Tertull. lib. 2. ad uxorem, cap. 5.

Non ſciat maritus, quid ſecretò ante omnem cibum guſtes? Et ſi ſciuerit, panem; non illum credit eſſe, qui dicitur.

I V N I V S.

Nempe, quia tum fermè antelucanis temporibus ſacri conuentus habebantur: ſeruentibus Gentilium perſecutionibus: & cœna Domini adminiſtrabatur.

R E F U T A T I O.

Non fermè; ſed planè antelucanis temporibus Euchariftia ſumebatur; ut ex libro de corona Militis perſpicuum. Neq; hîc de hac Euchariftiã perceptione ſermo; ſed de priuata; quæ & ipſa matutino tempore reliquos cibos præibat. Euchariftiam enim à ſacerdote acceptam,

domum ferebant; & referuabant, vt pro opportunitate sumerent; Testis Tertullianus ad finem libri de oratione, vbi hæc: *Accepto corpore Domini & referuato, vtrumq. saluū est.* Addit Iunius: *Pōst lege. Et si sciuerit panem, non illum credit esse, qui dicitur? ἐγοῦρητικὸς, nempe infamatum panem, vt cap. precedente dictum; Et exponitur amplius Apolog. cap. 6. & 7.* Nil opus interrogatione. Nam sine hac constat orthodoxus sensus, etsi non Caluianus. Ait enim Tertullianus, maritum si sciat, vxorem ante reliquos cibos panem gustare; non habiturum illum panem pro pane Eucharistico, hoc est, pro corpore Christi, sed pro pane cōmuni & vulgari. Vide Bell. lib. 2. de Eucharistia, cap. 8. Sed Iunius, vt Caluinista; quod de pane dicitur, ad infamationem refert; ne Tertullianus dicere videatur panem Eucharisticum esse aliquid supra panem vsitatum; Et super fidem mariti infidelis. Quod si panis ille, quem vxor ante reliquos cibos gustabat, communis duntaxat panis erat: causæ nihil video; cur vxor adeò secreto panem illū manducare debuerit: Quid enim obstat, quo minus quis Caluianum panem publicè coram Ethnico comedat, cū nihil sit nisi panis?

CAPVT VI.
De Oleo benedicto.

Tertullianus in Scorpiaco, cap. 1.

NON EST fides prasidium, si non & ipsa percutitur diffidentia signandi statim, & adiurandi, & vngendi bestia calcem.

Egimus de hoc loco cap. 1. occasione signaculi Crucis, cuius hīc cum adiuratione & vnctione meminit; quæ tria

tria sunt remedia aduersus scorpionum ictus. Itaq; de signando hīc nihil, quia satis suprā. De adiurādo & vngendo dicendum.

I V N I V S.

Latinus. *Es vngendi bestia calcem. Non placet. Nam quid calx bestia? Quid vngere calcem sine illius, siue illi? Lego, & vngendi bestia calcem. Sensus est in obscuro latens. Nobis, inquit, fides prasidium est, quam confidimus nos bestiam signaturos, ne dimoueat se; & adiuratos, vt succum, & ius ipsius expressum adhibeamus, & vncturos calcem, quam admorderit; bestia, id est, iure & sanie bestie. Hoc autem impedit diffidentia signandi, & adiurandi & vngendi, hoc est, si is, quem perit scorpium, diffidat rem ita se habere. Adiurare, τὸ χρῆσθαι ἢ χρῆσθαι, in ius & succum cogere, atq; id exprimere: à iure, quod est ζωμὸς, χυμὸς, licenter dicit; veruntamen eleganter.*

REFVTATIO.

Nescio profecto quid imperitius hac nota fingi possit, aut quid malignius; si fortè nō ab imperitia, sed à malitia & à Catholicæ religionis odio processit. Tertullianus, vt suprā dicebam, tria Christianorum propria remedia ex fide manantia contra ictus scorpis commemorat: primum crucis signaculum: secundum, adiurationem; tertium, vnctionem. Ille omnia, nescio num data opera, peruertit. Primum Latinij lectionem refert, pro vngendi, vngendi restituentis; eamque refutat, & rectè, quia inepta est, & Tertulliano aduersa. Num meliorem ipse Iunius sufficit? Retinet quidem vngendi vocabulum, sed ex bestia calcem, facit; bestia calcem, vt mox secuturæ fraudis fundamentum iaciat, quasi Tertullianus velit, ipso bestie, hoc est, scorpis succo, calcem admorsam & ictam vngendam esse. At non est opus vlla mutatione; sed legendum, vt editiones omnes habent: *Vngendi bestie calcem.* Sed quid calx bestie? Adferam duas expositiones; vt lector eligat eam, quæ magis arriserit. I. Bestie calx, est

est calx à bestia icta & sauciata. Dicitur *calx bestie*, non quod sit scorpionis, sed quia à scorpione, aculeo suo, tacta, & veneno infecta est: sicut vulnus bestie, teli, gladii vulgò dici solet illud, quod homini à bestia, telo, gladio est inflictum. Nominat Tertullianus calcem, non quod ea sola aut possit aut soleat à scorpione sauciari, sed quia ad morsum magis exposita est, dum videlicet facile fit, ut euntis calx à scorpione humi repente feriat. Et quod de ratione calcis sanandæ tradit, si à scorpione vulneretur; id de omni alia corporis parte sauciata intellectum cupit. Etsi autem inauditum videtur, ut manus aut pes læsus à bestia, dicatur manus aut pes bestie; quæ loquendi ratio admittenda videtur, si calx bestie admittatur, & prædicto modo explicetur; non mirabitur tamen, qui perpenderit, quàm multa sibi in loquendo Tertullianus permiserit. II. Calx bestie, est percussio, ictus, & morsus bestie. Notant enim non pauci ex Terentij Phormione, calcem non tantum accipi pro certa parte pedis, sed & pro percussione, ictu & plaga calcis, nimirum per metonymiam, qua effectus sæpè pro causa, & causa pro effectu ponitur. Erit igitur calx bestie ictus, seu vulnus, seu plaga à calce, hoc est, cauda scorpionis inflicta. Ergo tria, inquit, habemus aduersus ictus huius venenatissimæ bestie remedia. Signaculum Crucis, adiurationem & vntionem; non enim soli fidei adseribit ista tria remedia; sed fidei adhibenti signum Crucis; fidei adhibenti adiurationem; fidei adhibenti vntionem. Itaque falsa est & illa Iunii adnotatio: *Nobis Christianis fides presidium* *πρὸς Φυλακτικόν*, non enim loquitur Tertullianus de sola fide, sed de fide operante per Crucis signaculum: (repetendum enim est) per adiurationem, & per vntionem. Secundò, Tertullianus non loquitur de remediis, ut vocant, *preservatiuis*, sed docet, quid

quid Christiani agant tunc, cum à scorpione sunt percussi. Tunc, inquit, *signant, adiurant, & vngunt bestie calcem seu morsum*. Quod autem præscribat, quid faciendum, cum quis à scorpione ictus est, indicant hæc verba; quæ proximè subiiciuntur. *Hoc denique modo sæpè etiam Ethnicis subuenimus, donati à Deo ea potestate, quam Apostolus dedit cum morsum viperæ spreuit*. Vbi significat Tertullianus, Christianos non tantum ictibus scorpionum, signando, adiurando & vngendo medicinam sibi & aliis, sed & ipsis Ethnicis facere. Non ergo loquitur de medicamento, quod præseruet ab ictibus, sed de illo quod ictum iam sanat; omnemque molestiam depellat. At propius ad Iunium accedamus. *Nobis*, inquit, *fides presidium est*; Cur omittis, quæ Tertullianus addit: *signando, adiurando, vngendo*; non fides sola & nuda, sed per hæc tria instrumenta. Et quidem non *diffidens fides*, ut ait Tertullianus, nam si sit fides diffidens, vacillans & titubans, fieri posset, ut instrumenta adhibita nihil operarentur. Diximus enim libro quarto de sancta Cruce inter cæteras causas, cur signum Crucis aliquando nihil operetur esse etiam hanc, quod fides sit nimis modica, ita ut signati dici queat illud: *modicæ fidei, quare dubitasti?* *Nobis*, inquit Iunius, *fides presidium est, qua confidimus nos bestiam signaturos, ne dimoueat se*. At dic, quæso, quo signo confidebant se signaturos bestiam ne se dimoueret? Nondum enim quæro, quam rectè hunc locum explices. Signare est aliquo signo uti, signatio signum postulat. Dic ergo si signabant bestiam, ne se dimoueret, quo signo utebantur? Cur non nominas? Quia signare sine signo, ex eorum numero est, quæ fieri nequeunt. Sed horres nominare. Crux est. Nihili nomen Demoni & Calvinistis, cui lumbos defractus velint. Crux est, mi Iuni, qua signabant, non bestiam, ne se mo-
u
ueret,

ueret, sed *bestia calcem*, hoc est, morsum & vulnus. Cur adeo à Crucis virtute abhorres?

Quod iam antea dicebam, hoc itero: si tibi in Tertulliano hæc & id genus alia displicebant, poterat te recipere ad idem perfugium, quo Magdeburgenses se recipiunt in similibus angustiis; poterat dicere, Tertullianum errasse, aut ex Montani schola hoc hausisse. Modestior visus fuisset, quàm improbior. Nunc cum incertissimè & insulssimè verba Tertulliani peruertas, vt impia tua dogmata stabilias, satis ipse vides, quid de te lector sentire debeat. Quale enim illud est, cum *adiurationem & vntionem* siue *adiurare & vngere* confundis, cumque illud *adiurare* à iure siue succo deducis? quasi *adiurare* sit succo & oleo scorpionis vulnus perungere: *Licenter*, inquis, *deduxit hoc vocabulum à iure, sed eleganter*. Quis mortalium vnquã audiuit, *adiurare* idem esse, quod *iure* seu *succo* perfundere? Fortè idem sensus eidem vocabulo subiicitur in Apologetico vbi Tertullianus. *Dæmones, id est, genios adiurare consueuimus*. Hoc est, si Iunium audimus; *iure & succo perfundimus*. Quod si hoc loco *adiurare* idem est, quod *ἐξορκίζειν*, utiq; & in dicto Scorpiaci loco idem erit quod *ἐξορκίζειν*, quod Ecclesiastici scriptores, & ipse Tertullianus libro de Idololatria vocant *exorcizare*. Vt enim dæmones adiurabantur, & exorcismis ex corporibus obsessis expellebantur, vnde & *exorcista*, quasi dicas *adiuratoris* nomen: ita veteres Christiani etiam adiurabant morbos & morsus seu vulnera, non quidem imperando, vt fieri solet cum dæmonibus, sed deprecando, adhibitis precibus, quibus Deum orabant, vt cladem illam benignè à corpore auerteret. Quo modo autem ea, quæ ratione carent, adiurari queant, docet sanctus Thomas 22. q. 90. artic. 3. Et ad hunc modum adiurandi, & tam dæmones quàm

quàm morbos profligandi respexit Vlpianus L. Præses. ff. de variis & extraordinariis cognitionibus, vbi ait, *Medicis etiam præter ordinem esse ius dicendum*: additque, *Medicorum nomine illos quoque intelligi, qui alicuius partem corporis, vel certi doloris sanitatem pollicentur, ut pote si auricularum, si fistula vel dentium: non tamen si incantauit, si imprecatus est, si, ut vulgari verbo impostorū utar, exorcizauit, non sunt ista medicina genera: tametsi sint, qui hos sibi profuisse cum prædicatione adfirmant*. Quibus verbis notat Christianos, inimicus Christiani nominis, non ignarus, eos, vt Dæmones, ita & morbos *exorcizādo* seu *adiurando* pelere solitos; Nam verbum *exorcizandi* à nullis nisi à Christianis hac notione vsurpabatur. Denique nisi Iunius veritatis odio cæcutiret, explicationis suæ vanitatem & absurditatem facilè animaduertisset: nam succo seu oleo scorpionis morsum scorpionis inungere, naturale est remedium. At Tertullianus non loquitur hîc de remediis naturalibus (de his enim prius egerat verbis illis, *In remediis naturalia plurimum, aliquid & magia circumligat, medicina cum ferro & poculo occurrit*) sed loquitur de remediis, quæ fides subministrat; de remediis diuinis & supernaturalibus. Et hæc ait esse signaculum sanctæ Crucis, Exorcismum seu adiurationem, & vntionem per oleum sacrum: nam oleo benedicto veteres Christianos crebrò sanasse ægros: paulò post ex Tertulliano demonstrabimus. Quod si quis Tertulliani verba, de quibus disputamus, referre velit ad remedia *προφυλακτικά* & præseruatiua, id etiam facere licebit; Et si minus aptè: nam signum Crucis, & adiuratio scorpionis, quando periculum imminet; ne vulnus infligat, iuuant etiam ad scorpionis ictum vitandum, vt & bestia calcem inungere oleo sacro; scorpionis inquam caudam: nec mirabitur caudam scorpionis à Tertulliano dici calcem,

qui perpenderit, quā mirus sit in vocabulorum vsu Tertullianus. Sed hanc explicationem minus probo propter causam iam dictam.

Tertull. lib. ad Scapulam, cap. 4.

Ipsē etiam Seuerus, Antonini pater, Christianorum memor fuit. Nam & Proculum Christianum, qui Torpacion cognominabatur, Euhodæe procuratorem, qui eum per oleum aliquando curauerat, requisit, & in palatio suo habuit vsque ad mortem eius.

I V N I V S.

Qui eum per oleum aliquando curauerat, id est, adhibito oleo (quod signum prisce Ecclesie datum) aut curauerat ipse, aut ut curatur, per alium operam dederat. De illis autem miraculosis & extraordinariis in primitiua Ecclesia per oleum curationibus dixit Christus Marci 6. & Iacobus 5.

R E F V T A T I O.

Malè supponit Iunius de eadem vnctione sermonem esse Marci 6. & Iacobi 5. secus enim est, vt ostēdit Bellarminus libro de extrema vnctione capite secundo. Quod si, vt quibusdam placet, de eadem vnctione vtrobique sermo est, tum Iunius, malè extraordinariam, & ad solam primitiuam Ecclesiam pertinentem vocat: nam vnctio sacramentalis, de qua Iacobus, ex Catholicorum omnium sentētia, & de qua Dominus apud sanctum Marcum, quorundam orthodoxorum iudicio; non est extraordinaria, sed ordinaria, omnique tempore in Ecclesia durans. Sed de his iā non est amplior dicendi locus. Consultatur Bellarminus. Deinde verū non est, illam vnctionem per oleum morbis curādis adhibitam, qualiscunq; demū fuerit, fuisse extraordinariam, & solius primitiue Ecclesie: nā Proculus iste non fuit in primitiua Ecclesia,

hoc

hoc enim nomine solemus eam intelligere, quæ viuētib; adhuc Apostolis erat. Proculus enim sub Seuero vixit, non paucis videlicet annis post Apostolos. Secundò, omni ætate cūm per oleum, tum per alia, signo Crucis, aut precibus benedicta & consecrata morbi depulsi, & alia mira patrata sunt, quod percurrendo singula secula ad hæc vsque tempora nostrain promptu esset ostendere; si id nunc ageremus. Multa huius generis exempla occurrunt apud Theodoretum in historia religiosa. Plurima passim in Sanctorum vitis. Nonnulla nos etiam recensuimus lib. 4. de S. Cruce, cap. 33. Non igitur solius primitiue Ecclesie propria est hæc curādi ratio, sed semper vsitata fuit in Ecclesia, licet Catholica; non Caluiniana.

Tertullianus lib. de Baptismo, cap. 7.

Exinde egressi de lauacro perungimur benedicta vnctione de pristina disciplina: qua vngi oleo de cornu in sacerdotium solebant, Ex quo Aaron à Moyse vnctus est; unde Christus dicitur à Chrismate, quod est vnctio, que Domino nomen accomodauit: facta spiritalis, quia spiritu vnctus est à Deo Patre; sicut in actis. Collecti sunt enim verè in ista ciuitate aduersus sanctum filium tuum, quem vnxi. Sic & in nobis carnaliter currit vnctio, sed spiritualiter proficit: quomodo & ipsius baptismi carnalis actus, quod in aquam mergimur, spiritalis effectus, quod delictis liberamur.

I V N I V S.

De pristina disciplina, id est, veteris testamenti.

R E F V T A T I O.

Inuoluit Calvinista illustrem Ecclesie Catholice morem, qui est, baptizatos, statim à Baptismo, Chrismate inungere, seu oleo consecrato, hoc est enim illud; vn-

4. 3

ctione

ctione benedicta, & quidem in vertice, cuius moris testes sunt Damasus in vita S. Syluestri. Innocentius I. epist. 1. cap. 3. Ambrosius lib. 3. de Sacramentis, cap. 1. & Hieronymus in dialogo contra Luciferianos, nisi quis & hunc & alios, quos iam subiungemus, locos, cum Bellarmino lib. de Confirmatione, cap. 6. referre velit ad Sacramentū Chrismatis seu Confirmationis: Et tum multò minus ad gustum Calvinistarum facient. Ita autem accipiendum hunc & similes locos, suadent proximè subsequētia verba: *Dehinc manus imponitur per benedictionem aduocans & inuitans Spiritum sanctum*; & alia omnia, quæ usque ad finem capitis illius leguntur: neque enim baptizatis statim à Baptismo imponebantur manus, nisi Sacramenti Confirmationis impertiendi causa. Videtur autem hæc impositio manuum facta in speciem crucis: Id enim indicant hæc Tertulliani verba: *Sed est hoc quoque (impositio manuum) de veteri sacramento, quo nepotes suos ex Ioseph, Ephraim & Manassem, Iacob, capitibus impositis & intermutatis manibus, benedixerit, & quidem ita transuersim obliquatis, ut Christum deformantes iam tunc portenderēt benedictionem in Christum futuram.* At quod Tertullianus ait, morem hunc unctionis, esse ex veteri testamēto, minimè vult, eum ritum esse nobis cum Iudæis communem; sed ritum illum veterem, quo vngebantur in sacerdotium, fuisse figuram & imaginē huius nostræ sacramentalis unctionis, qua, vt & unctione, quæ in Baptismo adhibetur, efficiamur *gens sancta, populus acquisitionis, regale sacerdotium.*

Tertullianus lib. de Resurrectione carnis, cap. 8.

Sed & caro abluatur, vt anima emaculetur; caro ungitur.

vt anima consecratur. Idem libro primo contra Marcionem, cap. 14. *Sed ille quidem vsque nunc nec aquam reprobat Creatoris, qua suos abluit: nec oleum quo suos ungit.*

I V N I V S.

Caro abluatur. Nimirum baptismo Christi, cui olim adiuncta sunt unctio & signaculum & manu impositio; vt lib. de Baptismo, cap. 6. 7. & 8. exponit auctor.

R E F U T A T I O.

Omnia inuolutè. Cur non exponis, qualis hæc unctio fuerit; & quale signaculum, qualis manuum impositio? *Olim*, inquis, *adiuncta sunt*: imò & hodie adiunguntur, sed in Catholica Ecclesia, non in Hæretica synagoga. Quærere tamen ex te lubet, vtrum ea Ecclesia, in qua olim isti ritus vsurpabantur, fuerit Catholica, nam si Catholica fuit, vt sanè fuit, minimè possunt ritus isti censeri inanes & superstitiosi; eaque de causa repudiandi. Cum ergo à vobis vt superstitionis pleni reiiciantur, promptum est non cæco perspicere, vos à vetustissimo Orthodoxæ Ecclesiæ consuetudine descivisse. Ad Sacramentum Confirmationis pertinet etiam ille locus libro de præscript. cap. 40. vbi de Diabolo res diuinas imitante, in sacris Mithræ, ita scribit: *Tingit & ipse quosdam; signat illic in frontibus milites suos.*

C A P V T VII.

De Exorcismo.

Tertullianus lib. de spectaculis, cap. 26.

EXEMPLVM accidit, Domino teste, eius mulieris, quæ theatrum adiit, & inde cū demonio rediit. Itaque in exorcismo cū oneraretur immundus spiritus, quod ausus esset fidelem aggredi: constanter & iussimè quidem, inquit, feci, in meo cam inueni.

In Exorcismo: nam prisca illis temporibus exorcismus seruabatur, cum adhuc superesset in Ecclesia Dei miraculorum fides, ut manifestò narratur cap. 23. Apologetici. Atque huius rei Tertullianus tam hyperbolicus admirator fuit, ut eo nomine ad Montani partes transuerit.

REFUTATIO.

Non modò prisca illis temporibus exorcismus seruatus est: sed & hodie seruatur, semperque seruatus fuit in Ecclesia Catholica, à tempore, vel potius ante tempora Tertulliani, ad hunc vsque diem. Testantur id cum alia innumera testimonia, tum ordo Exorcistarum, nec extincta est miraculorum fides in Ecclesia Dei, licet extincta, imò nunquam accensa sit in synagoga Caluini. Mirum tamen, cum adeo fidem instaurarint & repararint Calvinistæ, eos de renouanda miraculorum fide adeo nihil cogitasse, ut ne leuissimum quidem alicuius miraculi vestigium apud Hæreticos appareat: & tamen gloriantur se imitari Apostolos & Apostolicos viros, qui, ut ait Tertullianus, *de mortuis viuos faciebant: ipsi verò de viuis mortuos faciunt. Exorcismorum*, inquis, *Tertullianus hyperbolicus admirator fuit. At tu mihi hyperbolicus calumniator videris. Quomodo enim Tertullianus vim exorcismorum summoperè admiratus non fuisset, si vera sunt, ut certè sunt; quæ de eorum vi & efficacia scribit in Apologetico, cap. 23. 37. & 43. Quod verò ais, eum, nimia exorcismorum admiratione transiisse ad partes Montani: quo vel in specie probabili argumento id probas? Nec alia ad te redarguendū ratione vtar, quàm tua ipsius auctoritate: qui in Tertulliani vita, longè aliam huius defectiois causam adfers; partim cum illa, quam S. Hieronymus adducit; conuenientem; partim ab illa discrepantem. Nam nimia exorcismorum admiratione, non potuit*

Tertullian. de præscript. c. 30.

potuit nomen suum in disciplinam Montani dare: quia nusquam magis; imò simpliciter nusquã (ut & hoc tempore) vis & efficacia exorcismorum vigeat, quàm in Ecclesia Dei: nam cum Hæretici dæmones expellere nituntur, idem audiunt, quod olim audierunt filij Sceuæ Iudæi. *IESUS MNUI, & Paulum scio, vos autem qui estis? Actor. 19.* Nosti quid post hæc euenerit.

Tertullianus lib. de corona militis.

Et excubabit pro templis, quibus renunciauit, & canabit illic, ubi Apostolo non placet? Et quos interdum exorcismis fugauit, noctibus defensabit?

I V N I V S.

Putà Dæmonas, quos pijs religiosis precibus resistentes, & obsecrationibus nominis diuini in fugam vertunt; exhortatione, 1. Petri. 2.

REFUTATIO.

Aliud sunt exorcismi, quibus fugantur & ex energumenis exterminantur dæmones: aliud preces, quibus fideles solent, instar leonis rugientis circumeuntium incursus cohibere. De prioribus loquitur Tertullianus: non de his posterioribus, de quibus est B. Petri exhortatio, nam dæmoni resistendum est fortiter in fide, licet corpus non obsideat, ut in energumenis fieri videmus. Tertullianus ergo dissuadens Christiano ne militet, enumerat militia illius incommoda: & inter cætera etiam hoc, quod noctu templū dæmonū debeat custodire, quos interdum *exorcismis* de obsessis fugarit; nam eo tempore, non modò exorcistæ, sed & quibus fideles ea potestate valebant, ut dæmones de corporibus obsessis eicerent; ut ex Tertulliano cap. 23. Apolog. liquet: vbi maxima fiducia ad minimum quoque Christianum Ethnicos producat, ut periculum faciant, annon ea vi polleat, ut quos ipsi Deos arbitrantur, ipse tanquam Cacedæmones ex-

terminet & profliget. De qua potestate idem lib. de anima cap. 57. *Ratio fallacia (Magicæ) solos non fugit Christianos, qui spiritualia nequitia, non quidem sociâ conscientia, sed inimica scientia nouimus, nec inuitatoria operatione, sed expugnatoria dominatione tractamus multiformem lucem mentis humanae.* Infrâ: *Hanc quoque fallaciam spiritus nequam, sub personis defunctorum delitescens, nisi fallor, etiam rebus probamus, cum in exorcismis interdum aliquem se ex parentibus hominem sui affirmat.* Et lib. de Idololatria cap. 11. *Qua constantia exorcizabit (thurarius, seu qui thura idolo vendit) alumnos suos (dæmonas) quibus domum suam cellariam præstat?*

C A P V T VIII.

De Inferis.

Tertullianus lib. de Idololatria, cap. 13

Sic & Lazarus apud inferos in sinu Abrahe refrigeriū consecutus: contra diues in tormento ignis constitutus, alternas malorum & bonorum vices, amula retributione, compensat.

I V N I V S.

Observandum quod ait apud inferos, etiam de Lazaro: Nam inferos Latini Patres, & Græci ἄδης, pro omni loco aut statu mortuorum dixerunt promiscuè: atque in hunc sensum Lazarus & diues apud inferos collocantur. Quomodo Irenæus lib. 5. aduersus Hæreses cap. vlt. & Chrysostomus Homil. de diuinitate, locuti sunt ex verbis Luca 16. & Tertullianus locis quam plurimis.

R E F U T A T I O.

Ergo et Inferi etiam cælum significant, nam & cælum locus est eorum, qui ex hac vita excesserunt, nisi forte Cal-

tè Calviniani cælum nullum credunt & sperant: ergo ascendere ad cælos, & descendere ad inferos, synonyma erunt? nam licet inferi latius pateant, quàm cælum, cælum tamen in inferis numerabitur, hoc ipso quod inferi, quemcunque mortuorum locū, aut statum designant, ut ait iste Calvinista. Verum, ut de aliis Patribus taceamus, de quæ solo Tertulliano loquamur, inferos significare, omnem mortuorum statum, tam ab illo alienum est, quàm quod maximè: omittam alia, solis testimoniis ex libro de anima utar. *Nobis inferi, inquit, cap. 55. non nuda cauitas, nec subdiualis aliqua mundi sentina creduntur, sed in fossa terra & alto vastitas, & in ipsis visceribus eius abstrusa profunditas: siquidem Christum in corde terra triduum mortis legitur expunctum, id est, in recessu intimo, & interno, & in ipsa terra aperto, & intra ipsam cauito, & inferioribus adhuc abyssis superstructo. Quod si Christus Deus, quia & homo, mortuus secundum scripturas: & sepultus secundum easdem, hic quoque legi satisfecit, forma humana mortis apud inferos functus, nec ante ascendit in sublimiora cælorum, quàm descendit in inferiora terrarum, ut illic Patriarchas & Prophetas compotes sui faceret: habes & regionem inferum subterraneam credere, & cubito illos pellere, qui satis superbe, non putent, animas fidelium inferis dignas: serui super dominum, & discipuli super magistrum, aspernati, si forte in Abrahe sinu, expectande resurrectionis solatium carpere. Hæc Tertullianus: quid clarius, quàm illius sententia, inferos non quemuis mortuorum locum denotare, sed tantummodo subterraneum? Idem cap. 58. postquam probasset omnium animas ad inferos migrare (putabat enim cælum, ut ante ascensionem Domini, ita & iam vsque ad resurrectionem communem omnium hominum clausum esse: Cum transactione enim mundi reserabuntur, inquit, regna cælorum) obiicit ipse sibi: Om-*

nes ergo anime penes inferos, inquis. Respōdet: *Velis ac nolīs, & supplicia iam illic & refrigeria: habes pauperem & diuitem.* Verūm hæc Calvinistis multas ob causas non probātur. I. Quia non credunt descensum Christi ad inferos, hoc est, ad loca quædam subterranea, quem disertis verbis adstruit Tertullianus. II. Quia negant, piorum animas apud inferos detentas esse vsque ad resurrectionem Domini, & ad ipsum cœlum cum Christo ascendente ascendisse: At prius illud manifestè asserit Tertullianus; Etsi ipse per errorem, animas piorum necdum ex illo subterraneo ergastulo ad cœlumeductas existimat, educendas primū, vbi corpora resumpserint; nisi quod Martyrum animas excipere videtur. III. Quia Purgatoriū inficiantur, quod Tertullianus sub finē lib. de anima nō obscurè insinuat his verbis: *In summa cūm carcerem illum, quod Euangelium demonstrat, inferos intelligimus, & nouissimum quadrantem, modicum quoque delictum, mora resurrectionis illuc luendum interpretemur.* Etsi Tertullianus aliquid de suo admiscet, quasi tota illa pœna, etiam modica delicta expiandi, consistat in sola dilatione resurrectionis. Ireneus lib. 5. cap. 25. & Chrysostomus tantum fauent Iunio, quantum Tertullianus; cuius rei iudicem ipsum lectorem constituo.

CAPVT IX.

De Ecclesia Romana & summo Pontifice.

Tertullianus lib. de præscriptione, cap. 36.



GE iam, qui voles curiositatem melius exercere in negotio salutis tue, percurre Ecclesias Apostolicas, apud quas ipsa adhuc cathedra Apostolorum suis locis præsentur, apud quas ipsa authentica literæ eorum

eorum recitantur, sonantes vocem & representantes faciem vniuscuiusque. Proximè est tibi Achaia; habes Corinthum. Si non longè es à Macedonia; habes Philippos, habes Thessalonicenses. Si potes in Asiam tendere, habes Ephesum; si autem Italiae adiaces, habes Romam, unde nobis quoque auctoritas præsto est. Statu felix Ecclesia, cui totam doctrinam Apostolicam sanguine suo profuderunt. Vbi Petrus passioni Dominicæ adæquatur, vbi Paulus Ioannis exitu coronatur, vbi Apostolus Ioannes, posteaquam in oleum igneum demersus, nihil passus est, in insulam relegatur.

IVNIUS.

Lego ex 1. editione Rhenani. Vnde nobis quoque auctoritas præsto est statuta, Felix Ecclesia. Sensus est, ex qua Ecclesia nobis Christianis statuta quoque, ut ex aliis illis prædictis, consimilibusq; auctoritas x̄i & x̄i s̄i Caius, & præsto est illa cathedra. Illa autem felix Ecclesia, de Christiana vniuersè pronuntiatur; at nō de Romana solum, ut manifestò probatur ex eo, quod ibi Apostolum Ioannem in oleum igneum, id est, ardens fuisse demersum narrat. Et in indice V. Ecclesia idem Iunius: Vnde, id est, à quibus Ecclesiis nobis auctoritas præsto erat olim.

REFVTATIO.

Primum nihil opus lectione illa primæ editionis, cū ab ipso Rhenano posterioribus editionibus mutata fuerit; eamque, quam nos sequimur, cum Pamelio & aliis, auctoritate eod. Vatic. defendere queamus. Secundò, illud vnde ad solam Ecclesiam Romanam, non autem ad alias, quas commemorarat referendum, atque adeo interpretandum, à qua, non, à quibus, perspicuè monstrant sequentia verba, numero singulari prolata, *statu felix Ecclesia*, nam ab ea auctoritatem præsto esse ait, quæ est statu felix Ecclesia; at hæc est sola Romana ex Tertulliani sententia: Nam illius loci vocat Ecclesiam statu felicem, vbi Petrus passioni Dominicæ coequatur; vbi Petrus, more

Christi, crucifixus est; & vbi Paulus Ioannis exitu coronatur, id est, vbi Paulus decollatus est, sicut Ioannes Baptista: & vbi Ioannes Euangelista in dolium olei feruentis cōiectus est: sed nec Petrus in vniuersa Ecclesia Christiana crucifixus est; nec Paulus vbique decollatus, nec Ioannes vbique in oleum feruens demissus, sed Romæ tantum; ergo hoc elogium tribuit Tertullianus Romanæ Ecclesiæ. Et quid, quæso, sibi vult Iunius cum illa probatione? Sicut manifestè probatur ex eo, quod ibi Apostolus Ioannes in ardens oleum sit demersus. An non enim Romæ Ioannes in feruentis olei dolium missus est? An non hoc scit Iunius ex S. Hieronymo lib. 1. contra Iouinianum, qui etiam hunc, vel similem Tertulliani locum citat? Quod autem ait: *Cui totam doctrinã Apostoli cum sanguine suo profuderunt*, nomine Apostolorum, non omnes, sed primarios, nempe Petrum & Paulum intelligit. Quod ex lib. 4. contra Marcionem, cap. 5. claret. *Videamus quod lac à Paulo Corinthij hausserint, ad quam regulam Galatæ sint recorrekti, quid legant Philippenses, Thessalonicenses, Ephesij, quid etiam Romani de proximo sonent, quibus Euangelium & Petrus & Paulus sanguine quoq. suo signatum reliquerunt.*

Tertullianus lib. de Monogamia, cap. 8.

Petrum solum inuenio maritum, per socrum; Monogamum præsumo per Ecclesiam; quæ super illum adificata, omnem gradum ordinis sui de Monogamis erat collocatura.

IVNIVS.

Prima editio & MSS. omnes, Rhenano teste, nec MS. vllius exemplum Pamelio contra adferente, legi iubent in hunc modum, quæ super illum omnem gradum ordinis sui de Monogamis erat collocaturus, siue collaturus aliis. Quid tam multis mutationibus opus? Ex qua sit quæ: ex collocaturus, sit collocatura: & vox adificata additur, nihil ad sensum pertinens. Atqui sensus sine istis mutationibus est luculen-

luculentissimus, quæ super, id est, super qua, si ἀναποφῆς, illum omnem gradum Ordinis sui, id est, functionum Ecclesiasticarum administratos, de monogamis erat collocaturus: prout Petrus ipse (ut putat Auctor) monogamus. Hac verè sunt Tertulliani argumenti. Illos verò tibicines, & fulmenta, & supparaturas vocum ex veritate omittimus.

REFUTATIO.

Nimirum ex veritate Calviniana. Cruciat Hæreticū locus iste, quia nimis luculentus est pro primatu Petri, nisi noua lectio excogitetur. Etsi quomodocunque aut ordinetur, aut deprauetur, semper parum gratus Calvinistis accidet, quod secundum lectionem Pamelianam clarum, quam & Gelenius licet diuersæ religionis probasse videtur, dum loco illius *collocaturus* reposuit *collocatura*, vt sermo sit de Ecclesia, nec potest reiici hæc lectio, nisi ab imperito, & qui profundas Tertulliani latebras non rimatur, nam cur putet Petrum fuisse Monogamum, hanc reddit causam; quia Ecclesia est Monogama, hoc est, vni spōso Christo desponsa: oportet igitur, vt ex Tertulliani sententia, peculiaris inter Ecclesiam & Petrū relatio & habitudo fuerit ratione Monogamiæ, quæ in hoc consistit, q̄ Ecclesia vnius viri sponsa, noluerit nisi vnius vxoris virū pro fundamento habere: quodq; super hūc Monogamū, tanq̄ super fundamentū, neminem nisi Monogamū superstruere voluerit, hoc ipso, quod, vt ipse Tertullianus ait, nullus nisi Monogamus, aut nuptiarum planè expers, ad ministeriū Ecclesiasticū admittitur; nisi enim in hunc modū lectio huius loci constituatur & explicetur, ratio cōmodè reddi nequit, quare Tertullianus *præsumat per Ecclesiam*, Petrum fuisse Monogamum, nam ideo hoc præsumit, quia non decuit, vt Monogamiæ non Monogamus, fundamentum esset; & vt supra non Monogamum, Ecclesia omnem ordinis sui gradum Monogamū collocaret. Deinde licet Iunius vocem illam *adificata* deleat, nihilominus non arridebit Tertulliani sententia;

rentia; ſenſus enim idem propemodum erit. Cùm enim Eccleſia monogama miniſtros ſuos ſuper Petrum, tanquam ſuper fundamentum & principem collocet, meritò hinc præſumit, ipſum itidem Petrum fuiſſe monogamum. Quod ſi Petrus omnis Eccleſiaſtici ordinis fundamentum eſt & princeps, opinione Tertulliani, habemus ergo ex eiufdem ſententia; Petri primatû, quem iſti tan-
toperè oderunt.

Tertiò, neque ſi Iunij lectionem probemus, vitare poterit Iunius Petri Primatum, nam ſenſus erit; Petrum ſuper Eccleſiam omnem ordinis ſui gradum monogamum collocare: Ergo Petrus ordinis Eccleſiaſtici Princeps eſt & Coryphæus: Principis enim eſt conſtituere miniſtrorum & miniſteriorum gradus: cùm igitur Petrus ſuper Eccleſiam monogamam cõſtituat & collocet miniſtros, Eccleſiæ aliquo modo ſimiles, nempe in vnitate matrimonij; ſequitur profeçtò, Petrum eſſe ex omnium numero præcipuum. Meritò autem præſumit Tertullianus, ex hoc, quod Eccleſia eſt Monogama, quodque Petrus in Eccleſia miniſtros monogamos collocat: Petrum itidem fuiſſe monogamum; non enim ſatis conueniens foret, ſi digamo huiufmodi functio, & miniſterium erga monogamos committeretur. At Iunius haud æquo animo fert Petrum à Tertulliano accenſeri monogamis: ratus fortaffe, Petrum fuiſſe Miniſtrum Calvinianum, quorum prima cura, vxore prima mortua, alij quærendæ diligenter operam dare. At facilè animaduertere poterat, niſi Polygamie ceſtro percitus eſſet, hæc Tertulliani ſententiam probari & firmari poſſe ex ipſo S. Paulo, qui vult Episcopum vnus vxoris eſſe virum: hoc eſt, monogamû, non digamum, multò minus trigamum, hocq; ex communi Eccleſiæ vſu & praxi præſcripſit Apoſtulus; ſi Pe-
trus

trus digamus fuiſſet; parata erat ad hoc Pauli mandatum reſponſio: ipſum Petrum Episcoporum Episcopum, & Principem huius Ordinis, non eſſe monogamum, non iure igitur ab aliis poſtulari, quod in præcipuo, & quidẽ forma omnium non reperiatur. Hæc verò ſunt Tertulliani argumenti. Illos verò Calvinianos tibicines, & ſul-
menta, & ſupparaturas Iunij ex veritate omittimus.

Tertullianus lib. de Pudicitia, cap. 1.

Audiu etiam edictum eſſe proſiſitum, & quidem peremptorium. Pontifex ſcilicet Maximus, Episcopus Episcoporum dicit: Ego & mœchia & fornicationis delicta, pœnitentia funçtis, dimitto. O edictum, cui adſcribi non poterit: bonum factum.

I V N I V S.

Episcopos Pſychicorum audio veniam impudicia palam proponere. ſunt autem illa ironica. Pontifex ſcilicet Maximus, Episcopus Episcoporum, Chriſtus puta, edictum illud promulgauerit. Nam quod de Episcopo Romano accipiunt, alienum puto, neq; ex verbis auctoris erui vſquam poteſt.

R E F U T A T I O.

Mirus eſt Tertulliani paraphraſtes & interpres, nihil ille de Episcopis, ſed de Episcopo, qui, edicto proſiſito, adulteris & ſcortatoribus veniam promiferit. Tu hunc Episcopum ais eſſe Chriſtum, dignus profeçtò omnium eruditorum ſibilis. Quid enim clarius, quàm Tertullianum loqui de Episcopo Romano, qui, cum Montaniſtæ quidam, inter quos Tertullianus, mœchis & fornicatoribus tantum, pœnitentiæ locum negarēt, Pontifex Romanus, edito & publicato edicto, iifdem aditum ad Eccleſiam patefecit, ſi prius ritè pœnitentiam agerent. Hoc edictum exagitat hoc loco Tertullianus, illudque eiufmodi eſſe aſſerit, cui nunquam ſolenne illud: *Bonum factum*, adſcribi poſſit; & totum librum de pudicitia ex in-
y ſitudo

instituto contra hoc edictum dirigit, quod in Ecclesia publicè lectum; Hoc enim indicant illa verba: *Sed hoc in Ecclesia legitur, & in Ecclesia pronuntiatur, & Virgo est? Absit, absit à sponsa Christi tale praconium*: quia Tertullianus, Montani paraclero plenus, existimabat tale programma potius proponendum *in ipsis libidinum ianuis, & sub ipsis libidinum titulis*. Deinde quis ex Patribus vnquam, loquēs de Christo, hac periphrafi vsus est, vt eum appellaret *Pontificem Maximum, & Episcopum Episcoporum*? Adhuc, illum vocat Tertullianus Pontificem Maximum, & Episcopum Episcoporum; quem dicit edictum illud peremptorium proposuisse: sed Episcopus Romanus, nō Christus; edictum illud peremptorium proposuit. Ergo Tertullianus Episcopum Romanum vocat Pontificem Maximum, & Episcopum Episcoporum; nec accipit illam dictionem, *scilicet*, ironicè, sed propriè, pro *nimirum* seu *videlicet*, siue hæc verba: Pontifex Maximus, Episcopus Episcoporum; ipsi edicto addita fuerint: Eo modo quo nunc Pontifices hunc titulum, *Seruus seruorum Dei*, constitutionibus suis præfigunt: siue Tertullianus ex communi loquentium vsu & consuetudine, hac circumscriptione Romanum Pontificem voluerit designare. Non est autem prætereunda calumnia Cuiacij, cum imperitia cōiuncta (nisi eam potius adscribere placeat ei, qui mortuo Cuiacio cōmentarios Cuiacianos in decretales publicauit) qui post multa in Romanum Pontificem conuicia; eò quòd Ecclesiam suam dicat, *esse omnium Ecclesiarū matrem & magistrā, id quod perinde est, inquit, ac si diceret, se esse Episcopum Episcoporum*. Tandem subdit: *Ea de re est elegans Tertulliani verbum: edictum illud, quo se quis Episcopum Episcoporum vocat; edictum peremptorium tale esse, vt ei adscribi non possit: bonum factum*. Vbi grauiter hallucinatur. Nam Tertullianus ideo negat edicto illi solennem formulam

In cap. 51. de foro compet.

mulam adscribi potuisse, quod mœchis & scortatoribus veniam, & reditum ad Ecclesiam, peractā poenitentia, offerret: non autem quod Pontifex Romanus Episcopū Episcoporum se, in edicto illo, nominasset. legatur Tertullianus & commentum hoc sponte sua ruet: nec vocat *peremptorium*; propter illum titulum, sed aliam ob causam; quia neque certum est, titulum illum edicto fuisse adiūctum: vt paulò antè dicebam. Etsi autem, prædictus Tertulliani locus non sit ironicus; licet tamen ironicus esset, nihilominus satis perspicuè inde colligeretur, quo nomine Pontifex Romanus appellari fuerit solitus. Non enim potuit Tertullianus à Pontifice alienus conueniēter & falsè hac ironia vtī, nisi hæc fuisset communis formula compellendi Papam. Quemadmodum etiam cū si quis hereticus nominaret Papam; summū scilicet Pontificem, intelligeretur; hanc esse vsitatam huius temporis formam & phrasin.

CAPVT X.

De Traditionibus nonnullis.

Tertullianus Apologet. cap. 16.

ALI planè humanius & verisimilius solem credunt Deum nostrum; ad Persas si forte deputabimur (licet solem non in linteo depictum adoremus) habentes ipsum vbiq; in suo Clypeo. denique inde suspicio, quod innotuerit, nos ad Orientis regionem precari. sed & pleriq; vestrum in affectatione aliquando vt caelestia adorandi, ad solis ortum labia vibratis.

IVNIUS.

Hæc omnia dicuntur ἱστορικῶς, vt & sequentia: quod innotuerit nos ad orientis regionem precari. Nam inde à principio idololatre, vaturam ducem (vt putauerunt) secuti, ad orientem precati sunt, teste

Vitruuius lib. 4. de architect. cap. 5. & illud apud Plutarchum in vulgo dictum confirmat, plures adorant Orientem, quam Occidentem solem. Id quia gentibus religiosum fuit, Deus populo suo mandauit contra, ut templi aditum ad Occidentem esset, quo adoraturi spectarent, contra quam gentes. Quod si Christianis religio fuisset ad Orientem, ut gentes adorare, ne superstitioni gentium adhaerescere putarentur: eadem religio certe fuisset merito, ne cum Iudæis viderentur facere, ad occasum adorantes. Quapropter illud potius hic Tertullianus idololatriæ, quam ut de more & consuetudine Christianorum, quæ fuit libera, quidquam desinat.

REFUTATIO.

Quædam suprascriptis verbis dici à Tertulliano ironice, negari non potest, ut illud: *Ad Persas si forte deputabimur. At ironice ab illo dici sequentia; Denique, inde suspicio, quod innotuerit nos ad Orientis regionem precari; Nemo asserit, nisi is, qui ab eodem ironice dicta putat, ea quæ sequuntur de die Dominica: AEquè si diem solis letitiæ indulgemus, alia longè ratione, quàm religione solis. secundo loco ab eis sumus, qui diem Saturni otio & victui decernunt, exorbitantes & ipsi à Iudaico more, quem ignorant. Verùm sicut Tertullianus nequaquam ironice, sed valde seriò affirmat, Christianis diem Dominicam esse festam; ita seriò affirmat, Christianos ad Orientem precari solitos. Et sicut ex more feriandi die Dominica, oborta est Ethnicis suspicio, quasi Christiani colerent solem: ita eadem suspicio iisdem est oborta, ob illam ad Orientem precandi consuetudinem. Deinde de hoc more precandi ad Orientem, constat ex Iustino, seu alio veteri auctore Respons. ad Orthodoxos. q. 118. Et ex Damasceno, & ex aliis, quorum testimonia lib. 1. de sancta Cruce cap. 26. attulimus. *At Ethnici orabant ad Orientem. Quid tum? non omnia praua, & ad imitationem illicita, quæ egerunt Ethnici. Adorare ad Orientem, omni crimine vacat, etsi non adorare ipsum solem**

Damasc. lib. 4. fid. Orthodox. cap. 13.

solum Orientem: in quo magnum discrimen, inter Ethnicos & Christianos erat; quibus graues fuere huius moris causæ, & in primis Apostolorum traditio, ut in ritu precandi se potius ad Orientem cum Ethnicis verterent, quam ad Occidentem cum Iudæis iam à Deo reprobatis: causas exponit Damascenus: Exposui & ego quasdam lib. de S. Cruce loco cit. Ergo Tertullianus idololatriæ non illudit: sed quem morem Christiani teneant, dum preces fundunt, valde seriò pandit. Nec illud prætereundum, hæc, quod supra à nobis omissum, & lib. 1. de Cruce, cap. 54. obiter notatum; validum ex hoc Tertulliani loco sumi argumentum demonstrando sacrosanctæ Crucis cultui, iam temporibus Tertulliani visitato: sicut enim Tertullianus non loquitur ironice, cum ait; *Christianos orare ad Orientem, diemq. Dominicum festum habere*: sed verè vtrumque confitetur: ita paulò supra, in eodem capite, non loquitur ironice, sed seriò agit, cum suspensionem moris colendi crucem, in Ethnicorum animis enatam, à Christianis non amolitur: sed ait; eos, qui Christianos, crucis religiosos siue cultores arbitrantur: consecraneos Christianorum esse, hoc est, idem facere, quod in Christianis culpant, cum numina quædam, à Crucis specie parùm abeuntia, item victorias, trophæa, signa castrensia, si para, labara seu cantabra adorare consueuerint: sicut enim non fallebantur Ethnici, cum dicerent; Christianos ad Orientem adorare: aut diem solis festum habere: Etsi fallebantur, cum crederent id fieri in honorem solis, tanquam cuiusdam Dei; ita non fallebantur, cum dicebant; Christianos Crucem venerari: Etsi fallebantur, cum crederent, crucem à Christianis coli tanquam Deum.

Porro multas traditiones recenset Tertullianus lib.

de corona militis, cap. 3. *Quæ omnes in ritibus posita sunt,* inquit Iunius, *quarum pars desit apud ipsos traditionum defensores.* Ex omnibus quas Tertullianus commemorat, vix tres desierunt, id vt liquidò perspiciatur, singulas percurram: *Aquam adituri,* id est, vt baptizemur, *ibidem, sed & aliquanto prius in Ecclesia, sub Antistitis manu, contestamur, nos renunciare diabolo, & pompæ, & Angelis eius.* Id adhuc solemne est in Ecclesia. *Dehinc ter mergit amur,* id obseruatur apud Græcos, nam Latini iam plerunque vna mersione contenti sunt. *Inde suscepti,* id est, post Baptismum, *lactis & mellis concordiam degustamus.* Desit hæc consuetudo iam pridem, vt & sequens: *Exq. ea die, lauaero quotidiano, per totam hebdomadam abstinemus. Eucharistia Sacramentū & in tempore victus, & omnibus mandatum à Domino, etiam antelucanis catibus, nec de aliorū manu quàm presidentium sumimus.* Etiam hæc traditio obseruatur, non enim sub vesperam aut cœnam, sed mane & ieiunū Eucharistiam percipimus; nec à quouis, sed à sacerdotibus, hos enim comprehendit Præsidentium nomine Tertullianus: nam ex Iustino, qui antiquior Tertulliano Apolog. 2. patet Sacerdotes & Diaconos, etiam Eucharistiam distribuisse: & non solos Episcopos; qua notione vsurpat quoque Tertullianus *presidendi* vocem Apolog. cap. 39. *Præsident probati quique seniores.* Vbi sermo, non de solis Episcopis sed & Sacerdotibus & Diaconis. At quod Iunius ait; *Traditionis esse, & quod presbiter seu Præsidentes sint, & quod illi soli prabeant Eucharistiam;* id falsum est, nam vt sint Episcopi, imò & Episcoporū Episcopus, vt à Tertulliano nominatur, item vt sint sacerdotes & Diaconi; est iuris diuini scripti, non traditionis, quæ ad ius non scriptum spectat: etsi concedi potest traditionis esse, vt ab istis solis Eucharistia porrigatur. *Oblationes,* inquit

inquit Tertullianus, *pro defunctis, pro natalitiis annua die facimus,* obseruat hoc religiosè Catholica Ecclesia. *Die Dominico ieiunium nefas ducimus.* Idem Ecclesiæ adhuc sensus saltem in communi, quatenus nullum ieiunium die Dominico præcipit. Idem sensus etiam Calvinistis, qui ex supererogatione, etiã in Quadragesima ieiunium nefas ducunt. Et *de geniculis adorare.* Exoleuit hæc consuetudo: nisi quod nonnullis locis, à Paschate ad Pentecosten vsque, aliqua saltem ex parte custoditur. *Eadem immunitate* (non ieiunandi & non flectendi genua) *à die Paschæ ad Pentecosten vsque gaudemus.* Orthodoxi itidem eadem gaudent, eodem tempore, quod ad ieiunium attinget; & Calvinistæ toto anno. *Calicis aut panis etiã nostri aliquid decuti in terram anxie patimur.* Idem mos multis Christianis, idq; in honorè sacrosancti Eucharistiæ Sacramenti. Quod si locus iste cum Iunio & aliquibus Orthodoxis accipiatur de Eucharistia, tum mos hic non potest censerī abolitus: nihil enim ægrius patimur, quàm quidquam de Eucharistia in terram decidere. Vide Pij antiquissimi & sanctissimi Pontificis decretum apud Gratianum de Consecr. d. 2. Can. *Si per.* Quæ de Cruce Tertullianus subiicit, ea tam sunt vsitata Catholicis, quàm inusitata Hæreticis. Quod autem quædam traditiones quandoque cessant, id non mirum, quia traditionum quædam sunt perpetuæ: quædam temporales. Nec cuiusuis est traditiones abrogare, etiam temporales; sed Ecclesiæ, quæ eas ipsa desuetudine, aut vsu contrario tandem abrogat.



CAPVT XI.

De Stationibus & Processionibus.

Tertullianus lib. 2. ad uxorem, cap. 4.

ISTATIO facienda est, maritus de die condicat ad balneas.

Idem lib. de cultu fœminarum, cap. 11.

Vobis autem nulla causa procedendi non tetrica. Aut imbecillis aliquis ex fratribus visitandus, aut sacrificium offertur, aut Dei verbum administratur. Et lib. 2. ad uxorem: Si procedendum erit, nunquam magis familia occupatio adueniat.

I V N I V S.

Tria hic facile distinxeris. Statio, ad orationes totius Ecclesie diutius protrahendas, ieiunium ad preparationes dispositionemq; piorum: processiones, ad auditionem verbi diuini, & cetera pietatis & charitatis officia citius desungenda pertinebant.

R E F V T A T I O.

Nihil planè & distinctè hic Calvinista, cum de ritibus Ecclesie Catholice Tertullianus loquitur. Quid statio sit apud Tertullianum, longè melius & dilucidius explanat Bellarminus, ex variis Tertulliani locis, quibus stationum meminit. Non exscribo, breuitatis causa. Quàm pulchrè verò describit ieiunij finem? ad preparationem, inquit, & dispositionem piorum pertinebat. Quasi verò stationes, hoc est, preces diurnæ, ad nonam aut vesperam, tempore solennis ieiunij protractæ, non pertinuerint ad preparationem & dispositionem piorum. Ad eum, inquam, finem, vt cœlestium donorum & charismatum sese his subsidiis capaciores redderent. Pari acumine, describit processiones: Processiones, inquit, pertinebant ad aud-

Bellarmin. lib. 2.
de bonis operi-
bus, cap. 22.

ditio-

ditionem verbi diuini; mirum ni Calviniani: & cetera pietatis, charitatisq; officia citius desungenda. Atqui Tertullianus processionis seu procedendi vocabulum vsurpat itidem, cum conueniendum esset ad sacrificium: precum, vt interpretatur Iunius; precum autem & Eucharistie simul, vt Orthodoxi iure exponunt. Si ergò cum ad preces cõnenerent, etiam tunc procedere dicebantur: vt ex citato Tertulliani loco de cultu fœminarum perspicuum redditur: falsum crit, eos tunc tantum procedere consueuisse; cum ad verbum diuinum audiendum, aut opera charitatis exhibenda prodirent. Nam & ad stationes procedebant; nec aliter statio & processio differunt, quàm motus, & terminus motus: nisi quod non omnis processio erat ad stationes. Imò apud Tertullianum procedere siue processio nihil aliud est, quàm prodire & progressus ex domo in publicum; seu locum à proprio, in quo quis degit, seiunctum; ita vt prodeundo necesse sit, se aliis, quàm familiaribus ostendere: liquet id ex lib. de cultu fœminarum cap. 11. vbi hæc: *Quæ autem vobis causa structius (comptius, ornatius) procedendi, cum remota sitis ab his, quæ ad aliud indigent. Nam nec templa circuitis, nec spectacula postulat: nec festos dies gentilium nostis: propter ipsum enim conuentum, & mutuum videre ac videri, omnes pompa in publicum proferuntur, aut vt luxuria negotietur, aut gloria insoleat. Vobis autem nulla procedendi causa non tetrica, hoc est, grauis & iusta; procedendi, idem nimirum est; quod prodeundi: sic in lib. de Idololatria, cap. 15. Scio fratrem per visionem, eadem nocte, castigatum grauitè, quod ianuam eius, subito annuntiat gaudiis publicis, serui coronaissent. Et tamen non ipse coronauerat, aut praeceperat, nam antè processerat: & regressus reprehenderat factum: Quid hic est, processerat, nisi domo exierat; aliò se contulerat? & in libro de præscript. processio*

z

mode-

modesta nihil est aliud, quàm modestus in publicum progressus. Quia verò Pamelius ex *procedendi* voce, Tertulliano vsitata, colligit morem *processionum*, quæ veteri vsu apud Orthodoxos sunt receptæ, ideo Iunius in notis ad 15. caput lib. de Idololatria, acriter in virum insurgit: sed nisi inani, nihil enim de hoc asseruit Pamelius. Cuius hæc verba: *An hoc ad processiones Christianorum pertineat, liberum esto lectori.* Illud ad extremum notandum, Tertullianum preces & ieiunia Danielis cap. 10. quibus tres septimanas vacauit; appellare; *stationem trium hebdomadarum*, libro de anima, cap. 48. idque tum propter preces cōtinuas, tum propter ieiunium, quia statio semper cum ieiunio iungebatur. Iunius locum illum Tertulliani ita explicat: *Duo coniungit Daniel: stationem, quia in luctu fuit, nec ad Regem, aut in publicum processit lugens: & ieiunium.* Imò Daniel duo hæc non cōiungit, sed describit ieiuniū, quod ieiunauit; & afflictationem, qua sese afflixit; & hoc totū, nempe preces & ieiuniū, totamq; hanc afflictationem, vocat Tertullianus *trium hebdomadarum stationem.*

CAPVT XII.

Miscellanea.

Tertullianus lib. de Baptif. cap, 17.

DANDI (Baptismi) habet ius summus sacerdos; qui est Episcopus, dehinc Presbyteri & Diaconi: non tamen sine Episcopi auctoritate propter Ecclesie honorem.

I V N I V S.

Ὁ ἡγεμὼν, prout humani ordinis causa vnus aliquis iam olim Collegio fratrum prepositus est.

R E F V T A T I O.

Est quidem summus sacerdos seu Episcopus ἡγεμὼν; at non

at non omnis ἡγεμὼν & Antistes est Episcopus. Nec humano iure ordo hic inter ministros Ecclesiasticos introductus est; sed diuino; sit quidem hic aut ille Episcopus humana electione, hominum enim suffragiis eligitur, non Dei: at ipsum Episcopatus officium non proficiscitur ab humana institutione sed à diuina.

Tertullianus lib. eodem, cap. 12.

Quos tinctos non inuenimus. Loquitur Tertullianus de Apostolis, quos baptizatos esse, scriptura nusquam prodiderit.

I V N I V S.

Contrarium non obscure ostenditur. Ioan. 1. & Actor. 1.

R E F V T A T I O.

At quibus verbis? Maximè Ioan. 1. An quia eo capite dicitur Ioannes baptizasse? At licet dicatur baptizasse, non dicitur tamen baptizasse Apostolos; & vt Euangelista scripsisset Apostolos à Ioanne baptizatos fuisse: id tamen nihil esset ad rem: quia Tertullianus non loquitur de baptismo Ioannis, sed Christi: aitque in Scriptura nihil proditum, vtrū hunc Baptismū acceperint. Æquè parum hac de re traditur Actor. 1. nam verba illa: *Incipiens à baptismo Ioannis;* nec Ioannis, nec Christi baptismo Apostolos baptizatos esse indicant.

Tertullianus lib. de Monogamia, cap. 8.

Ceteros cum maritos inuenio, aut spadones intelligam necesse est, aut continentes.

I V N I V S.

Propositio tota, vt & alia plurima in hac questione, argumentatur ab auctoritate (vt loquuntur) negatiuè. Inepta argumentatione: non legitur hoc, non fuit igitur.

Z Z

R E F V -



REFUTATIO.

Loquitur Tertullianus de Apostolis, quos omnes ait se suspicari aut virgines, aut continētes fuisse, cū scriptura nihil de eorum matrimonio tradat; excepto Petro, quem vxorem habuisse socrus est argumento. Iunius ait, inualidum esse argumentum istud: *scriptura hoc non tradit; ergo non est verum.* Atqui quid crebrius in ore Calvinistis & Lutheranis, quā hęc argumentandi ratio? *non legitur in scriptura, ergo non est ita.* Quidquid ex traditione Orthodoxi adferunt, id isti hoc vnico argumento refellere nituntur: si ergo hanc argumentandi rationem Tertulliano dat crimini, cur eandem prius non reprehēdit in Calvinistis & Lutheranis? sed Iunius ægrē fert Apostolos à Tertulliano existimari aut virgines, aut continentes; quia ipse omnes optaret fuisse non modò Monogamos, sed & Polygamos, ex Calviniano ritu. Nec inefficax est ratio argumentandi ab auctoritate *negatiuè*, cum probabile est, aliquid, si accidisset; indicandū fuisse.

Tertullianus lib. contra Iudæos, cap. 10.

Age nunc, si legisti penes Prophetam in Psalmis (Psal. 95.) Dominus regnauit à ligno.

I V N I V S.

Ex contextu græco deprompta sunt, prout refertur à Iustino Martyre, Apolog. 2. in dial. aduersus Tryphonem; Cyprianoque; sed tamen, ne in ullo quidem exemplari Græco esse constat; & non fuisse Hieronymi saculo, ostendant translationes eius, & Commentarij & exemplaria Hebræū & LXX. Quapropter hæc verba à ligno, aut puto esse glossæmatis, quod iam olim contextui LXX. fuerit impaetum; aut lippientis librarij, qui pro ἰβουίλευσιν legerit ἐν ξύλῳ, quæ verba postmodum in contextum irrepserunt. Nam quid iuris est Hebræos, aut Græcos, aut alios accusandi, cū id suo saculo Hieronymus non fecerit, vel minima significatione, sed utcūq; textum expresseit bona fide, transtulerit que?

REFV-

REFUTATIO.

Sed quis Tertulliano, Iustino & Cypriano, antiquissimis scriptoribus, non potius fidem adhibeat, quā Iunio; cuius coniectura de lectione ἐν ξύλῳ, pro ἰβουίλευσιν, non modò lippientis est, sed & cæcutientis: quæ enim agnatio inter hæc duo vocabula, vt ea non dicam dormitans, sed & vel dormiens librarius confundere queat? Taceo S. Augustinum & S. Leonem eodem modo verba Psalmi legere. Sed sinamus Iunium Iudæorum causam agere contra Iustinum Martyrem; nam quod addit de S. Hieronymo id non mirum, quia transtulit & explicauit ea, quæ in Græcis & Hebraicis repererat: hoc non reperit, quippe iam olim expunctum ab hostibus Christi. Lector videat S. Augustinum in Psal. 95. nec alia apologia opus erit.

Tertullianus lib. de anima, cap. 50.

Translati sunt Enoch & Helias, nec mors eorū reperta est, dilata scilicet.

I V N I V S.

Hæc multorum opinio, meo quidem iudicio παράδοξον, sed quam pleriq; olim auctoritate Ioan. Apocal. 11. firmari posse putauerunt. Ego non censo.

Sic lib. de Resurrect. carnis, cap. 22. vbi Iunius. De Helia autem, quæ paradoxa dicta sint olim, ante lib. de anima, cap. 50. expressum est.

REFUTATIO.

Nimirum paradoxum est, quod ex scriptura perspicuè satis colligitur, quodque tota sentit antiquitas: præter Tertullianū, Augustinus, Ambrosius, Hieronymus, Gregorius Magnus, Cyprianus, Irenæus, Iustinus, Chrysostomus, Theodoretus, Epiphanius, Athanasius, Basilus, Eucherius, Clemens Romanus, Isidorus, Theophylactus,

23

lactus, OEcumenius, Alcimus Auitus, Rupertus & alij. Vide Franciscum Soarez tom. 2. q. 59. disp. 55. sect. 2. sed non grata hæc Hæreticis de Helia & Enoch opinio, propter hæreticum quoddam paradoxum, de Pontifice Romano.

Tertullianus lib. de Ieiuniis, cap. 15.

Quantula est enim apud nos interdictio ciborum? duas in anno hebdomadas xerophagiarum, nec totas, exceptis scilicet Sabbatis & Dominicis, offerimus Deo.

I V N I V S.

Apud nos. Montanistas & Tertullianistas. post, cum duas in anno hebdomadas xerophagiarum nominat, alias à quadragesimis intelligit, quas tres Montanus observabat, teste Hieronymo. Nam aliud fuisse ieiunium, aliud xerophagiam, in cap. 1. ostendimus. Itaque importunè Pamelius hoc loco σιαμαχῆι.

REFUTATIO.

At tu potius importunè λαιδορῆις & calumniaris. Pamelius verò optimè vidit, aut Tertulliani textum emendandum, aut S. Hieronymo erratum seu memoriæ seu doctrinæ adscribendum esse, non enim distinguit Tertullianus xerophagias à ieiuniis; quis enim magis ieiunat, quàm qui aridis cibus, ab omni carne & omni iurulentia siccatis, utitur? sed quod Montanistæ suis in ieiuniis xerophagia contra communem Ecclesiæ morem vterentur; ideo ab orthodoxis nouitatis accusabatur, nouitatis, inquam, tum quoad numerum, quia sæpius, hoc est, duas nimirum, aut tres quadragesimas ieiunabant, & quoad modum, quia siccis duntaxat cibus utebantur, cõtra aliorum consuetudinem; & ita hæc omnia obseruabant, ut Orthodoxos, quæ ea respuerent; voracitatis condemnarent, & contumelioso nomine *Psychicos* appellarent. Conatur

natur ergo Tertullianus demonstrare. I. Licitum esse sæpius ieiunare. II. Licitum esse xerophagia, tempore ieiuniorum uti, Quorum utrunque; verum est, si non manducans manducantem; & aliis, præter siccas, escis utentem non spernat; sique Ecclesiæ Orthodoxæ leges & modum ieiunandi præscribere nolit, ut faciebant Montanistæ; sed potius paratus sit ab ea modum ieiunandi discere. Quo fit, ut Catholici minimè damnent quorundam ordinum religiosos: qui sæpius in anno ieiunant, etiam tunc, cum alioquin Ecclesia nullum ieiunium præscribit: quia faciunt id, non ea mente, qua Montanus; quasi malè agat, quisquis secus agit. Et hic est genuinus Tertulliani sensus, quem Pamelius probè vidit: nam si duæ hebdomades xerophagiarum; hoc est, quatuordecim septimanæ, (nam per hebdomadem non intelligit Tertullianus septem dies, sed septem septimanas) distinguebantur à duabus, vel tribus quadragesimis Montanistarum, quæ fit, quod veteres Patres, ut tres quadragesimas; ita & xerophagias non verterunt eis vitio? Sed ut cõcludam, omnis xerophagia ieiunium est: licet non omne ieiunium xerophagia: cum necesse non sit, ieiunantes siccis tantummodo cibus uti, nec utebantur Orthodoxi eo modo, quo Montanistæ. Sunt etiam, qui putent, Tertullianum in hoc dissensisse à cæteris Montanistis; quod ipse duas tantum quadragesimas poneret: reliqui tres. Quod si verum est: tum neque Tertulliani textus emendatione; neque S. Hieronymus excusatione eget.

Tertullianus libro de Pœnitentia, cap. 6.

Quam porro ineptum, quæ pœnitentiam non adimplere, & veniam delictorum sustinere? Hoc est, precium non exhibere, ad mercem



mercedem manum emittere. Hoc enim pretio Dominus veniam addicere instituit, hac pœnitentiæ compensatione redimendam proponit impunitatem.

I V N I V S.

Veniam addicere: hoc proprium venditoris est, verbū iuris, ut etiam postea compensationis vocabulum usurpatur, forensi significatione; non enim sit à nobis compensatio, sed à Deo habetur imputatione & acceptione gratiæ: quasi à nobis facta sit compensatio.

R E F U T A T I O.

Atqui Tertullianus disertè ait pœnitentiæ compensatione redimendam à nobis esse impunitatem. Nihil ille de fictitia imputatione gratiæ; quæ ergo hæc peruersitas verba Tertulliani tam clara pervertere? Iniurias per peccatum Deo illatas homo susceptis pœnis & castigationibus compensat, non Deus: sicut & in foro non is, qui iniuriam passus est; sed is, qui intulit; iniuriam compensare solet.

Tertull. lib. 4. contra Marcionem, cap. 3.

Si verò Apostoli quidem integrum Euangelium contulerūt de sola conuictus in aequalitate reprehensi, Pseudoapostoli autem veritatem eorum interpolauerunt, & inde sunt nostra digesta; quod erit germanum illud Apostolorum instrumentum, quod adulteros passum est?

I V N I V S.

Nostra digesta, id est, διασπασμένα, ut lib. de Baptismo, cap. 1. sensus est. Atque ab ea occasione pseudoapostolorum, Spiritus sanctus auctor fuit, ut Apostoli & viri Apostolici doctrinam sacram monumentis litterarum consignarent, quæ nostra digesta sunt.

R E F U T A T I O.

Digestum Tertulliano est ipsum opus, quod auctor scribendo digessit, & certo ordine disponit; liquet ex capite

pite 5. vbi hæc: Nam & Luca digestum (hoc est, opus, seu librum) Paulo adscribere solent: capit magistrorum videri, quæ discipuli promulgarint. Sic cap. 1. de Baptismo: Non erit otiosum digestum istud: hoc est, opus de baptismo, quod aggregior, non erit superfluum. Quàm verò Iunius verba Tertulliani rectè exponat, satis liquet ex ipsis verbis, & ex toto illo tertio capite lib. 4. contra Marcionem. Sed Iunius Tertullianum in hanc sententiam deprauat, ut stabiliat Hæreticam persuasionē, omnia quæ credenda; sacris litteris esse prodita; idq; eo consilio, ne à falsis doctoribus corrumpantur; ut hoc curriculo traditiones non scriptas euertat; quasi falsi magistri nequeāt ipsas scripturas corrumpere: Quod, ut prisca exempla decissent, hodierna profectò testatissimum reddunt.

Tertullianus lib. de anima, cap. 35.

Nunquid ergo & Iudæi ex opinione Pythagorica consulebant Ioannem; Tu es Helias, & non ex predicatione diuina? Et ecce mittam vobis Heliam Thespiten. Helias autem non ex decessione vitæ sed ex translatione venturus est, nec corpore restituendus, de quo non exemptus est; sed mundo reddendus, de quo est translatus.

I V N I V S.

Thespiten, legendum Thespiten? ἠρασιπτικὸς, illa autem sequentia non affirmatè, sed ex hypothesi possunt intelligi; nempe, si quidem venturus est, (ut dicitur) hoc modo venturus est. sed alibi non obscure affirmat auctor, ex falsâ Apoc. 12. interpretatione, ut infra cap. 50. & lib. 4. contra Marcionem, cap. 22. Et poëmat. 3. contra Marcionem, cap. 5.

R E F U T A T I O.

Quod de nota interrogationis monet, tam argutum est, quod illud, cum monet otium non per c sed per t scribendum esse, quia à verbo vtor. Interrogationis punctū rectè ponitur post vocem diuina. Quia Propheta Malachias nō extulit verba illa: Et ecce mittam vobis Heliam, ἠρασιπτικὸς,

sed *ἄπο φαιμῶς*, utrum autem, quæ Iunius adiungit de sensu ex hypothese, consentanea sint verbis Tertulliani; æquū lectorē arbitrari volo. At Iunius, ut Calvinista, odit sententiā illam Orthodoxorum de aduentu Heliæ. Causas huius odij habet Hæreticus. Nec solius Tertulliani est, sed totius antiquitatis, nec ex falsa Apocalypseos interpretatione nata, sed ex verissima expositione tum huius, tum aliarum scripturarum. Sed de hoc iam suprā: scilicet tota antiquitas errat, soli Hæretici *verant*, ut veteri verbo nouam impudentiam denotent.

Tertull. de Marcione, lib. de Præscript. c. 38.

Ad materiam suam eadem scripturarum confecit. Idem lib. 1. ad vxorē, c. 7. Aram enim Dei mundam proponi oportet.

I V N I V S.

Lego ex coniectura concædem. Est enim concædes accumulatio ramorum, & sylua caesorum. Tacitus lib. 1. latera concadibus munitus.

R E F V T A T I O.

Malè, nam *eadem* legendum: Hoc enim dicit: Marcionem scripturas trūcaste, & auctoritatem plerarumq; negando, quasi occidisse, ut nunc faciūt Hæretici: tollendo & inficiādo multos libros Canonicos: & in hoc Marcion dissimilis fuit Valentino; nam Valentinus scripturis quidem pepercit; & à cædibus earum abstinuit, & integro instrumēto vsus est: sed deprauauit Scripturas, malè eas interpretando; ut faciunt Calvinistæ nonnulli, qui Catholicorum more, omnes libros Canonicos admittunt; sed sensu *expositiones interuertunt*.

De secundo loco ita Iunius: *Malim: aream enim Dei; nā aram accedebant tantum viri in area sunt & fæmina: Hæc autem interpretationis sunt Tertullianicæ. Imo Iunianæ. Sensus enim Tertulliani est; secūdas nuptias non esse ineundas, cum digami arceantur à sacerdotio; ut & viduæ digamæ 2. Tim. 2, 1. Tim. 3, à ministerio Ecclesiastico. Aramrenim*

Dei

Dei debere proponi mundam: id autem fieri non posse, nisi qui altari & Ecclesiæ ministrant, ut sunt sacerdotes & alij, & Diaconissæ; sint puri & mundi: hanc autem munditiem Ecclesiasticis functionibus, & altari Dei consentaneam, obtineri per monogamiam. Deinde quid quæso est *area Dei? At fæmina non accedebant ad aram*. Fateor, neque verba illa; *ad aram*; referenda sunt ad fæminas; sed ad viros. Ait enim viros digamos non admitti ad aram; hoc est; ad officium sacerdotis: & mulieres digamas non adlegi in Ordinationem; hoc est in numerum Diaconissarum. Quarum munera describit Clemens Romanus lib. 3. Constit. Apost. cap. 15. & Epiphanius Hæres. 79.

Tertullianus lib. 1. ad vxorem, cap. 6.

Quot enim sunt, qui statim à lauacro carnē suam obsignant? Quot item, qui consensu pari inter se matrimonij debitum tollunt? Voluntariis spadonibus pro cupiditate cælesti, saluo matrimonio, abstinentia toleratur, quanto magis adempto?

I V N I V S.

Saluo matrimonio; integro iure matrimonij, quia ex consensu alter alterius ad tempus, ut ait Apost. 1. Cor. 7.

R E F V T A T I O.

At Tertullianus non agit de abstinentia ad tempus, sed de perpetua, ut ex eius verbis planum. Quæ continētia eò est præclarior, & laudabilior, quo Hæreticis est intolerabilior. De eadem Tertull. lib. de velandis Virginitibus, cap. 10. *Non enim & continentia Virginitati antistat, siue viduorum, siue qui ex consensu cõtumeliam communem iam recusauerunt. Vbi Iunius: Qui hanc appellationem de coniugali solum cubilis usu dici putant, ij in Tertullianum iniqui sunt; Contumeliam communem vocat afflictiones & persecutiones communes, quæ coniugatis eo tempore accidebant, aliena iniuriā & contumeliā, ut & Paulus indicabat 1. Cor. 7. Hi priuatas suas seorsim malebant perpeti, quam in communes præterea afflictiones coniugio infestis incidere, casq;*

communis de coniugali consortio effici. Ineptè prorsus. Nam Tertullianum loqui de vsu coniugali seu debito, vel cæco planum est: ait enim, Virginitatem longè esse potiorem & excellentiorem, quàm continentiam, siue viduorum, hoc est, eorum, qui altero coniuge mortuo, superstites sunt; siue eorū, qui saluo adhuc & integro matrimonio, matrimonij debitum tollunt; & ab vsu abstinent; quem vsu ipse, vehementiore sua, quàm Hæretici habeant, in continentiam propensione, *cōtumeliam* vocat. Verùm Iunius pro suo in matrimonium amore, ægrè fert hanc appellationem; Sed exoptulet cum Tertulliano; non cū illis, qui, vt ipse Tertullianus iubet, Tertullianum explicent, Nam quod de afflictionibus & persecutionibus addit; id à Tertulliano est alienissimum: non enim est in cōiugis potestate, vt afflictiones extrinsecus ortas non ferat; aut non sustineat etiam tribulationes carnis; de quibus S. Paulus: quia has omni matrimonio annexas esse Apostolus pronunciauit: Et Tertullianus non loquitur de matrimonio dissociato; sed adhuc saluo & integro, vbi aduersitates istas itidem saluas & integras esse necesse est. Loquitur de illis coniugibus, qui licet simul habitent, & coniugij onera pariter tolerant, ab vsu tamen matrimonij, ex mutuo consensu, abstinent. Cæterum quod hîc vocat *contumeliam*, id capite vndecimo nominat *confusionem*. Vbi rursus Iunius dentes exerit. *Quod quidam pro pudore, inquit, aut re pudenda accipiunt, est fermè impudens.* Censura non fermè, sed planè impudens. Nam omnes Tertulliani apices clamant, id quod dixi, *confusionis* nomine à Tertulliano denotari. Nam *confusionem* opponit *pudori*; hunc in sponsalibus per osculum & dexteram dicit resignatum; illamque condictam & promissam. Quod enim Iunius id vocis vsurpat pro omnium rerum iuris & facti promiscua inter se consociatione, id nō quadrat

drat sententiæ Tertulliani: qui ait, post desponsationem velari virgines, quod *corpore & spiritu masculino mixta sint*, per osculum scilicet & dexteram, quo signo pudorem resignarunt, & totam *confusionem*, hoc est, perfectam corporum mixtionem promiserunt: præstandam videlicet *per ipsam nuptiarum passionem*, vt loquitur Tertullianus.

At quod idem Iunius ait, ea, quæ initio lib. de velandis virginibus, de paraclito, & quæ cap. 3. de monogamia Tertullianus scribit, *non olere Montanum*; optarem id ita esse; at contrarium clamat ipse Tertulliani contextus, vt & reuelatio seu somniū mulierculæ; quod Tertullianus narrat sub finem libri. Huiusmodi enim phantasiis & illusionibus, Montani sectatores admodum addicti erant; vt liquet etiam ex libro de anima & aliunde. Pari modo imperitiam ostendit Iunius, vel certè odium in Pameliū, cum negat, ea, quæ Tertullianus scribit lib. de corona militis, cap. 1. ex Montani spiritu effusa. *Iniuriam facit Pamelius, qui hæc verba, quasi transcurrens ad Montanistas accipit.* Atqui euidentissimum est, contra Orthodoxos verba hæc effusa: *Planè superest, vt etiam martyria recusare meditentur, qui prophetias eiusdem Spiritus sancti respuerunt.* Post: *Qui & pastores eorum, in pace leones, in prælio ceruos.* Vbi Orthodoxis exprobrat fugā in persecutione, quam ipse illicitam esse proprio libro demonstrare conatus est; quos & hic sugillat, cum ait: *Eos nullam aliā Euangelij memoriam curare, quàm eam; quæ iubet fugæ accingi de ciuitate in ciuitatem.* Non ergò Pamelius Tertulliano, sed Iunius Pamelio iniuriam facit.

Tertullianus lib. de præscript, cap. 3.

Quid ergo si Episcopus, si Diaconus, si vidua, si virgo, &c.

I V N I V S.

Duo tantum ponit Ecclesiastica administrationis genera, scilicet Paulum, 1. Timoth. 3. & Tit. 1. & Philipp. 1.

REFUTATIO.

Quid tum? non sequitur inde, Episcopum & presbyterum, ex sententia Tertulliani esse eundem, ut vult Calvinianus spiritus; nam alibi Tertullianus expressè distinguit Episcopum à presbytero, & hunc ab illo: ut lib. de Baptis. cap. 17. his verbis: *Quod enim ex aquo accipitur, ex aquo dari potest, nisi Episcopi iam aut Presbyteri, aut Diaconi vocantur, dicentes, &c.* Ipse Tertullianus ab omnibus, etiam à Iunio, nominatur presbyter, at quis vnquam appellavit Episcopum? Cuius enim loci Episcopus fuit? Quod autem in lib. de præscriptione duo tantum genera posuit: id fecit, quia Ordines eo loco distinguere non instituit: solum exempla adferre volens quorùdam, qui cum à fide deficiunt, offensionem, imò & scandalum pariunt. Episcopum à presbytero distinguit quoque Tertullianus lib. de monogamia, cap. 11. *Ab Episcopo, inquit, monogamo, à Presbyteris & Diaconis eiusdem sacramenti.*

Tertullianus in Scorpiaco, cap. 2.

Ad officium Hæreticos compelli, non illicitum dignum est. Virritia vincenda est, non suadenda. Et utique satis optimum præiudicabitur, quod probabitur à Deo constitutum atq; præceptum.

I V N I V S.

Turpiter sine auctore abutuntur, qui ad firmandam suam tyrannidem, in causa fidei, hunc locum detorserunt. Non docentur fidem Hæretici, sed revincuntur infidelitatis nomine ex auctoritate verbi.

REFUTATIO.

Tuam causam agis Iuni. Clara sunt Tertulliani verba; nec villo furo Calviniano obliterari, aut obfuscaripossunt. Non verbo, sed vi Hæreticos subigendos ait. Et Paraphrasis, quæ sequitur, non ex Tertulliano, sed ex tuo cerebro exstitit. Duo sunt, inquit Auctor, hominum genera, quibus scribo: imperiti & hæretici. Imperitis suadeo præmium, doceo officium, quò assequantur præmium, suntq; hi prius docendi, quàm monendi. Hæreticis

nec suadeo præmium, nec propono officium, sed revinco obduratum eorum animum, auctoritate allata Dei. Nihil horum Tertullianus, omnia mera sunt commenta eius, qui supplicia Hæreticorum vocat tyrannidem. Quid ergo erit Calviniana illa Britannorum in Catholicos immanitas? subdit Tertullianus. *Sustineant Evangelia paulisper, dum radicè eorum exprimo legem.* Iunius. *Propositio est; Dei auctoritatibus se pugnaturum ex scriptura locis; præmium de testamento veteri, cap. 7. deinde verò de nouo. Inde à cap. 9.* Ita est: ait Tertullianus, se pugnaturum verbo Dei, sed quo fine? ut doceat Hæreticos vi cohibendos & coercendos, non auctoritate verbi, ut somniat Iunius.

Tertullianus lib. 2. ad uxorem, cap. 4.

Quis in carcerè ad osculanda vincula Martyrù reptare partitur?

I V N I V S.

Id est, Sanctos in vinculis, ad Martyrù iam ita abituros. Hypallage.

REFUTATIO.

Sed Calviniana, non Tertullianica, non enim de osculandis Martyribus, sed Martyrù vinculis Tertulliano est sermo. At nisi Iunius Hypallagen comminisceretur, periculum esset, ne Orthodoxi ex hoc loco cultum reliquiarum probarent.

Tertullianus lib. de Baptismo, cap. 18.

Itaq; pro cuiusq; persona conditione, ac dispositione, etiam ætate cunctatio Baptismi utilior est, præcipue tamen circa parvulos.

I V N I V S.

Tria hic distinctè proponit Auctor, quæ si rectè intelligantur, locus est sanctissimus. (Conditio personarum baptizandarum est, quod sint in fœdere siue grandiores siue parvuli. Dispositio est, quod credant & obsequantur Evangelio. Ætate, non qui sunt in fœdere (nam & parvuli piorum liberi in fœdere sunt) sed qui profitentur fidem, recognosci solent.) Quum itaq; dicit, præcipue tamen circa parvulos, id de extraneorum, non de fœderatorum, domesticorumq; liberis opus est intelligi.

REFVTATIO.

Quid Tertullianus hoc loco sibi voluerit, abundè docuit Pamelius, vt proinde hac Calviniana explicatione opus nõ fuerit. Nam quid veneni Calvinistæ tegant, sub illo modo loquendi, cum piorum infantes aiunt, *esse in fide, etiã sine Baptismo*: Lector cognoscet, cum aliunde, tum ex colloquio, quod Beza Mompelgarti cum Smidelino habuit, in sermocinatione de Baptismo. Quod autè Iunius ait, illa verba, *si non tam necesse*: posse abesse sine Auctoris iniuriã; agnosco itidem Caluini spiritum; qui credit infantes etiam sine Baptismo saluos fore, si à Deo sint electi: sicut & cum Baptismo non fore saluos, si non sint à Deo electi; quasi videlicet Deus vllum infantè nouæ legis prædestinarit sine medio Baptismi, aut vllum etiam infantem reprobarit, quem peccati originalis abolendi remedio cariturum non præuiderit. Hæc in notas Tertullianicas Iunij: non enim omnes discutere institui, sed eas duntaxat, quæ Hæresin & Caluinum aliquo modo olent.

LAYS DEO VIRGINIQVE MATRI.



